John Adams
Library,



IN THE CUSTODY OF THE
BOSTON PUBLIC LIBRARY.



SHELF No
* Adams
140.10
v.1

FUNDAMENTA JURISPRUDENTIAE NATURALIS,

A

FRIDER. GUILIELMO PESTEL

DELINEATA

IN USUM AUDITORUM.

EDITIO TERTIA

AUCTA.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud SAM. ET JOH. LUCHTMANS,
MDCCLXXVII.

Adams
140.10

L. S.

Hugonis Grotii *de Jure Belli & Pacis libros tres, inſigni rerum egregiarum ubertate eximios, annuis recitationibus abſolvere ſolitus, tantum temporis argumentis graviſſimis & diligentiori explicatu dignis ſubduci, hucusque dolui; quantum aurei illius operis prolegomenis & primo capiti exponendis impendi oportuit. Cui incommodo ut moderi poſſim; ea hoc libello initia delineare conſtitui, quorum pleniori notitia inſtructos ac praeparatos eſſe velim, qui me in jure publico excolendo ducem ſequuntur. Quem laborem inornatum & ab omni eruditionis ſplendore alienum cenſeri inglorium, facile patiar, dum iis proſit, quorum mihi contingit formare ingenia & animos.* Vale.

SERIES SECTIONUM.

PARS I.

Curſum vitae felicis proſequitur.

SECTIO I. *Felicitas.*
II. *Via ad felicitatem, ejusque certa cognitio.*
III. *Studium hominis in ſe ipſo reperiendi fontem felicitatis.*
IV. *Creſcens ſingulorum felicitas ſocietatis humanae auxilio.*
V. *Quantum interſit hominis, homini prodeſſe.*
VI. *Naturale religionis & felicitatis humanae connubium.*
VII. *Virtus.*

PARS II.

Notionem legum naturalium, & modum eas ad facta applicandi, exponit.

SECTIO I. *Obligationis & legum naturalium definitio, origo, perfectio, diviſiones.*
II. *Ethicae Philoſophicae definitio & perfectio*
III. *Concentus univerſorum hominis officiorum.*
IV. *De officiis erga ſocietatem, & notis, quibus duplex eorum genus internoſcitur.*
V. *Juſtitia.*
VI. *Aequitas.*
VII. *Actiones morales quomodo imputandae?*
VIII. *Juris Naturae definitio ac partes.*
IX. *Jurisprudentiae naturalis perfectio & uſus in ſtudio juris gentium, publici, privati, atque in ſcientia legum ferendarum, ac diſciplina prudentiae civilis.*

FUNDAMENTA JURISPRUDENTIAE NATURALIS.

PARS I.

CURSUM VITAE FELICIS PROSEQUITUR.

SECTIO I.

Felicitas.

§. I. Actionum hominis duo ſunt genera: alterum earum, quibus ad ſtatum ſuum mutandum vi ſua, absque eligendi facultate, connititur, quae *naturales* appellantur: alterum earum, quas in poteſtate ſua poſitas pro lubitu ſuſcipit. Hae a *libertate*, (*late dicta*, §. 50. *arbitrio*) ſeu facultate eligendi & efficiendi quod placet, profectae, dicuntur *liberae*. Qua ſe praeditum eſſe *libertate* unusquisque ſibi eſt conſcius.

§. II. Actio quaeque libera ex tribus conſtat partibus, *momento*, *decreto*, *executione*.

Ineſt in quavis actione libera ratio electionis inter duo propoſita, quae mentem clare aut obſcure ſubit, cum agere decernit. Ratio electionis menti praeſens, eamque ad agendum flectens, generatim dicitur *momentum.*

Huic ſuccedit *decretum*, ſeu electio ejus, quod expetendum aut declinandum videtur, & conatus illo potiundi, hoc vitandi, aut depellendi.

Decretum ſequitur *executio*, ſive contentio virium neceſſariarum, qua efficitur, ut exiſtat, quod deſideratur.

§. III. Momentum ultimum, quod in ſingulis actionibus liberis vim habet mentis decretum terminandi, eſt ſpes *voluptatis*, aut metus *doloris.*

§. IV. Voluptas (ſenſatio menti grata, ſive ſenſatio, ad cujus adeptionem mens nititur, & cujus impetratae ceſſationem non deſiderat) alia corporis miniſterio in anima exiſtit, alia in hujus quaſi fundo, absque nervorum corporis affectione, naſcitur aut excitatur. Eadem eſt origo doloris.

§. V. Voluptas eſt vel *pura* vel *mixta dolore.* Hujusmodi *ſenſu mixto* maxima pars hujus vitae degitur.

Perceptio voluptatis labefactatur aut finitur nova voluptate, laſſitudine, taedio, poenitentia, dolore ex diverſis cauſis orto inque ejus locum ſuccedente.

§. VI. Status animae aliquid appetentis aut averſantis inter voluptatis ſpem, & metum doloris, medius non datur. *Indolentia*, quam nonnulli rerum expetibilium primam eſſe cenſuerunt, eſt ſen-

ſenſus tenuiſſimus voluptatis, nulla nova quaſi titillatione ſuperveniente, aliquamdiu continuatae, cujus mutationem ſe deſiderare, anima haud ſibi eſt conſcia.

§. VII. Voluptates gradu differunt. In earum aeſtimatione ineunda, conſideranda eſt a) ipſarum *fecunditas*, dum perceptae fiunt cauſae plurium aut pauciorum novarum conſequentium; b) *intenſio*, ſive quantitas motus, quem in anima excitant, plus minusve reſiſtens ſenſui doloris intervenientis, vel ſuavitatis ab ea, quam mens cummaxime guſtat, diſcrepantis, ſenſui & deſiderio; c) *diuturnitas perceptionis*, ſive motus jucundi; & d) *firmitas perſuaſionis*, dolori ex illis naſcenti, aut poenitentiae non fore locum; velut qui in diem vivunt, impenſius & ſecurius gaudent, quam quorum bene praeparatum pectus alteram ſortem metuit.

Intenſio voluptatis varia eſt pro variis cauſis, ex quibus naſcitur, & pro vario *corporis* vel *animae* ſtatu praeſente, cum haec afficitur.

Sic dolor praecedens, quo premitur animus, pro magnitudine ſua, proque exiguitate ſpei, futurum, ut elevetur aut tollatur, intendit vim voluptatis ſubſequentis. Idem de dolore obſervatur, qui ſuccedit voluptati.

§. VIII. Mens, quae *voluptatem* ſibi allatura putat, ea *appetit*, quae *dolorem*, ea *declinat*, quae *neutrum*, ea non curat. Cum *appetit*, comparatione facta ſtatus ſui praeſentis cum futuro, ſentit conatum ſtatus ſui praeſentis aut continuandi aut mutandi. Hic, quem ſentit, *niſus ad perceptionem* (*ſenſationem*) *gratam futuram* dicitur *appetitus*.

De *celeritate*, qua *appetitus* aut *declinatus* (*aver-*

ſationes) in mente generantur, & de *vehementia*, qua appetimus aut averſamur, obſervandum eſt, utramque non ſemper reſpondere *magnitudini voluptatis* aut *doloris*, quae appetitur, quive declinatur.

Ac primo quidem voluntas ad ea expetenda aut rejicienda facilius, absque longa deliberatione, inclinatur, quibus delectari, aut moleſte affici, conſuevit.

Deinde *vehementiam* impulſionis, quae a ſpe voluptatis metuve doloris naſcitur, multae cauſae gignunt & frangunt. Sic *conſuetudo dolendi* labefactat metum *doloris futuri*, niſi ſit novum doloris genus, quod inſtat, vel incertum, *qualis ille quantusque ſit futurus.* Auget vero impulſum *brevitas temporis*, quo mens voluptatis, quam expetit, aut doloris, quem fugit, magnitudinem, diuturnitatem & propinquitatem ponderat ac metitur. Non ſolum quo *plura* mentem ſimul velut conglobata irritant, ſed & quo *breviori temporis ſpatio* ad eam commovendam concurrunt, eo major exoritur appetitus vel declinatus, (§. 77. 78. 81.) perinde ac corporum motus celeritate impulſus augetur.

§. IX. Appetitus itaque omnes dirigit natura ad *perceptionem futurae voluptatis.* (§. 3.) Voluptas autem alia eſt *vera*, (*ſalutaris*) cujus quovis tempore examinatae nunquam hominem poenitere poteſt, alia huic contraria eſt *fallax*, cujus recognitae & perceptionem praeteritam, & renovationem, non poteſt non averſari. (*noxia, imaginaria*) (§. 30.)

§. X. Cauſa efficiens *verae voluptatis* vulgo dicitur *bonum*, huic contraria *malum.* Cumque voluptates habeant gradus: (§. 7.) quid ſit bonum *majus* & *minus*, manifeſtum eſt.

Bo-

Bonum ſi conſideretur absque reſpectu, num per uſum libertatis ſuae eo potiantur homines an ſecus, dicitur *bonum phyſicum;* ſi tanquam tale conſideretur, quod per uſum libertatis homini contingit, vocatur *morale.*

Bonum *morale*, quod *apparens* vocant, eſt effectus actionis liberae, quam *ſpes voluptatis opinatae genuit.* (§. 9.)

§. XI. Innatum eſt homini ſtudium, eſſe ut cupiat, & dum ſit, ea vita frui, in qua voluptates aliae aliis ſuccedentes dominentur doloribus, quorum interventus vitari non poſſit. Abhorret mens ab imagine & deſiderio ejus conditionis, quae cum perpetuis conjuncta angoribus, nullum ſpei utcunque probabili relinquit locum, fore unquam levius aut melius.

§. XII. Status hominis, qui certus eſſe poteſt de perpetua poſſeſſione verarum voluptatum doloribus haud evitandis praeponderantium, dicitur *felicitas.* Felicitatis interitus eſt *miſeria.* (vita miſera.) Inſitum eſt homini *deſiderium felicitatis.* (§. 11.) Ad hoc, tanquam ad fontem communem, univerſae hominum appetitiones confluunt.

§. XIII. Ex definitione data apparet, 1) felicitatem non abſolvi ſola vacuitate doloris, (*catalepticos*, dum nihil ſentiunt, quis dixerit beatos?) 2) nec qualicunque dolore tolli, (§. 7.) 3) nec qualibet voluptate, nec quavis voluptatum aliarum aliis ſuccedentium ſerie, augeri, (§. 9.) 4) neque eam in opinione hominum fluxa & varia eſſe poſitam, ſed ejus notionem aliquid ſtabile & ſolidum

complecti, cui innitatur perſuaſio, eſſe nobis in praeſens bene, & in poſterum fore.

§. XIV. Dari felicitatis progreſſum, & diminutionem, ipſius notio, (§. 12. 7.) & experientia, evincunt. In qua aeſtimatione facienda venit in computationem a) magnitudo voluptatum verarum, quarum continuatio aut adeptio ſperatur, (§. 7.) b) dolorum, ſi qui interveniant, levitas, aut vis ad illarum ſuavitatem magis ſentiendam; c) firmitas fundamentorum, quibus nititur perſuaſio, perpetuam fore vitae jucundae poſſeſſionem, ac progreſſionem in bonis augendis & retinendis, malis autem vitandis, leniendis, tollendis.

Infimus felicitatis gradus eſt in maximis doloribus poſſeſſio tenuiſſimae voluptatis, ex aliqua ſpe ſtatus melioris ortae, quae duntaxat ſufficit, ut adhuc eſſe, quam non eſſe, malis.

§. XV. Sumimus hic, quod alio loco evinci ſolet, atque ex ſapientia divina & praeſtantia *animae humanae* recte colligitur, hanc a corpore ſuo ſecluſam vivere.

§. XVI. Evicta animae immortalitate, patet, animam non ſolum ſemper eandem, ſuique, & quod diſtet ab aliis rebus, ſibi conſciam, ſtatusque ſui praeteriti memorem, ſed & novarum idearum adipiſcendarum, proinde & novarum voluptatum, vel novorum dolorum, fore capacem.

§. XVII. Ex quo conſequitur, ut vita futura animae humanae, corpori ſuo ſuperſtitis, ſit continuatio praeſentis. In definitione itaque felicita-

ti

tis humanae condenda, non ea ſola eſt computanda periodus, quae morte finitur.

§. XVIII. *Appetentes* vitae felicis homines natura fecit, an & *capaces?* Eosne, quos tantae totque contextae dolorum cauſae circumfundunt? Eosne, qui ſuam ſibi ipſis tranquillitatem ultro & libenter aegri auferunt? Nonne rectius concludas, non eſſe datum generi humano, felicitate frui, quoniam non omnes ea fruantur?

§. XIX. Voluntas, & fines Dei ex operibus divinis cognoſcuntur. (§. 70.) Naturae humanae Deus inſevit appetitum felicitatis, (§. 12.) ergo noluit, ut ejus adeptio eidem naturae repugnaret. Facere ſimul, ut eo, quod neceſſario expetunt homines, neceſſario careant, in ſummam ſapientiam & bonitatem haud convenit.

Praeterea nihil in univerſa rerum natura eſt diſſonum; concinunt omnia. Ex quo colligitur, providum numen, quod ſibi in omnibus, quae facit, conſentaneum eſt, & ſuum quibusque rebus perfectionis gradum attribuit, hominum quoque generi definitum felicitatis gradum deſtinaſſe.

§. XX. Neque his dictis refragatur *experientia.* Seu hominem per ſe, ſeu ejus naturalem cum caeteris mundi partibus copulationem conſideres, quidquid naturale eſt, & cum homine connexum, illud ad ejus felicitatem conſentit.

§. XXI. A felicitate differt *proſperitas.* Haec eſt complexus bonorum, (§. 10.) quorum acquiſitio aut conſervatio non pendet a cujusque viribus

uſuve libertatis. Sub hac definitione continentur ſors naſcendi, valetudo, vires, ſtatura, forma, opes, favor multitudinis cet. Habet proſperitas gradus. Q. METELLUS, qui, ut refert CICERO, *tres filios Conſules vidit, e quibus unum etiam Cenſorem & triumphantem, quartum autem Praetorem, eosque ſalvos reliquit, & tres filias nuptas, cum ipſe Conſul, Cenſor etiam Augurque fuiſſet, & triumphasſet*, absque dubio fortunatior fuit, quam, qui inedia & vigiliis necatus eſt, REGULUS.

Proſperitas omnino eſt pars felicitatis. (§. 14.) Verum aerumnae & varia incommoda, proſperitati hujus vitae inimica, quibus reſiſti non poteſt, felicitatem non evertunt. (§. 14. 17.) Eorum magnitudinem brevitas conſolatur, longinquitatem nata ex aſſuefactione lenitas. Denique praeter voluptatum praeteritarum recordationem, atque dulcisſimam providentiae Divinae cogitationem, aerumnoſos praecipue erigit ſpes, ſi minus alia, certe aeternitatis beatioris. (§. 16.)

§. XXII. Perverſo libertatis uſu homo ſibi ipſi in curſu vitae felicis deeſſe poteſt, ſeu ignoret germanas verae & fallacis voluptatis notas, & utriusque dimenſionem, ſeu videns meliora probansque deteriora ſequatur. (§. 8.)

§. XXIII. Quod ne fiat, nullumne providentia Divina homini ſuppeditavit monitorem interiorem, quo & ad dignoſcendum, quid ſibi conveniat, inſtruatur, & ad efficiendum invitetur? Haec cogitantibus tres potiſſimum quaeſtiones ſubnaſcuntur, ad quas conſiderandas ſtatim progrediemur:

1)

1) Certumne detur iter felicitatis, quod homines in actionibus ſuis regendis tuto, & absque aberrandi periculo, ingrediantur? (§. 24-31.)

2) Num certa ejus intelligentia homini contingat? (§. 32-47.)

3) Num qui inſint in anima humana elateres, (incitatores & repreſſores) quibus vera boni malique cognitio fiat efficax, mentemque ad decreta huic conſentanea facienda impellat? (§. 48-57.)

SECTIO II.

De via ad felicitatem, certaque ejus cognitione.

§. XXIV. *Regulas felicitatis humanae*, in quibus inveniendis, & contexendis, natura duce, verſabimur, appellamus enuntiata, quae docent viam conſequendae felicitatis, hoc eſt, quae *eam actionum hominis liberarum ordinationem exponunt, per quam poſſibilis eſt felicitatis generi humano deſtinatae* (§. 19.) *adeptio.*

Easdem vocamus *morales*, ab actionibus *liberis*, ſive *moralibus*, quibus regendis inſerviunt. *Certas* dicimus, quibus quae ſunt contrariae, illas nunquam ad felicitatem generis humani conſentire posſe, ſed ei ſemper repugnare, mens humana cognoſcere valet.

§. XXV. *Dantur regulae certae felicitatis humanae.* Si enim nulllae darentur, nulla foret felicitas. Sin forent incertae, *ſcepticiſmus moralis* orietur *phyſice neceſſarius.* Hujus perpetua vertigine agi, miſerum foret omnibus, miſerrimum ſolertioribus. Igitur id ſumi nequit. (§. 19.) Nullas eſſe dicas regulas morales, an per ſe incertas, effectu inſpecto, nihil intereſt.

§. XXVI. Idem evincit natura actionum liberarum. Quaevis (perinde atque actiones naturales corporum) gignit effecta, quae inter ſe, & cum eadem actione, ex qua manarunt, tanquam cauſa ſua, copulantur. Haec effecta ſunt poſita in ea ſtatus mutatione, quae ſenſum doloris, aut voluptatis, confeſtim aut ex intervallo parit. Igitur recte concludi poteſt, poſita actione libera plane eadem, tanquam cauſa efficiente, eadem poni effecta, quae gignant ſtatum vel conſentientem vel pugnantem cum deſiderio felicitatis: quorum illa idcirco dicuntur *bona*, haec *mala.* (§. 10.) Si effectus, ex duabus ejusdem generis actionibus profluentes, differre videntur: non omnino eaedem ſunt actiones, quae conferuntur, ſed diſcrepant.

§. XXVII. Non fluxa igitur, aut in opinione ſingulorum vel complurium hominum ſita, ſingulisve propria, aut ſtatui temporis obnoxia, eſt vis (relatio) actionum liberarum ad felicitatem agentis, ſed communis omnibus, ſtabilis & perpetua.

A conſtantia & perpetuitate hujus vinculi oritur naturalis ordo felicitatis. Cognito hoc ordine cognoſcuntur regulae, ad quas neceſſe eſt conformari actiones liberas, ut feliciter vivatur. Ille ordo cum

cum ſit certus, etiam regulas, ordinem illum *vere* exponentes, certas eſſe oportet.

§. XXVIII. Denique ſi certae non eſſent regulae, quibus homines in actionibus ſuis regendis utantur, conſequens foret, ut eidem homini nunc haec nunc aliae, & diverſis diverſae, convenirent. Talis fluctuatio aliena eſt a ſapientia ſummi Numinis; non conſpirat cum admirabili legum, quibus univerſa rerum natura regitur, phyſicarum concentu; neque conſentit cum natura humana, quae, nulli in ſingulis viciſſitudini obnoxia, eſt eadem omnibus.

§. XXIX. Datur itaque ſyſtema (diſciplina, ſeu contextus regularum aliarum ab aliis ductarum, & inter ſe congruentium) certum felicitatis, hominum generi non aliter deſtinatae, quam ſi libertate ſua regulis eo ſyſtemate comprehenſis convenienter utatur. Quod cum ſit naturae humanae accommodatum, adeoque & cum rerum univerſarum natura conſentiat, (§. 19.) recte dicitur *naturale. Divinum* merito appellatur, quoniam divinitus eſt ordinatum; *bonum*, quandoquidem a patre generis humani nihil, niſi bonum, proficiſci poteſt.

§. XXX. In convenientia aut pugna cum hoc ſyſtemate ineſt nota certa, & perpetua, voluptatis verae & fallacis, (§. 9.) actionum *liberarum*, ſive *moralium*, bonarum & malarum, judicii veri & falſi, quod facimus de actionum bonitate & pravitate.

§. XXXI. Cum id ſyſtema ſit divinum: (§. 29.) non poteſt non eſſe immutabile. Nulla cujuſquam illud

illud potentia, nulla vi naturae univerſae, mutari poteſt. Solae partes hominis ſunt, illud *indagare & ſequi.*

§. XXXII. Quae quidem indagatio iisne involuta eſt tenebris, ut non poſſint non complura vitae praecepta a multis vel ab omnibus ignorari, multique errores inveſtigantibus ſurrepere? Res patebit, cumprimum viderimus, & qua via ad adipiſcendam regularum vitae cognitionem eatur, & qua iri debeat.

§. XXXIII. Prima aetas tum *inſtinctibus naturae* ducitur, tum ad cognoſcendas ac colligendas vitae regulas adhibet *experientiam* ac *fidem.*

Inſtinctus naturae (*prima naturae*) ſunt conatus animae humanae inſiti, quibus impelliur ad cupiendum vel declinandum id, quod naturae humanae expedit, aut nocet.

Horum alii hominibus ſunt communes cum brutis animantibus, alii proprii. Nam uti naturae hominum & animantium differunt, ita & diſcrepant ſtimulis, quibus impelluntur, ut ſecundum ſuam genus quodque naturam agat.

Ineſt in iis vis quaedam diſcernens bonum & malum, ſed ob celeritatem ictus, quo ad decernendum aliquid & agendum incitant mentem humanam, huic vix obſervabilis. (infra §. 49.)

§. XXXIV. Sentit infans, & paulatim ad ſenſus ſuos attendere, hoc eſt, *experiri* incipit. Praecipue infigit menti, quae ſibi ſuavia aut moleſta fuiſſe expertus eſt. Nondum iis praeditus intelligendi viribus, ut longe in futurum proſpiciat, ex ſenſu grato aut inſuavi, quem praeſentem actionis ſuae

ſuae effectum eſſe animadvertit, concludit bonae malaeque actionis criteria. Similis actionis ſimilem exitum in poſterum exſpectat. Quod ſibi nocuiſſe haud ſenſit, ex quo alios detrimentum accepiſſe haud vidit, illud ſibi nocere non poſſe, fidenter concludit. Dumque non cogitat conſtruere vitae regulas, eas ſibi inſcius condit.

§. XXXV. Eadem imbecilla aetas ſocietate hominum & ad vivendum, & ad conſequendum rationis uſum, indiget. Idcirco fertur impetu ingenerato ad alios homines, in primis aequales ſuos, *obſervandos & imitandos.* Verba, vultum, facta, obſervat, atque notitiam *veri & boni* ab aliis vix dum cogitantibus traditam celerrime aſſumit.

Praecipue *prima idearum conſociatio* (conjunctio) plenius penetrat infantis in animum, (idem & *adultis* accidit) & huic perdifficile eſt, diſtrahere notiones, quas conjunctim in ſuo quaſi fundo depoſuit, multoque deinceps labore ac magna vi ratiocinii hanc diſſociationem vix aſſequitur. Attenderit infans primum, quem videt, pauperem contemni. Statim ideam *paupertatis & contemtus* ita conjunget, ut procedente aetate has ideas vix divellere poſſit. Ex his intelligi poteſt, qui fiat, ut infans ad regulas quoque vitae ſenſim ſe conformet, quas colligit ex vultu, verbis, factis hominum, quibuscum verſatur, eorum praecipue, quorum experientiae & auctoritati *fidit.* Hae paulatim animae inſinuatae cum primum radices egerunt, vim axiomatum accipiunt, ut menti non extrinſecus illatas, ſed innatas putes.

Exemplo & inſtitutione verae falſaeque vitae regulae ab uno homine ad plures, ab una domo, ad multas, intervenientibus nuptiis, a pluribus familiis

ad

ad maximam partem populi, ab populo uno ad complures, bello, peregrinationibus, libris, traducuntur, adoleſcunt, multisque ſeculis continuis dominantur.

§. XXXVI. Adultior demum aetas *ratione*, hoc eſt, *facultate ſua naturali nexum veritatum diſtincte perſpiciendi*, uti incipit. Rationis *robur* conſtat ex rerum, quarum copulationem cernit, multitudine & magnitudine, & ex facilitate majori, vinculum, quod illae commune habent, etiamſi prima & extrema maxime diſtent, diſtincte perſpiciendi. Quo firmior eſt ratio, eo clarius & certius boni maliue diſcrimina pervidere poteſt, ac cavere, ne fallatur.

§. XXXVII. Primas rationis partes, in optimo vitae ſtatu exquirendo, eſſe oportebat, recognoſcere vitae regulas, quas ſibi ipſi formaverat aetas infirma, (§. 35.) aut ab educatoribus vel ſodalibus latenter ac paulatim inſinuatas ſuſceperat.

Verum via huic contraria plerumque initur. Non dubitatur de inveteratis opinionibus, niſi mala manifeſta & praeſentiſſima afferant. Ratio magnae partis hominum, abjecta veri boni indagatione, in eo unice enititur, ut diu probatis ac familiaribus vitae regulis convenienter de rebus expetendis & fugiendis judicet, ac novas illis, quibus adſuevit, praeceptis conſentaneas, in novis, quae occurrunt, negotiorum generibus condat ac ſequatur. Hoc modo efficitur, ut vel error errorem gignat, vel mens a veris regulis huc usque probatis, quarum veritatem numquam examinavit, derelinquendis, ad falſas aſſumendas, fraude malisque exemplis, facile deducatur.

§. XXXVIII.

§. XXXVIII. Ratione ſua ad praecepta morum colligenda recte uſurus quisque aliam viam ingreditur. Probat concluſionem *ab effectu*, quem ex ſingulis actionum liberarum generibus naſci, conſtans experientia evincit ſed fallacem concluſionem repudiat, cum ex ſola ſuavitate & acerbitate, actionem quandam *proxime* conſequente, certum boni malique diſcrimen colligitur. (§. 34.) Natura conjuncti ſunt effectus actionum proximi & remotiores. Igitur (§. 16.) utrosque contemplatur, ponderat, conjungit, ut, quae conveniant naturae humanae actiones, quaeve repugnent, eas regulis firmis, & omnis erroris immunibus, diſcernat.

§. XXXIX. Effectus, qui ex actionibus liberis exiſtunt, alii eas ſemper conſequuntur, alii aliquando, poſitis quibusdam *conditionibus ad actionem, quae ſuſcipitur, haud affixis.* Illi *neceſſarii* (eſſentiales, abſoluti, haud vitabiles, *certi*) dici poſſunt, hi *adventitii*, (conditionati, hypothetici, *contingentes*, *incerti*). *Illi* eam in ſtatu *cujusvis* hominis mutationem ſemper efficiunt, quae vel verae voluptatis verive doloris ſenſum ſtatim comitem habet, vel multarum mutationum conſequentium ferax, verae voluptatis verique doloris in poſterum ſentiendi *germina* continet.

Adventitii effectus a ſola actionis vi non proficiſcuntur, ſed a *ſtatu* ejus *ſingulari*, qui actionem ſuſcepit, ejusdemque nexu cum cauſis efficientibus extra agentem poſitis. (*extraneis*) (§. 197.) Augent quantitatem boni & mali, quod in effectis neceſſariis actionis ineſt, vel eam diminuunt. Recte diſtribuuntur in illos, qui ſecundum *regulas probabilitatis* praevideri poſſunt, dum in eo ſumus, ut agamus, & eos, qui non poſſunt.

§. XL.

§. XL. Nulla actio libera eſt plane ſterilis, (§. 26.) ſed quaevis eſt fecunda effectuum. (§. 38, 39.) Hos *obſervare*, & in ſingulis actionum liberarum generibus *neceſſarios* ab *adventitiis* accurate diſtinguere, primum eſt munus rationis. Id vero qua via aggredietur?

Ratio 1) dignoſcit effectus neceſſarios ex perpetuitate ſucceſſionis. Scilicet cum experientia confirmat, eosdem ſemper eidem actioni effectus ſuccedere, nullo temporum, locorum, aut perſonarum agentium, diſcrimine, ideoque eos certo extituros, affirmari poſſe, quia praeviſi & praedicti ſemper conſequantur; recte colligitur, tales effectus eſſe neceſſarios, & ab actione avelli haud poſſe. (conf. §. 129. 132. 138. 156.)

2) Concludit ratio, absque ſubſidio experientiae, (a priori) ex ipſa idea actionis, & notione naturae humanae, (*natura agentis & natura actionis*) phyſicam hujus illiusve effectus neceſſitatem; veluti ipſa mordacis invidiae definitio planum facit, eam non poſſe non animum hominis, quem urit, absque ullo fructu, dolore acri torquere.

3) Eidem cognitioni inſervit argumentum *ab analogia naturae univerſae*: haec enim, qua continetur humana, legibus ſimplicibus, ſed egregie conſentientibus, regitur. (§. 19.) (veluti, cum tota, quatenus nobis cognita eſt, natura ſui ipſius ſit conſervatrix, concludimus, homines quoque agere contra naturam, qui ſe ipſos deſtruant) (conf. §. 59. 61. 99.)

§. XLI. Perſpectis effectibus actionis liberae *neceſſariis*, ſecundum rationis munus eſt, exquirere, utrum illi cum diſciplina (ſyſtemate) felicitatis humanae (§. 29.) pugnent, an conſentiant. In hoc

hoc judicio faciendo praecipue cavendi ſunt errores, qui in argumentis, quae ab experientia ducuntur, facile ſurrepunt. (§. 34.)

Vulgaris, ſed a vero aliena, eſt concluſio: *nihil mali ex eo, quod feciſti, ſentis, ergo recte feciſti*; vel contra; *ſentis*, quantum ſuavitatis haec actio tibi pepererit, ergo felicitati tuae convenienter egiſti.

Damus, ſenſu *interno* & *externo* nunquam nos falli, cum is gratum aliquid acerbumve, tanquam tale, menti *praeſens* exhibet. Quidquid oſtentet *Stoicus*, ſe cum ardet podagrae doloribus, non dolere, inque *tauro Phalaridis* ſuaviter vivi, contra ſenſum ille communem & ſuum loquitur. At ratio fallit, cum concludit: *Si nunc, ergo & olim, ſuave erit:* vel contra; aliquid dulce aut amarum ex actione tua naſci *nunc non ſentis, ergo nunquam.*

Non quae *praeſentem*, nec quae *vehementem* homini voluptatem impertit actio, ea homini ſemper conducit, ſed quae *cauſam* verae voluptatis ipſi affert, hoc eſt, eam in ſtatu hominis mutationem parit, ut ſeu nunc, ſeu olim, ex eo, quod fecit, neceſſario percipiat ſuavitatem aliquam, & eam quidem majorem illa, quam ex facto contrario capere potuiſſet. Juvenis monitoribus aſper cupiditatibus ſuis frenum injici dolet, ſed continuo coactus non indulgere genio, parendo obedire didicit. Sic per dolores ſibi aperuit aditum ad verum felicitatis ſuae incrementum.

Non in arbitrio cujusque poſita, ſed *phyſice neceſſaria* eſt poenitentia, qua, velit nolit, homo torquetur, cum primum actionis ſuae effectus neceſſarios, tanquam *naturae ſuae oppoſitos*, intuetur. Creſcit neceſſaria illa poenitendi moleſtia pro clarita-

te cognitionis, eosdem effectus malos non poſſe evitari, vel difficulter aut plane non reparari.

Contra ſenſu interno convincimur, non poſſe nos a nobis impetrare, eam ut damnemus actionem, dolorum licet feraciſſimam, cujus cum natura noſtra convenientiam intuemur. Hac perſpecta nos quaſi nobismet ipſis probamus, & ex ea ipſa comprobatione *novam* voluptatem haurimus.

Certa itaque eſt, quam ratio conficit, concluſio; quodlibet actionum genus, cujus effectus neceſſarii cum *natura humana* conveniant, convenire quoque felicitati hominis, quia fontem verae voluptatis, confeſtim aut olim ſentiendae, in anima recludat: ſimiliter, omnem actionem, quae felicitati hominis repugnet, neceſſario naturae hominis adverſari & repugnare. (§. 12.)

§. XLII. *Naturae humanae* notio non ſolum comprehendit eſſentiam hominis, vires corporis atque animae, & arctam utriusque conjunctionem, ſed & illud vinculum, quod homini cum ceteris mundi partibus ejusque effectore, ſummo Numine, intercedit. Quamobrem recte ſtatuitur; ſtatum, qui ex actione libera neceſſario oriatur, naturae humanae contrarium eſſe eum, quo vires corporis & animi diminuantur, aut earum incrementa uſusve cum vera voluptate conjunctus impediantur, & qui naturali rerum copulationi, Deique perfectionibus, quas hominem cognoſcere oportuerat, non reſpondeat.

§. XLIII. Igitur ex effectibus, quos expoſuimus, actionum liberarum neceſſariis, & iis quidem ſo-

ſolis, ratio certas vitae regulas conficit, (§. 40, 14, 42.) non autem ex ſolis *adventitiis* ſeu incertis. (§. 39.) Neque vero negligit hos incertos eventus, ſed eos, ſecundum regulas praevidendi probabiliter extitura, inveſtigat, eorumque cognitione utitur, non ut ſoli flectant mentem ad agendum, (id quod ſaepe fit) ſed ut augeant atque intendant momenta, quae ex effectuum neceſſariorum praemeditatione proveniunt. Haec enim *per ſe* homini, utrum agat, an non agat, deliberanti ſufficere poſſunt, ut decretum naturae ſuae conveniens faciat. Sic v. c. vera erga Deum pietas ſenſum magnae ſuavitatis ſemper habet comitem. Spectata poterit pio homini fructum afferre collectae apud homines recte ſentientes benevolentiae. Quem ſi non ferat, etiam latens & contemta ſuopte pretio eſt amabilis.

In argumentatione, quae ab *effectibus contingentibus ſeu incertis* ducitur, cave, ne ſic confidenter colligas: quod aliquoties & compluribus evenit, illud ſemper eveniet; vel ita; quod *non ſemper*, *illud nec mihi.* Rectius concluditur; quod plerumque evenit, illud noſtram quoque actionem veroſimiliter conſequetur, ſi probabile eſt, easdem cauſas exstituras, a quibus idem effectus olim natus fuit. Doctrinae copia v. c. habet *effectum neceſſarium* magnae delectationis, & inſignis in vita, etiam privata, utilitatis. Solet homini erudito honores conciliare. Non deſunt Maecenates. Ergo ab hoc effectu incerto quidem, probabili tamen, exoritur novum diligentiae incitamentum.

Neque recte ſic colligitur: poſito quodam actionum genere plerumque evenit malum aliquod grave, ergo hoc malum ex illis, tanquam ex fonte ſuo, pro-

manat. Cum enim duo ſimul eveniunt, alterum ex altero non ſemper efficitur. Ut floreant artes, luxusque effrenis inoleſcat, perſaepe eodem tempore evenit. Ideone reſpuendae ſunt artes, tanquam hujus intemperantiae *cauſae effectrices*?

Adde, vitioſe colligi; actionem aliquam malum, cum ejus eſſentia haud cohaerens, plerumque comitatur, ergo quodvis malum certo ex ea naſcetur. Sic v. c. minus, ut puto, recte hoc modo concluditur: dominatus principis arbitrarius, (*imperium deſpoticum*) per ſe cuivis civitati noxius, torporem quendam ingeniorum ut plurimum gignit, ac complures artes & diſciplinas, quae absque libertate ſentiendi ac dicendi tractari nequeunt, deprimit & extirpat; ergo omnes.

§. XLIV. Res operoſa eſt, in actionibus, quae praeſentem gignunt ſenſum ſuavitatis, aut aliquoties repetitae genuerunt, ope rationis pervidere *ſtamina* malorum remotiorum, & contra. Quamobrem multi deſerere maluerunt viam difficilem, quam multum laborare de criteriis boni malique per experientiam ex perpetuitate bonorum malorumque effectuum, (§. 40.) aut per rationem ex conſenſu pugnaque cum natura humana, (§. 42.) repetendis. Popularior & explicatior via placuit, in auctoritate eorum, qui prae caeteris conſiderati naturaeque humanae intelligentes putantur, inprimis in conſentiente populorum, eorumque cultiorum, judicio acquieſcere.

Verum minus tuto inceditur hoc itinere, quamvis trito quondam, neque iis ingrato, qui meditandi aut ignorarent artem, aut laborem fugerent. Nam cum felicitas *in re*, non in *opinione*, ſita ſit: (§. 13.) penetrandum eſt in ipſam *naturam humanam*. Haec numquam fallit, quanquam *in ejus explicatione* homines

illa

falli poſſint, atque alii aliis *opinionum* ſuarum commenta praeceptis exemplis que tradendo, ſaepe efficiant, ut errores a paucis exorti aut aſſumti ſerpant ad plurimos, & populorum conſenſu probentur, propagentur, perpetuentur. (§. 35.) Non itaque eſt, cur exiſtimes, aliam illius conſenſus cauſam eſſe non poſſe, niſi *ſenſum omnibus communem, rectam rationem.* (§. 35. 37.) Multorum errorum publice noxiorum propagines, & quandem quaſi Genealogiam oſtendere poſſet, ſi quis id ageret. Certe non eſt *vox naturae, idem omnibus videri.* Tot populi inculti pariter atque humaniores, tantaque conſpiratione, a vero aberrarunt, ut doctrina nulla felicitati generis humani ſit inimica, cui non argumentum veri ab auctoritate ductum patrocinetur. Ecquis *probare* auſit, idem omnibus, vel hominibus, vel *populis & nationibus*, videri?

Excitet nos prudentum auctoritas, vel gentium conſenſio, ut in veritatem praeceptorum vitae, quae illi dederunt, hae ſecutae ſunt, majori diligentia inquiramus: nempe, num *obſervationes naturae humanae*, quas iidem recte vivendi doctores attulerunt, cum noſtris conveniant? num regulae, quas ab illis duxerunt, ſint recte concluſae? nihilne hae affirment expedire omnibus, quod aliquibus demum, poſito definito quodam ipſorum ſtatu, convenit? nihilne, ex quo appareat, effectus neceſſarios cum *incertis* commiſceri? Si obſervationes, quibus doctrinas ſuas confirmarunt, cum noſtris conveniunt: credamus ipſis tanquam *teſtibus claſſicis*, qui *rationem ſcientiae* ſuae reddiderunt, vel quemadmodum Phyſicis fidem habere ſolemus, qui dogmata ſua *experimentorum multitudine* corroborant. Si ante *bis mille & trecentos annos* obſervatum fuit, ex actione quadam definitum aliquod malorum aut

bonorum genus *ſemper* promanare, idem ſi obſervavit poſtera & noſtra aetas, ſi nos ipſi, adhibita omni acie ingenii, eosdem exitus animadvertimus; non eſt, cur in regulis ſecundum has obſervationes conſtantes condendis ab errore nobis metuamus. (§. 40.) *Veritatem* enim *confirmavit dies*, quae *opinionum commenta delet.* Verum in re, in qua *cujusque felicitas* agitur, hominem ultro coecum hominum aeque fallacium luminibus plene confidere, & ſic concludere, hoc vel illud eſſe utile aut noxium dixerunt multi, qui rerum periti cenſentur, probarunt populi, ergo pro ratione ſtet auctoritas, ſemper periculoſum eſt, & ſaepe pernicioſum.

§. XLV. Lente ſuccreſcit rationis, (§. 36.) regulas vivendi invenientis, (§. 40, 41.) & ſecundum eas de actionibus judicantis, maturitas, ipſiusque non idem omnibus acumen obtingit. Ejus uſus apud infantes paene nullus eſt, apud complures adultos ſaepe exiguus. Fide humana minus tuto nitimur. (§. 44.) Quamobrem multis non minus optabile, quam probabile, videtur, providum Numen inſito felicitatis ſtudio peculiarem adjeciſſe animae facultatem *diſtinguendi bonum a malo*, a ratione diverſam, & hujus *uſu* priorem. Per illam effici ponunt, ut mens in ſummis actionum liberarum generibus eo temporis momento, quo earum ideam concipit, *vere* diſcernat, quae naturae humanae repugnent, quaeve conveniant, nec tamen rationem inquirat, aut quaeſitam reddere valeat, cur *haec* probet, *illa* averſetur. Evidentiae & vi hujus ſenſus non magis reſiſti poſſe contendunt, quam absque periculo vertiginis reſiſtatur *ſenſui veri*, quo mens prima cognitionis humanae principia aſſumit, aut *ſenſui interno*, quo ſe

ſe exiſtere, & ab aliis differre, ac ſua ſemet vi movere, (§. 1.) ſibi eſt conſcia.

§. XLVI. Quae quidem facultas bonum malumque ſolo ſenſu diſcernendi, utrum homini contigerit, in facto poſitum eſt. Obſervationes ſunt difficiles; partim, quod cognitu facilia quaeque, aut a teneris aliena inſtitutione cognita, (§. 35.) facile cum nativis confunduntur, partim, quod cogitationes celerrime ſe excipientes ſpatium temporis, quo ad id, quod agit, diſtinguendum anima indiget, ipſa velocitate ſua paene auferunt.

Si ſumatur, talem ſenſum ineſſe in animo, de nomine, quo appelletur, facilius tranſigetur. *Senſus* vocatur, non ut puto, quaſi *ſextus quidam ſenſus* ſit, ſed quoniam eſt pars *ſenſus interni*, (§. 45.) ab *externo diſtincti*, quo animus *ſtatum ſuum praeſentem*, absque motu manifeſto per nervos corporis ab *objectis externis* affectos praegreſſo, clare intuetur. Moralis dicitur a *re objecta*, ſcilicet *actionibus moralibus* ſive *liberis*, quarum imaginem cum natura humana conſentire aut diſſentire, perinde eademque celeritate mens ſentire dicitur, ac ſenſu externo amarum a dulci diſcernit.

De re quaeritur. Neque vero de eo controverſia eſſe videtur, num vera vivendi praecepta omnia *ſolo ſenſu ingenerato* a falſis diſtingui poſſint, ſed an aliqua? & quae? Fatentur omnes, quorundam axiomatum de *bono & malo morali* (§. 10.) eam eſſe evidentiam, ut absque ope *ideae*, quam vocant, *mediae*, absque ratiocinio, *cujus ſibi homo ſit conſcius*, pro veris a quolibet homine aſſumantur, utque facta in medium allata confeſtim quisque ſecundum ea axiomata probet aut improbet. De his quidem vitae regulis inquirendum foret, num omnes demonſtrari poſſint? num in tenella aetate ante rationis

 uſum

uſum, pro veris habeantur? Num haec perſuaſio ſit effectus antegreſſae cujusdam inſtitutionis aut imitationis eorum, quae ex aliorum dictis, factis, infans collegit? Quousque & quibus cauſis vis illa perſuaſionis diminuatur? an unquam in contrariam partem rapiatur? Nam quod non ſemper, neque apud omnes eodem gradu, vis ſenſus moralis, ſi datur, ſe exſerat; non magis probat, homini nullum contigiſſe, quam ex eo, quod conſcientia aliquando nihil habet nervorum, vel ratio deprimitur delirio, colligi poterit, nullam homini contigiſſe conſcientiam vel rationem. (§. 224.)

§. XLVII. Lubenter credimus accuratis naturae humanae contemplatoribus, *ſtamina cognitionis* principiorum de differentia *boni & mali moralis* homini ita ineſſe, ut ſentiatur eorum veritas, non autem per ea, quorum fontes (§. 40. ſeqq.) indicavimus, ratiocinia demum intelligatur. Ad hunc *ſenſum* boni, ſive recti, referri poſſe videntur veneratio inſita erga quodvis ens intelligens, viribus majoribus praeditum, in quarum uſu nulla imbecillitatis admixtio cogitatur, (§. 216.) oblectatio ex harmonia actionum moralium, ſenſus jucundus & humanitatis, & ejus, quae ineſt benignitati, amabilitatis. (§. 72.)

§. XLVIII. Vidimus adjumenta, quae, ne ignoremus, quid nobis proſit, noceatve, Dei providentia ſuppeditavit Eadem num ſuperaddidit principium aliquod actuoſum, ſeu vim concitatricem, qua pellamur, ut naturae noſtrae convenienter agamus? Hanc vim quaerentes, (§. 23.) reperimus *inſtinctus*, inprimis *conſcientiam.*

§. XLIX. Inſtinctus naturae (§. 33.) a ſenſu morali

rali (§. 45.) diſcrepant. Sunt communes hominibus omnibus, ſed non eadem ſingulis proportione inſunt. (§. 79.) Maxime differunt ab illis appetitionibus, quas longinqua conſuetudo in alteram quaſi naturam hominis traduxit.

Vis eorum non ſolum in prima, ſed & in confirmata omnique aetate ſe exſerit.

Praecipue in eventibus ſubitis, ac celeritatem conſilii depoſcentibus, & in periculis adeundis, cunctationem auferunt.

Illos veluti nervos animae affici neceſſe eſt, cum majores animi commotiones (§. 81.) excitantur.

Voluptas ipſa, (§.4.) quam recentiores philoſophi *ſenſum* vel *intuitum perfectionis* eſſe definiunt, ubi ad aliquem quaſi titillationis gradum aſcenderit, nihil eſſe videtur, niſi ſenſus jucundus mutationis cujusdam cum inſtinctu conſentientis.

§. L. Inſtinctuum illorum non ea eſt vis, ut convellant ac plane poſternant *libertatem.* Haec *ſtricte intellecta* (conf. §. 1.) eſt facultas animi vim ſuam cogitantem defigendi in praenoſcendis bonis malisque actionis cujusdam futurae effectibus, & huic diſtinctae cognitioni convenienter agendi.

Regi poſſunt inſtinctus. Reguntur autem, cum temperantur & intenduntur ſecundum regulas vivendi naturae conſentaneas. Has indagare, & ad eam, de qua deliberatur, actionem applicare, effectus alios ex aliis naſcentes ſcrutari, quid quantumve boni vel mali ſecuturum ſit, exquirere & ponderare, ſunt *partes rationis.* (§. 36.)

Cohibere inſtinctus cujusque impetum, ne ratio in eo examine impediatur, & hoc finito intendere inſtinctum, qui executioni decreti, quod ratione praelucente fecit animus, det impetum, reprimere

vim illius ſtimuli, qui eidem executioni obluctetur, eſt *munus libertatis.*

§. LI. Quem in finem provida natura inſtinctus alios aliis oppoſuit, ut ratio, rectoris ſpartam ſuſtinens, facilius imperet omnibus. Ita ſtimulum, quo quisque ad ſui ipſius defenſionem incitatur, ne transeat in exitioſam vindictae cupiditatem, ingenerata vis miſericordiae cohibet.

§. LII. Omnes animae vires naturae cohaerent. Mens, in ſua ipſius contemplatione defixa, eas tantum cogitatione ſejungit, ut ſingulas ſeorſum conſiderando, univerſas clarius intelligat. Inſtinctus itaque, ratio, libertas, non ſunt vires oppoſitae, ſed conjunctae, ut communiter operantes naturae conſiliis reſpondeant.

Inſtinctus ad *praeſens* aliquid menti gratum efficiendum, ingratumve removendum, nititur. Voluptas, quae eſt *effectus proximus* actionis, quam natura inſtimulante ſuſcepimus, etiam *vera* eſſe poteſt. Quamobrem inſtinctus non ſemper ſunt mali, inprimis in tenella aetate, vitae duces, ſed minus certi: quoniam ex ſerie demum effectuum (§. 38.) de ſingulis actionum generibus tuto aſſeri poteſt, num verum afferant bonum homini, an opinatum (*apparens*). (§. 9, 10.) Ne hac in re pernicioſe erretur, rationis lumen inſtinctibus natura adjunxit, rationi autem inſtinctus, tum ut hi illam impellant ad inquirendum, quid nobis conveniat agere, tum ut ad id, quod ratio agendum eſſe cognovit, voluntas inclinetur. (§. 50.)

§. LIII. *Conſcientiae* vocabulum complures habet ſignificatus, partim infra (§. 294.) indicandos. Hic no-

nobis eſt vis animae inſita, qua haec fertur ad contemplationem actionum ſuarum liberarum & earum collationem cum regulis felicitatis. (§. 24.) Anima dum intuetur actionis ſuae convenientiam vel pugnam cum illis regulis, ſuavitatem ex *illius* effigie, ex *hujus* imagine *aegritudinem*, confeſtim ſentit. (§. 41.) Conſcientiam hoc ſignificatu acceptam cum ſuo effectu, non a prima educatione, aut meditatione, oriri, ſed natura animae ineſſe, diligens quemque ſui ipſius exploratio docebit.

§. LIV. Voluptas, quam anima ex cognita actionum ſuarum harmonia percipit, major & conſtantior eſt quavis oblectatione & caeteris, quas poſſidet, dotibus, aut fortunae muneribus. Idem de aegritudine tenendum. Acerbum eſt vulnus, quod a caſu, ut ajunt, fortuito, acerbius, quod ab aliena malitia, acerbiſſimum, quod a propria culpa proficiſcitur. Bis & valde dolet, qui praeſentem dolorem, quo afficitur, & futurum, quem metuit, ſibi ipſi tanquam auctori exprobrat.

Quo majus eſt malum, quo urgetur animus, quodve ſibi impendere videt, quo clarius illius magnitudinem, ſuamque in eo ſibi conſciſcendo culpam intuetur, eo commovetur & vehementius & diutius.

§. LV. Conſcientia *ſublata*, uti recte dixit Cicero, *jacent omnia.* Illa quidem aliquamdiu conſopiri poteſt, dum variis cogitationibus diſtrahitur animus; tolli vero arte humana, & ne unquam vim ſuam exſerat, provideri non poteſt.

SECTIO III.

Studium hominis in ſe ipſo reperiendi fontem felicitatis.

§. LVI. Vidimus, ſummum Numen homini ingeneraſſe vivax felicitatis ſuae ſtudium, ejus obtinendae viam feciſſe certam, & hujus viae cognoſcendae inſtrumenta praebuiſſe. His nitentes adminiculis, in eruendis & connectendis vitae felicis regulis eum tenebimus ordinem, quem eadem natura ſui ipſius interpres monſtrare videtur.

Ab hac homini recens nato, adhuc ignaro, quid Deo, quidve aliis hominibus debeat, primam ſui curam commendari, obſervamus. Legentes haec veſtigia, hominem per ſe primo loco conſiderabimus; deinde ab hoc primo gradu altius aſcenſuri, vinculum illud indiſſolubile diſpiciemus, quo homo cum homine, & praecipue cum aeterno mundi effectore ac gubernatore, continetur.

§. LVII. Se ſolum reſpiciens homo, & ſuo ſe quaſi orbe continens, quas felicitatis partes expetit? 1.) Vitae conſervationem, 2.) ejus, dum decurrit, jucunditatem, 3.) cum eſt moriendum, ſpem vitae melioris. Id quaeritur, quem actionum ſuarum curſum debeat tenere, ut in his conſequendis ſe ipſum non impediat.

§. LVIII. Eſſe cupiunt homines: abhorrent ab interitu: & vehementer conantur ea removere, quae vi-

vitae prorogationi obſtant. Ratio, hujus inſtinctus naturalis, ad ſe conſervandum & defendendum nitentis, vehementiam conſiderans, deprehendit ſapiens conſilium naturae, prohibere volentis, ne ob qualescunque moleſtias acres aut diuturnas homines capiat vivendi taedium. Ratio praeterea videt, continuationem vinculi, quod animae cum corpore ſuo intercedit, eſſe fundamentum praeſentis felicitatis, & veluti atrium futurae. (§. 17.) Concludit, eo eſſe enitendum, ut vita conſervetur.

§. LIX. Mors voluntaria ob taedium vitae ſuſcepta oritur ex errore, per eam ſolam id taedium finiri poſſe, quod intolerandum videtur. Is error uti eſt certus index animi deſperantis, ita & ingenii minus perſpicacis. Nam ut tollatur malum praeſens, plerumque opinatum, (*apparens*) certe non omni conſolatione deſtitutum, (§. 31.) mali novi, gravioris, manentis, ſtatus ſcilicet poſt mortem infelicioris, certum periculum aditur.

Sumitur, mala vitae diutius ferri non poſſe. Verum multae acerbitates tolli poſſunt, fonte opinionis, ex qua manarunt, obſtructo. CATONI num ideo, quod ſemper in propoſito manſiſſet, moriundum potius fuit, quam vultus CAESARIS adſpiciendus?

Multa, quorum ſenſus eſt aſperrimus, brevi poſt, ſtatu praeter exſpectationem mutato, depelluntur, aut leniuntur.

Fuerint autem dura perpeſſu, & vix tolerabilia, quae eveniunt homini ſortem & vitam ſuam exſecranti. Quid ſolatii afferet ſui ipſius ante diem interfectio? Non certe hoc, ut omnis poſt mortem ſenſus perimatur (§. 16.) Num hoc, ut praeſenti triſtitiae, animum continuo excarnificanti, ſuccedat

dat ſenſus jucundior? Nulla eſt ſpes probabilis, dolores, qui v. c. a malo corporis immedicabili, (ſi de eo certe conſtare poſſit) aut ex conſcientia malefactorum, oriuntur, mortem ultro feſtinatam ita eſſe ablaturam, ut dolores, quos vitae male actae recordatio facit, plane ceſſent, in reliquorum autem locum non ſuccedant graviores. Dei enim beneficio patere homini theatrum jucundius, quod vitae pertaeſus quisque, quando velit, ingredi poſſit, nulla eſt ratio, ex qua concludatur. Id vero cur negetur, multae ſunt rationes; ſi everſionem ordinis naturalis in felicitate conſequenda, cum primum is a cujusque opinione, impetu, vel atra bile ſuſpenderetur, ſi analogiam naturae, & ſapientiam Creatoris, nihil, niſi id, quod homini expedit, permittentis, conſideres.

Addo effectum periculoſum, quem caedes ſui ipſius arbitraria, ſi eſſet ſecundum naturam, in ſocietate gigneret. Facile enim accidit, ut qui vitae ſuae ſit contemtor, fiat alienae dominus.

§. LX. Non ſolum eſſe, ſed & bene ſibi eſſe, cupiunt homines. (§. 11.) Primam, ut bene ſibi ſit, curam corpori ſuo impendit anima, impulſa ſolo naturae ductu. Adultiori aetate, ut eidem conſulere pergat, tum ſuavitate ex ſanitate, tum dolore ex adverſa valetudine, tum infinitis commodis ex corporis robore naſcentibus, commovetur.

Quamvis enim modus ignoretur, quo animae & corporis actiones ac perpeſſiones ſibi reſpondent, ipſum earum conſenſum experientia evincit. Senſuum, phantaſiae, memoriae, ingenii, & caeterarum virium cognoſcendi atque appetendi robur & imbecillitas multum a ſtatu corporis, vel tranſitorio

vel

vel durabili, pendent. Anima itaque ne ſe ipſam in uſu & incrementis virium ſuarum, & in perceptione verarum voluptatum, impediat, non poteſt non in eo eniti, ut integritatem, valetudinem, & vires corporis ſui conſervet atque amplificet.

§. LXI. Quamobrem viam felicitatis deſerunt, qui corpus, tanquam vile, & tanquam carcerem animae, negligunt, mutilant, quive illud quaeſitis cruciatibus macerant, non eo conſilio aut effectu, ut ejus valetudinem ac vires reſtituant, vel animum rebus feriis, praeſertim divinis, magis intentum reddant, ſed ut vires corporis atque animi frangant & imminuant.

Nititur contra hunc errorem natura, admotis ſtimulis defenſionis, famis, ſitis, & fuga inſita talis doloris. Omnem quippe dolorem naturali impulſu adducti averſamur, nullum vero magis, quam quem fuiſſe voluntarium intelligimus, niſi nos conſolari poſſimus vivida cogitatione aut doloris gravioris, qui alias evitari non potuiſſet, aut boni majoris, ad quod conſequendum unica per eundem dolorem via patebat.

Quodnam autem bonum majus eſt, cujus ſpes veroſimilis quenquam impellere poteſt, ut corpus ſuum ſanum & vegetum laceret? Opinio excellentiae? Nulla in imbecillitate ineſt praeſtantia. Mentem obdurare ad quasvis acerbitates, etiam inopinatas, patienter ferendas? Sic malum certum pro incerto eligitur, & remedium violentum minus efficax, cum ſuppeteret mitius. Sanctitas & major apud Deum gratia? Non poteſt eo facto Deus honorari, quod divinis conſiliis, per conſtitutionem naturae humanae ſignificatis, (§. 19.) refragatur.

§. LXII.

§. LXII. Anima indiget viribus corporis, ut ſuas ipſa vires extendere, iisque recte uti poſſit. (§. 60.) Vires corporis non uſurpatae non ſolum non perficiuntur, ſed & debilitantur. Ex quo concludit ratio, deſidiam non convenire homini, ſed occupationem & laborem.

Natura ipſa homines a deſidia revocat, ingenerato *inſtinctu efficacitatis*, (*activitatis*) quo nituntur ad vires, praecipue corporis, acquirendas, & eas, quas habent, uſu corroborandas. Hujus impulſus inſiti vim inprimis infantes produnt.

Nulli animantium generi magis convenit fuga otii, quam humano. Natus homo ut perpetuis virium, animi praecipue ſui, incrementis ſtudeat, diligentia continua opus habet. Nulli praeterea ſibi ipſis ſunt moleſtiores, quam qui otio maxime diffluunt

At vero, inquis, natura duce laborem fugiunt infantes. Quem? Juſſum, non variatum, ſtato tempore abſolvendum. Dividere tempus, penſa facere, & iisdem demum finitis redire ad libertatem faciendi, quod malint, vix adſueſcunt homines non adacti neceſſitate, prima educatione, & ſpe magni commodi. Habet vero & *labor*, hoc eſt, occupatio utilis certo tempori alligata, etiam ille, qui eſt *difficilis*, haud parum ſuavitatis. Spes grata proſperi ſucceſſus alit efficientiam. Effectum virium ſuarum utilem videre, eſt dulce condimentum laboris conſummati, & acre incitamentum novi.

Deſidia ab infirmitate corporis, educatione, imitatione, interdum quoque a ſuperbia, proficiſcitur. Accedente aſſuefactione ſubit ejus dulcedo: mox in venis medullisque inſidens, difficulter expellitur. Et hae cauſae, quae gignunt pigritiam, (§.40.) & mali effectus, qui hanc conſequuntur, (§. 41.) plane demonſtrant, quantopere illa naturae adverſetur. (§.42.)

§. LXIII.

§. LXIII. Naturalis homini intercedit neceſſitudo cum variis rebus, quibus circumfunditur. Illarum poſſeſſione & uſu indiget & ad vivendum, & ad vivendum jucunde, hoc eſt, ad vigorem corporis atque animi perficiendum, & ad potiundum variis verarum voluptatum generibus. Quae res quatenus conſiderantur tanquam habiles ad eum ipſum uſum hominibus praeſtandum, recte & *bonorum* (*externorum*) numero habentur, & nomine appellantur. Levis eſt veterum quorundam objectio, bona eſſe negantium, quibus ademtis aut non impetratis felicitas non tollatur. Dantur enim felicitatis partes etiam *tranſitoriae*, quarum acceſſione ipſius gradus augetur, deceſſione minuitur. (§. 7. 14.)

§. LXIV. Horum bonorum (ſive *commodorum externorum*) *pretium internum* poſitum eſt in vi, (relatione) quam habent ad felicitatem ea deſiderantis aut poſſidentis. Sunt inſtrumenta, quorum praeſtantia cognoſcitur ex uſu, cui inſerviunt, & ad quem adhibentur. Ex quo quidem pretio dijudicari poteſt, *quousque illis indigeamus*, hoc eſt, quodnam quantumve deſiderium eorum, vel conſequendorum, vel retinendorum, ſit naturae conſentaneum.

Duplex vero eſt genus *indigentiae verae*, alterum *abſolutae*, (phyſicae) alterum *hypotheticae*. (relativae.) *Haec* quibusdam hominum in ſocietate viventium claſſibus *propria* eſt. Oritur ex ipſorum *ſtatu adventitio & artificiali*, (e. c. *honoribus publicis*) quo fit, ut ad ſua ac communia & mala depellenda, & bona amplificanda, multis rebus indigeant, quibus alii diverſae conditionis homines, absque felicitatis ſuae & communis damno, deſtituuntur.

Indigentia abſoluta, apud omnes eadem, de iis rebus

bus intelligitur, quarum privatio vel vitam, vel ſecundam valetudinem, vel vigorem corporis & animi, deſtruit aut diminuit.

Ex magnitudine malorum, quae earum rerum privationem conſequuntur, hujus indigentiae gradus aeſtimari poteſt.

§. LXV. Naturam eſſe paucis contentam, arctoque contineri ambitu indigentiam *abſolutam*, (§. 64.) *Nomadum*, vetuſtarum gentium bellicoſarum, praecipue Borealium, & hominum tenuiorum vita ſimplex eademque jucunda demonſtrat. Nihil habenti *Abdolonimo* nihil deerat quoque.

Verum ut extendantur termini indigentiae, & multo latius pateant hominum, quam naturae, deſideria, efficitur, & quidem praecipue in ſocietatatibus majoribus, *prima educatione*, *imitatione*, *&* *aſſuefactione*.

Multa habendi, quae ſingula aliquantum voluptatis poſſeſſori afferunt, ac quibus ea, quae placent, poſſunt redimi, aut multa habentes aemulandi, conſuetudo parit conſuetudinem multa deſiderandi.

Plerumque in definiendis vitae neceſſitatibus primum homines *ſervire* ſolent aliis, mox ſibi. Sic pretium majus bonis minus neceſſariis (§. 64.) perinde ac ſi eſſent ſumme neceſſaria, ſtatuere adſueſcunt; utut ſi eorum uberiorem habeant copiam, non fiant beati, ſi parvam aut nullam, non re, ſed ſua opinione, ſint miſeri. Quam qui conſuetudinem contraxerunt, in aeſtimatione rerum, quibus indigeant, ab aliena opinione pendendi, illi quo avidius expetunt res minus neceſſarias, eo magis ſolent eſſe avari in rebus neceſſariis comparandis & aeſtimandis. Quod dant corpori, id detrahunt cultui animi; prodige curant ornamenta cor-

po-

poris, & negligunt valetudinem. Divitiarum honore capti, cum ob eas magnifieri gaudent, ſed illis metuunt uti, ſemper egent.

Ex iisdem cauſſis intelligi poteſt, qui fiat, ut magna non ſolum inter homines diverſos ſit convenientia vel diverſitas idearum de indigentia, ſed & earum in eodem homine, diverſis temporum articulis, magna quandoque viciſſitudo.

§. LXVI. Eſt autem malorum ferax opinio ejus indigentiae, quae a *ſola imitatione & aſſuefactione* oritur. (§. 65.) Torquere ſolet animos continuis deſideriis, aut continuo carendi metu. Non defuere, qui cum cauſam hujus mali ponerent in nimia mentis proclivitate ad voluptates ſenſuum expetendas: has fere omnes a notione felicitatis excluſerunt.

Suntne igitur hae voluptates repudiandae, tanquam per ſe noxiae, bona vero, quae illas praebent, levis aut nullius pretii? An hoc demum eſt vivere, ejusmodi res perinde pro nihilo ducere, ac quondam eas habuit *Scythes Anacharſis?* qui *Hannoni* dona oblata remittens, in haec verba reſcripſit: *mihi amictui eſt, Scythicum tegmen, calceamentum, ſolorum callum; cubile, terra; pulpamentum, fames; lacte, carne, caſeo veſcor* &c.

§. LXVII. Quamvis voluptates ſenſuum ſint *breves, ſine varietate fiant inſipidae, & cum aetate tranſitoriae;* ideo non ſunt falſae. (§. 9.)

Licet aliquando animos efficiant molles: non omnes tamen corrumpunt, nec quemquam neceſſario. (§. 43.) Anima potius iis indiget ad vires ſuas conſervandas ac perficiendas.

Denique natura ſuas offert copias hominibus, hosque ſic formavit, ut iis & poſſint frui, & cu-

 piant

piant. Proinde eo eniti, ut res, quae ſenſus externos ſuaviter afficiunt, omnes deſpicias, eſt naturae, felicitati hominum optime conſulentis, beneficia adſpernari. (§. 20.)

§. LXVIII. Nocent voluptates, quibus aſotorum vita diffluit. Nam perceptae corpus & animam enervant.

Porro ea voluptatum per ſe innoxiarum cupiditas, *multitudo* & *variatio* exitioſa eſt, quae extinguit laboris neceſſarii igniculos, tempus dandum negotiis aufert, facitque, ut homo in malis effugiendis, & in bonis majoribus acquirendis, ſibi & aliis, vel omnino, vel *tempore opportuno*, deſit.

Non autem uſus, ſed *opinio indigentiae* (§. 65.) eas quoque efficit noxias, quae longinqua conſuetudine in res ad vivendum neceſſarias tranſierunt. His uti, nihil habet mali, ſed carere non poſſe, & ſolo carendi metu excruciari, plenum eſt malorum. Quorum malorum, quibus qui ſe in voluptates, quamvis per ſe haud pernicioſas, immergunt, haud infimum eſt illud, quod implentur faſtidio ſui (*languore*) ex inopia occupationis. Triſtis profecto ſors hominum, quibus in exiguo vitae cito decurrentis termino nulla v. c. alia optio ſupereſt, niſi aut ludum, cui adſueverunt, ludendi, aut oſcitandi!

Id faſtidium ſui eſt vel *temporarium*, vel *perpetuum*. Illo fit, ut voluptarii, in voluptatum praeteritarum & novarum intervallis, ob inanitatis ſuae conſcientiam, ſe ipſos fugiant. Iidem *taedio perpetuo* enecantur, cum, ingraveſcente aetate, rigentes corporis nervi, ad ſuppeditationem & ad ſenſum talium voluptatum inertes, vitam efficiunt languidam, torpentem, moeſtam.

§. LXIX.

§. LXIX. Neque vires corporis, neque bonorum copia, horumque uſus rationi conſentaneus, ſufficiunt ad feliciter vivendum. Nam haec ſunt caduca, corporis vires infinitis caſibus expoſitae. Anima igitur, certam ut ſpem ſtabilioris delectationis concipere poſſit, in eo elaborare debet, ut ſe non quaerat extra ſe, ſed ut perennem voluptatis fontem in ſe ipſa recludat.

§. LXX. Id efficiendi viam natura indicavit. Ingeneravit tantam cupiditatem ſcientiae, ut ad rerum cognitionem *nullo emolumento incitati* rapiantur homines. Eleganter CICERO *mihi quidem Homerus*, inquit, *hujusmodi quiddam vidiſſe videtur in iis, quae de Sirenum cantibus finxerit. Neque enim vocum ſuavitate videntur aut novitate quadam, & varietate cantandi, revocare eos ſolitae, qui praetervehebantur, ſed quia multa ſe ſcire profitebantur, ut homines ad earum ſaxa diſcendi cupiditate adhaereſcerent.*

In primis acrior infantibus ineſt cognitionis amor, quoniam eorum intellectus, tabulae raſae non diſſimilis, celeriori multarum idearum & adeptione & conjunctione indiget.

Praeterea inventio ac dijudicatio veri, praeſertim perſpicientia nexus veritatum, permultum ſuavitatis, & ejus quidem *conſtantis*, habent, ac mentem quodam dignitatis ſuae ſenſu dulciſſimo erigunt. Hujus itaque ſuavitatis adipiſcendae & fruendae ſtudium *ſyſtemate* (*diſciplina*) *felicitatis naturalis* (§.29.) comprehendi, ex hoc ipſo *naturae*, eam dulcedinem cum ingenii cultu conjungentis, *facto* (§. 19.) intelligitur.

§. LXXI. Reputantes haec ingenii excolendi incitamenta & cum iis conferentes magna, quae

ex ignorantia & errore naſcuntur, incommoda, concludimus, eo eſſe enitendum, ut 1.) *ſuas ipſius vires perficiat* anima, iisque utens, 2.) quantum poteſt, *copiam cognitionis utilis* in ſuo quaſi fundo colligat.

Perficit vires ſuas, cum facilitatem acquirit, iis recte utendi. Debilitas & corruptio ipſarum eſt poſita vel in uſu earum naturae contrario, vel in difficultate quadam & lentore, mentem iis uti volentem impediente. v. c. *Senſus externi* perficiuntur, cum multas res praeſentes ſimul clare & vere menti exhibendi facilitas comparatur. Similiter *guſtus*, ſive *ſenſus pulchri*, perficitur, cum mens facilitatem conſequitur, *naturale* diſcrimen inter id, quod pulchrum eſt & deforme, *clare* ac *vere* intuendi. Omittimus vires reliquas, in quibus explicandis verſantur pſychologi.

§. LXXII. Cognitionem *utilem*, cujus acquirendae ſtudio anima, felicitatis ſuae amans, tenetur, (§. 71.) vocamus eam, quae malis hujus vitae propellendis aut leniendis, bonis vero augendis, inſervit, praecipue illis bonis, quorum fructus poſt mortem propagantur. Pretium hujus cognitionis ex magnitudine bonorum aeſtimandum eſt, quorum adeptioni adminiculatur, & ex difficultate ac perpetuitate operae, ſine qua eam non poſſumus aſſequi, conſervare, augere. Alia ſcientia indigemus ad res gerendas, alia ad recreandum animum, cum confectis rebus neceſſariis vacamus negotiis, alia nutrit *deſidioſam* quodammodo *occupationem*, ne plane nihil agendo homines minuto ingenio praediti ſibi ipſis ſint moleſti & intolerabiles.

§. LXXIII. Ex his patet artium & diſciplinarum

rum praeſtantia. In viribus enim animae perficiendis uſum praeſtant, & uberiorem cognitionis utilis ac jucundae copiam ſubminiſtrant. Hac efficitur, ut acuantur eorum ingenia, quorum eſt, praeeſſe aliis, & negotia publica adminiſtrare, privati vero, quieti, quam Muſae amant, paulatim adſueti, non ſolum feritatem exuant, ſed & tempus a negotiis vacuum jucunde, ſine cujusquam noxa, ſaepe cum aliorum commodo, tranſigere poſſint, & vitare errata, quorum fons eſt *conatus ſe liberandi a moleſtia*, quam occupationis laborisque penuria parit. In gente inculta eademque numeroſa ſupereſt magna pars hominum, quae vacat laboribus agriculturae, opificiorum neceſſariorum, & munerum publicorum Haec ne ſui taedio enecetur, aut emigrat, aut ſolis vacat corporis exercitationibus, perſequitur feras, bella hominibus parat, quaerit, infert; reliquo tempore *dedita eſt*, ut inquit Tacitus, *ſomno ciboque.*

Barbaries per ſe quidem non eſt plena ferociae & feritatis. Vita populorum incultorum agreſtis, paſtoritia, venatica, vaga, differt a vita omnino *animali.* Plus id genus hominibus ſaepe praeſtat ignorantia mali, quam cultioribus populis cognitio boni. Sed minoribus tamen periculis malorum, quae ab ignorantia, & inprimis ab errore, &, ut dixi, a *taedio ſui ipſius ob abundantiam otii*, naſcuntur, expoſitum eſt ingenium expolitum, quam rude & iners, omnis culturae inſuetum & impatiens.

§. LXXIV. Neque vero ingenio ſummo, & inſigni rerum ſcientia, praeditum recte dixeris beatum, ſui potens ſi deſit animus. Aliud inſuper robur mentis exigitur, ut ſis felix. Non quaevis enim cognitio *vera & diſtincta*, etiam boni & ma-

li, ſuccurrit homini eo momento, quo agit, aut cum ſuccurrit, non eſt viva, id eſt, vim non habet flectendi animum, ut eligat, quod optimum fore cognovit. Aliud ſaepe libido, mens aliud ſuadet, atque praeponitur ſtatus, ad quem non haec, ſed illa, impellit. Tunc anima, quodammodo invita, nec *ſine ſenſu voluptatis ac doloris mixto*, (§. 5.) videt quod placet, ſibi nociturum, videt clare, ac tamen eligit. Quem latet indomitus *Medeae* furor, cogitantis, quantum eſſet nefas, quod moliretur, & tamen coeco atque effreni impetu in ſcelus immane ruentis? Quem *Myrrhae* dubitantis, cunctantis, ſaepe gradum revocantis, trepidantis, libidinoſus in torum patris ingreſſus? Quae cauſa mali? Quod remedium?

§. LXXV. Fons mali proximus eſt error. Vel enim falſum pro vero bonum (§. 9. 10.) eligitur, aut malum opinatum, quod vere bonum erat, declinatur, confuſis utriusque notis: vel erratur in dimenſione boni & mali, dum minus majori praeponitur. Quod bonum & malum ſit majus, quodve minus; ex iis, quae de voluptatis aeſtimatione dicta ſunt, (§. 7.) ſupra collegimus. Igitur quatuor modis fieri poteſt, ut mens, dum eligit & agit, a vera felicitatis ſemita aberret.

§. LXXVI. Utrumque erroris genus (§. 75.) vel oritur ab ignorantia verarum felicitatis regularum, (§. 24.) cui quemadmodum ſit medendum, vidimus; (§. 71.) vel ab imbecillitate libertatis. Libertas (§. 50.) languet, cum mens *inopia virium attentionis* laborat, id eſt, cum majus ac difficulter ſuperabile ſentit obſtaculum, remotis diverſi generis cogitationibus, ſeriem effectuum actionis ſuae praemeditandi, eos ponderandi, & huic demum

clarae

clarae & verae cognitioni convenienter decernendi, quid ſibi expediat, ac decreta ſua efficiendi.

Cum *libertas*, (uti ex *ſuperiore definitione* (§. 50.) apparet,) ſit vis animae dirigendi rationem ad judicandum de facto ſingulari, pro diſtincta cognitione futurorum ejus effectuum: patet, quamvis absque *rationis* uſu nulla ſit libertas *proprie* dicta, tamen non poſſe concludi, in quo homine magnum inſit *robur rationis*, in eo ſemper ineſſe plurimum libertatis.

§. LXXVII. Hujus imbecillitatis cauſae, quatenus eas experientiae & rationis ope ſcrutari valemus, ſunt aliae propiores, aliae remotiores. Propior cauſa eſt nimis vivida cogitatio effectus cujusdam grati proximi, quae vel omném obfuſcat cogitationem effectus acerbi diu poſt exituri, vel hanc reddit inefficacem, inertem, vi movendi paene omni deſtitutam. Quod quemadmodum eveniat, ex iis, quae (§. 8.) indicavimus, cognoſci poteſt. Inter facultates, in quas vis intelligendi vulgo dividitur, ea, qua providemus futura, eſt debilior illa vi, qua *praeteritorum* recordamur, & id, quod *praeſens* eſt, ſentimus. Ea tamen, quae cum praeſenti & praeterito ſtatu noſtro ſunt propius connexa, clarius praevideri, & animum validius afficere ſolent. Adde, temporis brevitate, & ſic velocitate, qua mens boni malive futuri magnitudinem, probabilem adeptionem, appropinquationem, videt & quaſi ad calculos revocat, augeri motum, quo ad alterum alteri anteponendum fertur. Qui motus adeo mentem tenere & quaſi claudere poteſt, ut cogitationi contrariae vel plane non pateat, vel non diu, vel certe non eo, ut in contrariam partem trahatur, effectu.

Proponantur duo mala, alterum grave & proxi-

mum, alterum gravius, ſed remotum. Mens videt illud cum praeſenti ſtatu ſuo propius, quam hoc, connecti; malum remotum vero, ob multos caſus, qui intervenire poſſunt, non tanquam aeque certum & praeſens intuetur. Qualemcumque inſuper ſpem concipit, poſſe illud evitari, modo proxime inſtante, quo ſe urgeri putat, malo privetur. Quanto celerius mentem ſuppeditandis ſimilium malorum imaginibus, *quae perpeſſa eſt aut ex aliis cognovit*, phantaſia agitat: eo vividius intuetur malum proxime inſtans, tanquam praeſens, idque *praeſentire* incipit. Quamobrem optione facta, malum remotius eligit, ut praeſenti anxietate liberetur. V. c. motu nimio praefervidus poſcit frigidam. Negat amicus. Mortis ſubitae periculum minatur. Sed torquent hominem fauces aridae. Bibit & expirat.

§. LXXVIII. Cum brevitas temporis, intra quod anima percurrit momenta ad agendum, augeat efficientiam cognitionis, hoc eſt, vehementiam impulſus a cognitione exorti: (§. 77.) patet, cur *diſtincta* ejus, quod expedit aut nocet, cognitio *minus valide* inclinet voluntatem. Nam ut talis cognitio fiat diſtincta, diuturnior exigitur intentio mentis ad cogitanda actionis effecta, alia poſt alia, tum propiora tum remotiora, quorum tarda anatome debilitat vim impulſus. Sic effici poſſe videtur, ut boni malique cognitio, cum incipit admodum diſtincta fieri, actuoſa eſſe atque inflammare deſinat.

Quod ne eveniat, quid faciendum? Mens adſueſcat, effectus remotiores aeque attente & clare videre, ac videt proximos, & illos ſibi perinde, ac ſi eſſent praeſentes, ante oculos proponere.

Anima eos *intueatur* neceſſe eſt. Nam ſi verba tantum, quibus illi effectus enuntiantur, cogitet, rem

rem ſimul non cogitet, hoc eſt voluptates, quas poſt ſuperatum dolorem proxime imminentem ſit perceptura, dolores, quos, ſi ſecus fecerit, vel non poſſit effugere, vel veroſimiliter non ſit vitatura, haec inquam, ſi non admodum clare & ad movendum apte cogitet: iners erit cognitio boni & absque igniculis. Sic judex jurantem moniturus, ne pejeret, multis locis non ſatis habet, mala divinitus imminentia generatim minari. Fulmina Jovis, in hac quoque vita metuenda, enumerat, ſymbolisque quaſi repraeſentat, ut jurans in ea, tanquam haud vitabilia, imo cervici ſuae imminentia, intuens, viſu, auribus, praeſenſione, perculſus horrorem perjurii co ncipiat.

§. LXXIX. Ad cauſas libertatis languentis remotiores, quatenus eas experientia & ratio aperiunt, praeter neglectum rationis cultum, referimus indolem nativam, propenſionem dominantem, concitatiores animi commotiones, quae vulgo dicuntur *affectus*.

Indoles nativa (temperamentum, temperatio mentis) eſt *proportio nativa inſtinctuum naturalium.* Hac aeque differunt homines alii ab aliis, atque *ingenio* latius dicto, hoc eſt, *nativa proportione virium cognoſcendi.* Hujus differentiae cauſa haud diſtincte intelligitur: aliqua eſſe poſita videtur in diverſa corporum conſtitutione. Num & in *matris gravidae conditione phyſica & morali?* Id affirmate dicere, non auſim.

Differt haec indoles ab ea, quam cum forment educatio, imitatio, longinqua adſuefactio, recte appellaveris *mixtam.* Partim enim cum homine naſcitur, partim eſt artificialis, & a cauſis, quas indicavimus, profecta progredientibus annis ſupervenit. (vulgo: *character hominis.*)

In-

Indoles *nativa non tollit* libertatem. (§. 50.)

§. LXXX. Propenſio *dominans* oritur ex adſuefactione, aliquod jucunditatis genus prae caeteris prono & conſtanti impetu expetendi. Unde ſenſim naſcitur firma & perpetua mentis inclinatio, quidquid tanquam jucundum proponitur, illud ad hunc quaſi lydium lapidem exigendi, impenſe appetendi ei conſentanea, celeriter fugiendi contraria, & mentis intentionem revocandi ab iis fixe cogitandis & expetendis, quae cum hac animi affectione nullam, aut certe haud propinquam, habere cognationem videntur.

Efficit itaque *propenſio dominans* (veluti cupiditas immoderata dominationis, ludendi, nihil, ut ait HORATIUS, jucundum putandi, niſi *vivere in amore jocisque*) inertiam & *quaſi paralyſin* virium, res quasque expetendas aut fugiendas aeſtimandi ſuopte pretio. Injicit menti hanc ſervitutem: ut quidvis bonum & malum ex convenientia, aut pugna cum ea ſibi alte infixa affectione judicet ac metiatur. Quo fit, ut quandoque parum curet, quibus ſubſidiis, bonis an malis, propoſitum aſſequatur. Ita *Guilielmus* I. Rex Angliae venatui deditus 30 leucarum ſylvam facturus, deſtruxit templa, monaſteria, domos, ut ubi hominibus praefuerat, ibi feras venaretur.

Hujusmodi ſervitus cum aegre ſanetur, tempeſtive providendum, ne inoleſcat. Providetur autem 1) conſtanti & vivida cogitatione mali eam conſequentis, 2) exercitatione, ſibi, quae cum ea propenſione arctius cohaerent, quamvis innoxia & bona multum & diu negandi; 3) intentione animi perpetua in cognitionem & deteſtationem adulatorum, qui inveteratas aliorum propenſiones callide explo-

plorant & alunt, ut deglubant credulos, aut iis dominentur.

§. LXXXI. Affectus (§. 79.) (permotio animi) eſt ſtatus animae bonum malumve aliquod ſibi admodum lucide exhibentis, ac vehementius appetentis vel averſantis. Minus accurate *paſſionis* vocabulum huic motui accommodatur. Maxime enim *actuoſa* eſt anima, cum agitari *affectu* dicitur: partim, quod magna vi revocat imagines gratas aut acerbas *praeteritas*, quas cum idea, ex qua ortus eſt motus, velociter conjungit; partim, quod reſiſtit cuivis ideae diverſi generis, in primis autem cuicunque ideae contrariae, ne in ſuum quaſi fundum penetret, lucemque illius ideae obfuſcet, cui totam ſe vacare ſentit. Jocoſum moeſtus, triſtem hilaris, mitem iratus, Catonem amans deſpicit, non audit, repellit.

Commotiones (affectus) differunt a ſedatis (ſeu ordinariis appetitionibus) vehementia & brevitate impetus, quandoque & celeritate, qua commotio naſcitur, cum hae ſaepe a praegreſſo ratiocinio lento, illae plerumque ſubito oriantur.

Prima aetate homines *velocitate ortus & interitus harum commotionum* parum diſcrepant. Celeres & effrenes motus mens infantum capit. Videre, ardenter cupere, cupitis potiri, & ſatiari, apud illos puncto temporis diſtant. Ut aetas procedit, ita celeritas concipiendi & extinguendi flammas plerumque minuitur. Differunt vero adulti homines affectuum celeriori aut tardiori ortu, vehementia, & duratione, pro diverſa conditione corporis & indolis (*temperamenti*) proque variis phantaſiae, memoriae, facultatis futura praevidendi viribus, pro cujusque ſtatu praeſenti, cum aeſtus animi incipit, pro celeritate varia, qua, quae motum augent, concurrunt,

(§. 8.)

(§. 8.) pro diverſa difficultate obtinendi, quod cupiunt, vel evitandi aut tollendi, quod declinant. (Difficultas enim auget impetum, veluti *amoris*, *miſericordiae*, *cupiditatis occulta ſciendi.*)

Ad ſummum venit commotio animi, cum clariſſime, quamvis ſimul confuſe, animus id unum cogitat, quod affectum excitavit, *maxima vi arcet ideas diverſi generis*, & *acerrime irritatur ideis contrariis*, quas per modum *ratiocinii* afferunt monitores.

Evaneſcit per ſe defectu virium animi, diutius hanc quaſi nervorum ſuorum contentionem ſuſtinendi, vel contrariis perceptionibus *fortioribus* in animum *ſubito* illatis. V. c. Frangit hominem frementem improviſus viri adventus, quem metuit aut veneratur.

Paulatim deferveſcit aeſtus, cum novae ac varii generis ideae obrepunt in animum. v. c. cum quis originem ac cauſam ejus, qua agitatur, commotionis continua orationis ſerie enarrare incipit.

Affectus non omnes ſunt indicium libertatis eo, quo fervent, tempore ita proſtratae, ut homini noceant. Hinc cum veteribus quibusdam *perturbationes* dici, & ad *intemperantiam* referri, univerſe non merentur. Bona enim alia ſunt digniora aliis, quae expetantur. Impetus itaque voluntatis par ipſorum magnitudini, & rectae, quamvis *confuſae*, eorundem cognitioni, per ſe non eſt contra naturam.

Quemadmodum idcirco non mala eſt veri aliquanto abſtruſioris indagatio, quod tantam ingenii contentionem exigit, ut anima ſubortam debilitatem ſuam ſentiens, virium reſtauratione indigeat: uti a labore homines abſterrere non debet ſequens corporis defatigatio: ſic nec quivis affectus nocet, licet motum animi ac corporis majorem excitando, aliquam infirmitatem relinquat, brevi tollendam.

§. LXXXII.

§. LXXXII. Nocet vero affectus, 1) quo quis fertur ad ea expetenda, quae fugere, aut ad ea fugienda, quae expetere debebat: 2) qui usque adeo movet animum & corpus, ut malum, ex hujus motus vehementia ortum, ſuperet bonum, ad quod conſequendum nititur. (§. 75.)

§. LXXXIII. Ne affectus ex *falſo judicio* de bono maloque oriatur, remedium neceſſarium eſt, emendare cognitionem de notis boni malique veri & opinati. Remedium pro tempore ſalutare eſt, fugere praeſentiam eorum, quae mentem irritant & coecant.

Ne commotio animi, ex vero judicio orta, *modum excedat:* cauſae ejus vehementiae, tum *propiores*, tum *remotiores*, indagandae, & quantum fieri poteſt, removendae. *Illae* vel 1) a ſtatu praeſenti corporis pendent, cum mens exardeſcit, vel 2) a multitudine idearum ſimilium, *celeriter* (§. 8.) ope ſenſuum & phantaſiae aſſociatarum, quae tam valide urgent, ut aeſtus cum ad ſummum gradum pervenit, ſua ſponte deferveſcat. (§. 81.) Sic ne ira inflammeris, cujus vehementia ſaepius a vetuſto ejus, qui bilem movit, odio naſcitur, mens tempeſtive corrigenda eſt, ne occaſione data fluctibus ſuis componendis imparem ſe eſſe ſentiat.

Inter cauſas *remotiores* referimus *propenſionem dominantem*, (§. 80.) & frequentiam ejusdem commotionis: haec enim cum venit in *conſuetudinem*, oritur impotentia virium, eidem naſcenti reſiſtendi.

Eadem conſuetudine fit, ut manentes motuum inveteratorum notae vultui quandoque imprimantur. Ad quas indagandas & explicandas comparata eſt *ars phyſiognomica*, utilis ea quidem in magnis praecipue coetibus, ſi intra *artis conjecturalis* termi-

minos coerceatur, valde autem noxia, ſi id *pro certo* ſumatur, quod nihil eſt, niſi unum de multis iisque ambiguis ſubſidiis, ingenium, indolem, vires, imbecillitatem hominum nondum ſatis cognitorum inveſtigandi.

§. LXXXIV. Libertas (§. 50.) non impedita, id eſt, ſubmotis efficacitatis ſuae obſtaculis actuoſa, vulgo dicitur *moralis.* Hujus primus gradus eſt, cauſarum, quae ejus imbecillitatem gignunt, ſive impedimentorum, ipſius efficaciae obſtantium, cognitio, & tentata amotio.

Creſcit libertas pro ea ratione, qua cauſae aliae atque aliae ejus vim impedientes enervantur ac tolluntur. Major ejus gradus eſt is, quem appellamus *robur mentis.*

Hujus roboris duae ſunt partes praecipuae, altera in *victoria ſui ipſius* poſita eſt, altera, in *fortitudine & patientia.*

§. LXXXV. Se ipſum vincit, qui id, quod magnam voluptatem, inprimis cum praecipua propenſione ſua propius connexam, eamque imminentem, ſpondet, facile, absque angore, inſtinctu contrario haud obluctante, rejicit, ut majori bono olim potiatur. Hoc bonum deſideratum quo eſt remotius, vel quo magis *recta via* alios homines beat, ipſum vero, qui cupiditati ſuae frenum injicit, demum *oblique & parvo*, vel *nullo*, *commodo externo* afficit, eo eſt *nobilior* ſui ipſius victoria.

Serenitas mentis, qua is, qui ſe ipſum vicit, perfruitur, ſpes probabilis fore, ut jactura, quam fecit, meliori fructu compenſetur, tacita veneratio, quam talis indoles cuivis ſpectatori, etiam invido, incutit, (§. 47.) evincunt veritatem hujus re-

regulae; ut ſis felix, vince te ipſum.

Quo acriores ſunt ſtimuli, quibus mens a recto tramite dimoveri poterat, quo fortius & celerius eorum vim per cogitationem vivam ejus, quod ſibi vere expedit, ſupprimit ac contundit: eo eſt liberior, ſuique potentior. *Illa fuit vera* (de C. Jul. Caesare refert Plinius) *& incomparabilis invicti animi ſublimitas, captis apud Pharſaliam Pompeji M. ſcriniis epiſtolarum, iterumque apud Thaspam Scipionis concremaſſe ea optima fide, & non legiſſe.*

§. LXXXVI. Dolorem, praecipue acutum, utut natura impellente refugiamus, ratione tamen ſuadente, aliquando expetamus oportet. Id vero facere, in poteſtate noſtra poſitum eſt. Uti ſenſus mali gravioris, quo premimur, obtundit ſenſum minoris: ita & metus doloris vehementioris futuri vincere poteſt metum levioris proxime inſtantis. Exigitur duntaxat, ut mens in ſe ipſa ſpem probabilem boni magno digni appetitu valide exſuſcitet, & hoc modo ſupprimat *formidinem doloris*, ſine quo illud conſequi nequit, vel ut ea, quae metum mali gravioris in ſe ipſa efficere, & alere, & intendere poſſunt, ſibi vivide exhibeat, velut certe extitura, niſi mali, licet acerbi, minus tamen gravis, adeat periculum.

Alacer & promtus ad hanc deliberationem, & ad hoc decretum faciendum animus appellatur *fortitudo.* Haec itaque eſt robur mentis (§. 84.) poſitum in promta ſuſceptione periculi ſumme veriſimilis magnorum malorum impendentium, ad vitanda mala *vere* graviora, licet remota. His notis facile diſtinguitur tum ab *inconſiderata temeritate*, tum a ſtupida periculorum inſtantium ignoratione, *audaciam coecam* impellente. Neutram *proſper eventus* excuſare, & a ſtultitiae nota abſolvere, poteſt. Qui

D ſint

ſint *gradus fortitudinis*, ex definitione facile colligitur.

§. LXXXVII. Fortitudo cum nos a majoribus malis liberet, ac viam bonis amplioribus adipiſcendis aut conſervandis aperiat, conjuncta eſt cum felicitatis ſtudio.

Cumque ſingulare robur virium mentis prodat, omnibus videtur venerabilis. (§. 47.) ALEXANDER SEVERUS, ut hoc utar, cum ei nuntiatum esſet, *milites lavacris & deliciis* vacare, omnes in vincula conjici jubet. Mota ſeditione a legione, cujus ſocii erant in vincula conjecti, milites circumſtantes graviter alloquitur, & quidem armatos. Tumultu orto eos increpat. Cum vehementius fremerent, ac ferro minarentur, *deponite, inquit, dextras contra hoſtem erigendas, ſi fortes eſtis; me illa non terrent.* Fremere pergunt. At ille exclamat: *Quirites diſcedite, & arma deponite.* Mirando exemplo, inquit LAMPRIDIUS, *deponunt arma, etiam ſagula militaria, omnes non ad caſtra, ſed ad varia diverſoria receſſerunt.* Intrepidus ſibi *venerationem* parit, veneratio frangit inſolentiam.

Ad excitandos fortitudinis igniculos non eſt opus continua periculorum conſuetudine & quaſi familiaritate. (v. c. bellis perpetuis, ut impavidus militum animus in Rep. militari conſerverur.) Illis remediis utendum eſt, quae vividam efficiunt aluntque cogitationem mali majoris inſuperabilis, trepidationem & ignaviam conſequentis.

Timiditas & ejus gradus ſupremus, ignavia, oritur a variis cauſis, veluti *a ſtatu corporis*, *indole nativa*, *educatione*, *ſemper aut plerumque infauſto conſiliorum ſucceſſu.* Nocet, quia deterret hominem a pluribus bonis rebus conandis, & a malis aliorum auſibus impediendis, atque invitos male agere cogit. Implicat homi-

minem incommodis, quae fortitudine averti poterant, & malos homines, ut audentius noceant, patiendo invitat. Nimis timendo auges timendi cauſas.

Poteſt autem corrigi timiditas, inſtitutione, meditatione, exercitatione.

§. LXXXVIII. Mala, quibus urgemur, natura ſtimulante nos tanto magis averſari neceſſe eſt, quanto minus veroſimilis nobis videtur eorum depulſio. Id quod accidit, cum ipſorum cauſas ignoramus, aut has ſubmovere, vires noſtras ſuperat.

Succumbit dolori, qui totus eſt in ejus gravitate, & veroſimili perennitate, cogitanda. Is ad moerorem intendendum varias acerbitates, a phantaſia & memoria ſuppeditatas, undecunque arripit & accumulat. Ita fit, ut cogitationes triſtes, inprimis una primaria, in anima dominentur. Senſim animo ſemper afflicto & moerenti cauſae, cur eſſe malit, quam non eſſe, ad minimum redigi videntur. Succedit ſummus triſtitiae gradus. Is vero eſt, ſi quis ne quidem infimum felicitatis gradum ſibi ſupereſſe putet, omnique jucunditatis ſenſu peremro, cupiat non fuiſſe, denique optet, eſſe ut deſinat. (§. 14.)

Haec alte infixa menti & inſuperabilis cogitatio miſeriae non eſt effectus neceſſitatis cujusdam phyſicae effrenate dolendi, ſed vitium hominis, libertate ſua non tempeſtive utentis.

Remedium minus naturale adverſus nimiam aegritudinem eſt illud, quod commendarunt *Stoici*, nempe ſtudium faciendi, ut mens ad omnem doloris ſenſum percalleat, atque induat apathian. Faciendo enim, ſi fieri poſſet, ne quod ſentias malum, minus gauderes, ac majus tibi malum conſciſceres. Mens obdurata teneritatem non magis recuperare valet, cum eſt opus, quam, poſt ſtuporem remediis ſo-

poriferis contractum, aegrotus priſtinum vigorem. Inſuper talis vita *unius coloris*, ut quidam veteres eam vocant, foret vita nullius ſaporis.

§. LXXXIX. Obtundere ſenſum mali nimiis voluptatibus corporis, (v. c. ebrietate & quovis luxurioſo vivendi genere) eſt facere dulci veneno, ut malum ingraveſcat.

Verum praeter lenimentum ex religione, & ex longinquitate dolorem minuente, ſupereſt menti ſolatium, quod a ſe ipſa ſumat. Praevidenda ſunt tela, animusque ad omnem eventum parandus eſt: arti praeterita obliviſcendi ſtudendum: comparandae plures voluptatum cauſae, ut quibusdam ſubductis quaedam ſuperſint, quibus recreeris: explorandum, num *poſſit* ſtatus praeſens *in meliorem converti? num hic eventus ſit veriſimilis?* ſpesque, fore melius, alenda eſt. Praeter hanc meditationem, conſuetudo quoque & exercitatio multum valent, ut dolorem toleranter patiaris. Pugiles veteres non ingemuerunt caeſtibus contuſi, ne vultum mutarunt quidem.

Robur mentis, dum malis urgetur, vivide cogitantis cauſas voluptatum, quae ſuperſunt aut comparari poſſunt, illisque fruentis, his potiri conantis, appellatur *patientia.* Huic ſtudendum, tanquam remedio doloris, ex malo orti, vehementiam, veluti fluctum a ſaxo, frangendi. Neque enim tam ſenſus doloris efficit moeroris gravitatem, quam angor ei ſocius, ne is dolor diu ſit tam vehemens, ut quemvis jucundi ſenſum ſuperet, ſpemque ſtatus melioris convellat. Facit huc, quod animadvertit Cicero, qui, *barbari quidam*, inquit, *& immanes aegrotare viriliter non queunt, ferro decertare acerrime poſſunt. Cimbri in praellis exſultant, lamentantur in morbis.*

§. XC

§. XC. Mala & bona hujus vitae magnam partem ſunt fortuita. *Fortuna* eſt ſeries cauſarum concurrentium ad eventus humanos, quae vel univerſe ab hominibus ignorantur & impediri nequeunt, vel non ab eo, cui proſunt vel nocent.

Haec eventa, (quae quoad *cognitionis aut virium noſtrarum* inopiam duntaxat dicuntur *fortuita*,) divinatione, artibus magicis, oraculis, &c. inveſtigare, eſt hominis tum ſtulte id, quod fieri non poteſt, tentantis, tum, quantum ſit ejus ignorantiae pretium, neſcientis. Futuri temporis exitum caliginoſa nocte premit Deus, ne ſuavem boni impetrati ſenſum adimat exſpectatio, nec mali gravitatem infinite augeat longinqua ſollicitudo. Ejus ſtatus futuri, ſui aut alieni, proſpicientia contigit homini, quem ut regat, ipſius vere intereſt: hac contentus non perdat gaudia praeſentis horae curis inanibus, aut ſpe vana inflatus, nedum ineptis inflammatus praeſagiis ſero & cum gemitu exclamet: *non putaram.* Fata etiam ignorata viam inveniunt.

Eſt quaedam *ars fruendi* praeſentibus. Hujus pars nititur inſcitia futuri, & quidem ejus, quod impediri nequit, vel quod malo noſtro eramus impedituri, ſi id ante habuiſſemus cognitum, quam evenit.

Illa vero ars comprehendit *prudentiam futura regentem*, hoc eſt, *robur ingenii uſu acquiſitum, quod eſt poſitum in ſelectu optimorum ſubſidiorum adſequendi propoſitum, & praemeditatione atque amotione obſtaculorum.* Quod quidem robur eo eſt majus, quo celerius illa vis ingenii, cum conſilium capiendum eſt, ſe exſerit, & quo rarius aberrat.

Suavitatis plena eſt prudentia, atque non deſinit eſſe ſalubris etiamſi caſu, cui reſiſti non potuit, conſilia male ceciderint.

§. XCI. Cavendum eſt, ne in actionibus regendis, quarum eventus eſt *incertus*, ſed *probabiliter* praevideri poteſt, fortunae adverſae metus, aut ſpes ſecundae, fiat momentum palmarium, quo ut agas, vel ut non agas, impellaris. (§. 43.) Ob metum, ut eventus *fortuiti* (§. 90.) votis noſtris reſpondeant, nunquam eſt omittenda actio, quae ſuſcepta ſpondet effectus bonos neceſſarios, vel & adventitios, qui ſecundum regulas veroſimilitudinis praevideri poſſunt. (§. 39.) Contra ob ſpem inficetam eventus proſperi, cujus minus probabile eſt praeſagium, ea nunquam eſt ſuſcipienda actio, cujus effectus fore malos, veriſimiliter praevidetur, aut praevideri poteſt.

§. XCII. Ex quibus perſpicuum fit, quid ſit ſentiendum de conatu valde difficili, ancipiti, moleſtiarum & periculorum pleno, ex cujus ſucceſſu multum boni probabiliter ſperatur. Rationes enim, quibus ad tentandum periculoſae plenum opus aleae recte movemur, ſe habent in ratione compoſita, a) veroſimilitudinis, fore, ut deſtinata perficiantur, b) magnitudinis bonorum conſequentium, ſi conatus habeat exitum, c) levitatis malorum, quae ex ſucceſſu proſpero aut improſpero naſci poſſunt. His obſervatis, non poteſt quenquam poenitere facti, cui fortuna defuit. Concidit itaque vetus dictum Theophrasti, *vitam regit fortuna, non ſapientia.*

§. XCIII. Magno virium robore pollet, qui in fortuna, conſiliis bonis & prudenter ſuſceptis perpetuo adverſa, patiens (§. 88.) & fortis (§. 86.) fert, quae mutare nequit, & amara ſpe ac prudentia temperans, recte agere pergit.

Ma

Majori autem robore is praeſtare videtur, quem non impedit ventus perpetuo ſecundus, quo minus turgida vela tempeſtive contrahat. Dolor enim, quo is afficitur, cujus deſtinatis fortuna obſtrepit, habet acrem ſtimulum, ut quo ille eſt aſperior & perpeſſu difficilior, eo validius mens ſuis quaſi nervis adſtrictis mala eventa arte corrigere, & ab urgente malo, ab anxietate, ſe liberare conetur.

Voluptas vero, fortunae perpetuo ſecundae comes, facile relaxat fibras animi. Hinc ea ſuis quemque ſucceſſibus ebrium, ideoque a metu alterius ſortis ſecurum, adeo enervat, ut, mutatis fortunae vicibus, dolendi non faciat modum, & impos conſilii remedium nec reperiat, nec tentare auſit. Quanto difficilius eſt, huic quaſi nervorum animae relaxationi in magna fortuna reſiſtere, eo majorem, qui id facit, *libertatis ſuae* (§. 84.) gradum demonſtrat. Bellorum hiſtoria probat, multis ducibus longe facilius fuiſſe, praeſentia animi reparare cladem, quam victoria uti. Notum eſt *Abdolomini* dictum & verum.

Igitur *ſperet infeſtis, metuat ſecundis, alteram ſortem bene praeparatum pectus.*

§. XCIV. Vitae ſumma brevis eſt. Magna ejus pars ſomno, infantia, nihil, quod commemorare poſſis, agendo evaneſcit. Mors incubans omnibus, ſerius ocius, *principum turres pauperumque tabernas aequo pede pulſat*, eſtque eventuum, habita temporis incerti ratione, fortuitorum (§. 90.) omnium certiſſimus. Cum natura fecerit, dulce ut ſit vivere: illius diſſolutionis, quae vitam finit, cogitatio non poteſt non aliquid habere acerbi.

Sed cum non omnis dolor felicitati noceat, (§. 14.) quidam & ei conveniat, nempe is, per quem ma-

jor dolor devitatur, aut majus bonum acquiritur: (§. 61.) patet, mortem, hoc modo conſideratam, non ſemper *malis veris* adnumerari poſſe. Ut dolorem corporis acutum non defugimus, quem fore brevem, & cujus toleratione gravioris doloris, v. c. tabis, conſecutionem nos eſſe impedituros, clare cognoſcimus: ita & moriendi dolor non eſt valde pertimeſcendus, multo minus pro *rerum terribilium maxime terribili* ducendus, quatenus per mortem vita, quae in poſterum vere miſera futura erat, finitur, aut vitae beatioris initium recte ſperari poteſt. (§. 17.)

§. XCV. Metus mortis, quo homines excruciari ſolent, vel continuo rodit animum, vel ſubito fortitudinis igniculos, imminente periculo, extinguit.

Adverſus ſollicitudinis perpetuae aculeos multi inani conatu praeſidium quaerunt in ſuppreſſa mortis cogitatione, & ſtudioſe vitatis iis omnibus, quae triſtem hanc imaginem ipſis praeſentem exhibere poſſent.

Adverſus ignaviam repentinam complures populi, praeter aſſiduam periculorum conſuetudinem, ſuperſtitione & fraudibus uti conſueverunt. Verum hae fraudes, inſtar ſtrategematum, aliquamdiu valere poſſunt: detecto errore, ſummae audaciae confeſtim ſuccedit ſummus pavor.

Naturae magis accommodatum eſt remedium, ut 1) metus mortis ſubitus injecto *metu majori*, & 2) longinqua ac mordax ſollicitudo *meditatione mortis perpetua*, h. e. *neceſſitatis moriendi*, & *poſſibilis per mortem ad vitam meliorem tranſitus* ſuperentur.

1) Vivida cogitatio mali majoris, ignaviam conſequentis, (v. c. *infamiae*, *tetri ſupplicii*) *mortis contemtum* in praeſenti periculo inducit animo, ut intelligat, ſtulte ſe *propter vitam vivendi perdere cauſas*.

vi-

2) Certa perſuaſio de perennitate vitae poſt mortem, peractio eorum, *quae moriens facta fuiſſe velis*, ſpes firma vitae beatae poſt obitum conſequendae, ſpectant ad liberandum ſollicitudine animum. *In hunc ſenſum* recte dixeris cum Horatio: *Ille potens ſui laetusque degit, cui licet in diem dixiſſe; vixi.*

Praeterea angor ex mortis cogitatione ſuſceptus eſt *aegritudo voluntaria*, qua cum mors neceſſaria non avertatur, hoc efficitur a trepidis mortalibus, ut *ſenſum mortis* ante horam decretoriam ſua culpa infinite multiplicent.

Igitur ut jucunde vivas; primum certus ſis, non *omnem te moriturum*, futurumque, ut pars optima tui *vitet Libitinam*, deinde mente parata, tranquilla, & ſolida extpectes momentum, quo de prima ſtatione diſcedere juſſus, in domicilium melius evoceris. Felices! qui ſic vivunt, ut mori nec deſiderent neque metuant, quique ſic moriuntur, ut ſpe certa poſt obitum vivendi erigantur & exhilarentur.

§. XCVI. Hactenus proſecuti ſumus hominem, id virium ſuarum naturalium perfectione & uſu asſequi molientem, ut vita leniter defluat. Studium virium ſuarum incrementa quaerendi, earumque poſſeſſione gaudendi, eſt id, quod *amoris erga ſe ipſum* nomine vulgo comprehenditur.

Is amor eſt *verus*, adeoque bonus, ſi verae ſint vires, quae quaeruntur, & vera earum poſſeſſio, quam nos habere gaudemus. Si quis autem id habeat pro viribus, quod re vera eſt plenum imbecillitatis, aut viribus gaudeat, tanquam poſſeſſis, quas non poſſidet, is amor ſui ipſius eſt *fatuus*; & re vera non *amor*, ſed *odium* ſui.

§. XCVII. Parum ſe amant, qui nimia virium

 ſua-

ſuarum diffidentia laborantes, dolent ſibi deeſſe vires, quas habent, vel id, quod praeſtare poterant, aggredi verentur. E contrario non tam nimio ſui amore, quam nullo, ſe proſequuntur, qui ſibi multo, quam ſunt, validiores, aut in ipſa infirmitate ſua validi, videntur. *Superbia*, eſt affectio *animi imbecillitatem ſuam non cogitantis*, *virium vero ſuarum magnitudinem & raritatem ſibi aliam, quam eſt, fingendo*, *ſe ipſum decipientis.* Oritur ex *defectu perſpicaciae hominis* in ſe ipſo cognoſcendo & dimetiendo, & haec mentis caecitas naſci ſolet vel ab ignorantia earum virium, quae ſuperbo deſunt, vel ab earum, quas habet, aeſtimatione immoderata. Quae nimia de ſe ipſo opinio proficiſcitur a comparatione conſtanti cum iis, qui minus habent virium, ab educatione inepta, a praejudicatarum opinionum *gentiliciarum*, vel toti nationi communium, contagione, ab *adulatorum* inſidiis.

Superbia noxiam menti caliginem inducit. Nam ſuppreſſa infirmitatis, maximas quoque vires comitantis, cogitatione, impedit, quo minus id, quod his deeſt, ſuppleatur. Majori, quam par eſt, virium fiducia, inflatus quisque ſubſiſtit, & ardorem in bono progrediendi reſtinguens, ſe odit.

Remedium hujus mali eſt, *vera virium notione* mentem imbuere, deinde ſuavitatem, ex cogitatione virium, quas poſſides, naſcentem, temperare deſiderio earum, quae deſunt, & non tam, quid feceris, tibi ob oculos conſtituere, quam quid faciendum ſuperſit.

Quod cum fit, mens imbuitur *modeſtia*, hoc eſt, *habitu gaudium ex juſta virium ſuarum aeſtimatione proficiſcens moderandi cogitatione imbecillitatis ſuae, & huic medendi deſiderio.*

SEC-

SECTIO IV.

Creſcens ſingulorum felicitas ſocietatis humanae auxilio.

§. XCVIII. Ab ortu inde ſuo ſocietatis humanae vinculo prius implicantur homines, quam, quid ex ea referant commodi, intelligunt. Infirmi, alimentorum, manuductionis atque doctrinae egentes, nutriuntur ab adultioribus, curantur, & ab aliis, ſive educatoribus, ſive familiaribus, ſermonem, & cum ſermone rationis uſum, traditum accipiunt.

Sentit infans fugam inſitam ſolitudinis. Sentit inſtinctum & attente *obſervandi*, & *imitandi* alios, praecipue aequales, quibuscum jucunda & acerba cupit habere *communia.* Ad haec impellitur facienda: haec feciſſe gaudet: his tanquam ſibi ad jucunde vivendum neceſſariis adſueſcit.

Firmiori demum aetate, multa & magna, quae a ſocietate naſcuntur, emolumenta homo diſtincte intelligere incipit. Tum ratio, ſubductis bonorum malorumque, quae ab hominum congregatione manant, calculis, concludit, minus, quam fieri poteſt, felicem fore hominem, ſi ſit ſolivagus. Vis inſtinctuum, vis conſuetudinis a tenella inde aetatula, ſenſus utilitatis multiplicis ex ſocietate perceptae, frangunt taedium, quod ex variis hujus incommodis ſuboritur, & efficiunt, ut eorum, qui, veteres *Anachoretas* ſecuti, ſegregant ſeſe ab hominibus, ſint admodum pauci.

§. XCIX.

§. XCIX. Eandem aſſertionem probat *argumentum* ab *analogia* ductum. (§. 40.) Nihil in mundo obſervatur ſolitarium; omnia cum omnibus, & ſingula cum ſingulis ita ſunt coagmentata, ut res altera alteri ſemper adminiculetur. Cum natura ſibi perpetuo ſit conſentanea: (§. 19.) vel ex hoc argumento patet, eam non poſſe non eſſe conditionem generis humani naturalem, ut homo hominis ope indigeat.

Voluntas ſapientiſſimi rerum univerſarum opificis ex factis cognoſcitur. Quamobrem mutua, quae nobiſcum nata eſt, indigentia, & inſtinctus fruendi ſocietate, manifeſto demonſtrant conſilium Dei homines *conjungendi*, & definitum quendam felicitatis gradum ipſis ea ſub conditione deſtinandi, ſi mutuam ſibi opem praeſtent. Ex quo patet, rationem non perſpicere, id vitae genus ſolitariae a Deo comprobari, quo quos provide conjunxit, homines ultro ſe divellunt.

§. C. Igitur concludimus, (§. 45.) veram eſſe regulam: naturae humanae haud convenit vita ſolivagi, ſed vitae cum aliis degendae communitas. Ea hominum univerſorum copulatio, per quam fit, ut ad definitum felicitatis gradum obtinendum conjunctis viribus & indigeant & ab ipſa natura ducantur, dicitur *ſocietas generis humani.* Quae recte vocatur *naturalis*, quoniam non ab arte, aut inſtitutione humana, ſed a natura proficiſcitur. Cum ſit naturalis; *divinitus inſtitutam* eſſe apparet. (§. 29.) Noti, ignoti, atri, albi, magni, parvi, omnes cum ſint homines, ſunt & ſocii naturales.

§. CI. Quibus cognitis ſupereſt, ut videamus, tum

num natura, quos ita formavit, ut ſocietate indigant, (§. 100.) eos ad hanc colendam ſimul diſpoſuerit, hoc eſt, *habiles & pronos* fecerit ad mutua commoda conſociatis viribus amplificanda? An potius inter homines naturalis intercedat pugna utilitatum, proinde cupiditatum, verbo, an homines, natura inſtigante, tam diri tetrique ſint ſocii, quam ab *Hobbeſio*, acri acerboque naturae humanae accuſatore, & aliis, qui eum ſequuntur, pingi ſolent?

Ex horum virorum ſententia homo ſibi ipſi repugnat perpetuo. Eget ſocietate, appetit eam, & ſimul inſita malitia incitatus evertit. Mutus, cum prodit, nudus, egenus, vix adultior aliorum commiſeratione vitam ſervavit, viresque acquirere & exercere didicit, atque eodem momento, quo, quid valeat, ſentire coepit, apparet, quam ſit inhumanum animans, malignum, invidum, ultionis cupidum, crudele, arrogans, ſui commodi cauſa nulli fidum, intractabile, niſi ſemper trepidare ſumma vi cogatur.

Qui quod vult, poteſt, is raro vult, quod aliis expedit. Omnem potentem cum lubido nocendi inceſſerit, merito hoſtem exiſtimes. Cum non nocet, differt impetum. Cui parcit, ei Polyphemi beneficium tribuit. Vim ipſius effugere, eſt triumphus. Unde conſuetudo *gladiis ſtrictis* epulandi, quam primi in Graecia Athenienſes abjeciſſe leguntur, & Perſae ſeculo IV Ammiano Marcellino teſte, adhuc retinuerunt? Unde *Scythiſmus* ille *populorum* (ſi quantus fingitur, tantus unquam fuit) ut hoſtile eſſet, quicquid ad *gentes foedere* junctas non pertineret? Ante bis mille annos *Dicaearchus* in *libro* de *interitu hominum*, collectis & comparatis cauſis, quibus eſſent conſumti homines, concluſit, plures deletos eſſe bello & ſeditionibus, quam omni reli-

qua

qua calamitate. Alia num hodie luditur fabula?

§. CII. Fallit haec exaggerata naturae accuſatio. Ineſt in homine nativus quidam *ſenſus humanitatis*: hoc eſt, ſenſu interno adducimur ad agnoſcendam praeſtantiam hominis, tanquam hominis, quatenus cum aliis rebus animatis & inanimatis ipſum comparamus. Vi *Sympathiae cujusdam nativae* efficitur, ut aliorum hominum bona & mala contuentes, ea celeriter ad nos, perinde ac ſi nobis eveniſſent, referamus, atque ea contemplatio nos continuo ſimili vel ſuavitate, vel acerbitate, afficiat.

Dedit nobis natura inſuper ſenſum *amabilitatis*, quae ineſt in actionibus benignis, & in idea *benignitatis*. Eſt vero *benignitas* alacris & perpetua animi intentio ad gaudium quaerendum & capiendum ex veri boni alieni conſpectu & amplificatione. Hujus bonitatis in homine effigies habet *vim* quandam *attrahentem*. Suavitate ſua ſtatim ferit oculos, tenet, faſcinat, jucunde afficit, idque nulla argumentatione efficitur, ſed ex cogitatione dicti factique benigni per ſe manare ſtatum mentis jucundum, confeſtim ſentimus.

Contra ea repellimur continuo ab *effigie malitiae*. In hac gratum aliquid ac jucundum, quod placeat, fruſtra requirimus; moleſta eſt haec cogitatio, eamque neceſſario diſplicere, proinde naturae noſtrae repugnare, ſenſu interno convincimur. Abominamur imaginem hominis *Timoni Athenienſi* ſimilis.

Placent etiam ignoti, quorum manifeſta ex factis elucet benignitas. Admiramur nobilia facinora, probitatem pericula deſpicientem, impavidam inferiorum, qui a potentioribus opprimuntur, propugnationem, audacem praeſumtarum opinionum, publice dominantium, aggreſſionem, per

quam

quam id agitur, ut fortunae injuria magis quam ſua culpa calamitoſi ſerventur, ſubleventur, in integrum reſtituantur &c.

Eſt itaque in homine *ſenſus* quidam *moralis approbationis* neceſſariae *factorum*, quae proſunt ſocietati, *ſenſusque reprobans* ei contraria. Praeter hunc ſenſum ingenerati ſunt *ſtimuli*, (§. 33.) quibus homo ad hominem reapſe juvandum incitatur, absque ulla lucri exſpectatione, ob ſolam ſuavitatem, quae factum comitatur aut conſequitur.

Hi inſtinctus ſtimulo primario, quo ad ſuam quisque felicitatem expetendam fertur, tanquam fonti omnium inſtinctuum communi, (§. 12.) ſubjecti ſunt, non, ut quidam volunt, ipſi a latere poſiti.

§. CIII. Inſtinctus benevolentiae, qui homini ineſt, vel tendit ad *malum praeſens* ab aliis amovendum, vel ad *bonum praeſens* aliis conciliandum. Ille ſpeciali nomine *miſericordiae* deſignatur; hunc appellamus inſtinctum *communicationis.*

Viſis malis alienis, praecipue illis, quae alteri ab alterius perfidia, injuſtitia, ludibrio, rabie, malitia, alienis incommodis gaudente & ſemet exſaturante, naſcuntur, exardeſcit animus, ſeque cum altero, cui male eſt, celeriter confundens, ſentit *conatum* talis mali depellendi, perinde ac ſi eo ipſe urgeretur. (§. 10.) Nec demum incaleſcit afflicti precibus: ultro advolat, ut ſuccurrat. Eorum, ut recte animadvertit CICERO, *nos magis miſeret*, qui miſericordiam noſtram nec deſpiciunt, neque *efflagitant, quam qui eam requirunt.*

Neque eſt, quod objicias, alterius miſereri neminem, niſi qui idem, quo alius prematur, malum ſenſerit, vel metuat, ne eodem afficiatur, atque idcirco tyrannos omnem commiſerationis ſenſum de-

deponere, quod in aerumnas tenuiorum ſe incidere non poſſe exiſtiment. Longe alia nos docet experientia. Hominem abſque culpa ſua anxium videre ſufficit, ut moveatur animus. Qui non commoventur, illi naturae impulſui vim faciunt, quod fieri poſſe haud negatur (§. 50.)

Similiter ad communicanda ſua cum aliis gaudia homines natura impelluntur. Hujus agitatoris interni vim ſentiunt infantes, cum ludunt, ac non ſolum teſtes, ſed & participes laetitiae quaerunt: eodem incitantur adulti in rebus ſeriis & gravioribus.

Docere alios, quod neſciunt, conſilium dare imperitis, in viam revocare errantes, vires ſuas, cum primum aliis profuerint, ob hunc earum uſum judicare aeſtimabiliores, & ob quodcunque factum nobile ſibi ipſi majus pretium ſtatuere, ad haec occulta quadam naturae vi homines trahuntur. Verbo, non demum argumentationum & longinquae meditationis, ſed naturae, vi efficitur: ut jucundum homini ſit, videre felices, jucundius efficere.

§. CIV. Cum his ſtimulis natura conjunxit alios ſocietati *oblique* utiles, quibus dum primario & recta via ad ſuum quisque emolumentum fertur, ſimul abſtrahitur a nocendi auſu, & inſcius ad bene de aliis merendum ducitur. Huc pertinent *pudor*, *honoris appetitio*, & *placendi ſtudium.*

Pudor, qui multorum conatus efficacius, quam comminatio legis, frangere ſolet, eſt fuga doloris, ex aliorum vituperatione praeſenti vel futura orti, aut oriundi, quam quis ſe mereri, clare cognoſcit. *Metus irriſionis*, qui gignit ſtudium cavendi, ne quid in dictis factisque inſit atque appareat ridiculi, hoc eſt, manifeſto abſurdi, ſub pudore continetur.

§. CV.

§. CV. Proximus pudori eſt *ingeneratus* honoris appetitus. Hunc non eſſe generi humano communem cum animalibus, recte animadvertit Xenophon. Vires a ſe magni aeſtimari, & imbecillitatem vilipendi, ſuus quemque ſenſus internus convincit. (§. 47.) Hinc fit, ut vires quisque ſuas non ſolum magni faciat, & contra ex debilitatis ſuae conſcientia capiat dolorem, ſed & ut eas ab aliis agnoſci & aeſtimari, natura incitante, diſcupiat, idque ſi fiat, magna ſuavitate, etiam in prima aetate, afficiatur. Cui conſequens eſt, ut natura ingratum ſit homini, ab aliis deſpici, ſeu indignum videri, cui liber pateat acceſſus, vel cujus praeſentia, dicta, facta, attendantur.

In complexu actionum, quibus efficere conamur, ut vires noſtrae (ingenii, indolis, corporis &c.) ab aliis agnoſcantur, & pro merito aeſtimentur, poſitum eſt *ſtudium honoris.*

Uti *pudor* revocat hominem a malo, (§. 104.) ita in honoris appetentia, quae etiam comprehendit reverentiam judiciorum alienorum, ineſt impulſus ad ea enixe facienda, quae ſocietati bona & utilia ſunt ac videntur. (§. 123. 124.) Ut lauderis, laudabilia facies. Contemtu famae contemnitur magnum recte vivendi incitamentum.

§. CVI. Denique ſtimulus, quo ad *benevolentiam* aliorum ſibi conciliandam homines impelluntur, *directe* prodeſt ei, qui *placere* ſtudet, *oblique* ſocietati. Quam utile eſt, certum eſſe de aliorum auxilio, quod a *ſolo favore* proficiſcitur: tam ſuave eſt habere, qui etſi noſtra cauſa nihil faciant, vel facere poſſint, nobis tamen ſe bene cupere ſignificant, dum veniunt in ſocietatem gaudii, quum profluenter & proſpere ſuccedunt res noſtrae, vel

doloris, cum male. Repentinam aegritudini ſuae voluptatem interponunt calamitoſi, cum mala ſua referentibus ſaltem patent aures alienae, & humanus auditoris aut ſpectatoris vultus ipſis perſuadet, non indignos ſe videri, quibus meliora eveniant. Tum caſus referre ſuos, infandum renovare dolorem, & flere, eſt voluptas. Cui facile fuerit, a ſe impetrare, ut congreſſus hominum plane fugiat, is ferre non poterit invidiam omnium, & ex ea natam in ſumma frequentia ſolitudinem.

Igitur primum veretur homo, ne diſpliceat homini. Cui conſequens eſt, ut vulgatum illud: *oderint, dum metuant*, ſit contrarium huic naturae inſtinctui, & prodat degenerem animum.

Deinde homo ut placeat homini, ea facit, quae placent, hoc eſt *aliis jucunda & utilia* videntur. Gaudet videri comem, probum, efficacem, verbo eum, in cujus bonitate & alacritate alii fiduciam ponere queant. Sic natura, quos occulto impetu pellit, ſuae utilitatis cauſa ut amari cupiant, inopinantes ducit cogitque, ut ſtudeant eſſe amabiles.

§. CVII. Harum obſervationum veritas iis non eliditur, quae ſupra commemoravimus ad vetus dictum confirmandum, hominem homini lupum, vel ut ad illam ſententiam accommodatius dicam, malum daemonem eſſe, niſi vi metuque ſubigatur. Qui ſic ſentiunt, de foeditate indolis hominum, in ſocietate viventium, dicunt nimium. Num enim experientia confirmat, eum qui plus poteſt, ſemper plus habere malitiae? Num veroſimile eſt, naturam nos perpetua diffidentia divulſos ponere in ſpecula voluiſſe, ut alterutrum eligamus, aut invadere aut invadi? An hoc patitur *analogia*, (§. 99.) cujus amantem & tenacem eſſe naturam (§. 40.) vidimus?

Ti-

Tigris agit rabida cum trigide pacem perpetuam. Saevis inter ſe convenit urſis.

Allegant populos barbaros. Verum ſunt earum, quae feroces putantur, nationum numero, fidae, hoſpitales, & exceptis iis, quibus corruptelae a cultioribus populis acceſſerint, plerumque benignae, ſola effreni ulciſcendi cupiditate excepta; quemadmodum recentiores itinerum ſcriptores confirmant. Decepti decipiunt, & diffidunt. Laceſſiti in defenſione modum excedunt. Multa, quae de populis *Androphagis* commemorantur, finxit pavor, ſermonis & morum ignorantia, mira & horribilia narrandi ſcabies, auxitque error peregrinatorum, qui ex quibusdam monſtris deformem totius populi indolem collegerunt. *Caraibi* hoſtibus interemtis veſcuntur. Sed quibus? Se, ajunt, neminem, niſi juſte caeſum, ſenſu per obitum peremto, comedere, verum *Europaeis* ſaepius rem levem videri, hoſtes injuſte invaſos caedere, at caeſos non ſepelire, aut vorare, horrendum. Utrorum conſuetudo eſt exitioſior?

Neque univerſe verum eſt, quod ajunt, tenuiores perpetuo ſuccenſere potentioribus, & illos cum his litigantes non *feciſſe injuriam*, ſed *accepiſſe*, reliquis infirmioribus videri. Fateor, hos illorum plerumque ſenſus eſſe, qui alto ſupercilio contemti jacent vel violenter opprimuntur. Hi manum & virgam, qua percutiuntur, dum oſculantur, execrantur. Nam cum natura duce homines aliquod ſibi pretium ſtatuant ipſis, & ab aliis ſtatui cupiant: (§. 105.) intolerandum illis videtur, qui inſtar apum non ſibi, ſed aliis, mellificantium, pigris & fruges conſumere natis mellificant, minori ab his in pretio nihilominus haberi, quam pecudes a villico. Quocirca primum non poſſunt magnifacere homines,

qui nihil habent meritorum, deinde ſortis ſuae pertaeſi odium concipiunt eorum, a quibus male habentur. Non erant *Romae tot domi hoſtes, quot ſervi*, quamdiu patres familias eſſent teſtes ac ſocii operum, quae ſuo quisque demandarent famulitio. Honorato *familiae* nomine ſervi continebantur. Laborando enim homines ſtrenue laborantes honore dignos habere diſcimus. Potentiores itaque non per ſe ſunt apud infimam plebem invidioſi, ſed quandoque ob arrogantiam ac malignitatem. Romae cum furerent *triumviri*, inter eos, qui proſcriptos ſervarent, ferventiores fuere *ſervi*, quam *proſcriptorium liberi*. Ex quibus apparet, facta, quae allegantur ab iis, quibus non aſſentimur, non probare *talem malitiam generis humani naturalem*, qualis ſumitur ab Hobbesio.

Similiter fallit *factorum verorum*, quae afferuntur, interpretatio. V. C. Superato maris periculo tutus in portu tranquille proſpicit navem aliquam ſaeva tempeſtate jactari. Gaudet, inquis, ergo eſt malignus. Neutiquam. Voluptatem non capit ex diſcrimine vel interitu rerum & hominum, ſed quia quanti ſit, ſalvum eſſe, ex conſpectu & magnitudine periculi alieni aeſtimans, de ſua incolumitate impenſius gaudet. Sentit *conatum ſervandi homines*, ſi poſſet.

Cor frigidum & durum, invidia, crudelitas &c. ſunt morbi, iique non aeque in ſocietate univerſorum hominum frequentes, atque in arctioribus ſocietatibus communi imperio conjunctis. Alii in majoribus, alii in minoribus, civium coetibus ſunt frequentiores & nocentiores. In eorum cauſas propiores & remedia inferius inquiremus.

§. CVIII. Aſſeruimus, non eſſe hominem natura ineptum ad ſocietatis cultum, ut fieret perſpicuum,

cuum, corruere *principia & concluſiones Hobbeſii.* (§. 102.) Quare id inveſtigandum eſt, quam homini viam monſtret *experientia*, efficiendi, ut ſocietatis & potiatur fructibus, & moleſtias vitet vel elevet.

Illa autem docet, duas vias iniri poſſe & ſolere; alteram, cum quis ſe ſolum reſpiciens, ſibi ſervire alios, non autem aliis absque commodo ſuo externo prodeſſe, ſed ſuae utilitatis cauſa nocuiſſe gaudet; alteram, cum quis cavet, ne cuiquam noceat, prodeſſe gaudet omnibus. Utra ſit *recta*, ex *effectibus* concludit ratio. (§. 38.) Hos itaque diſpiciemus.

§. CIX. Haud bene eſt hominibus, 1) qui ſibi vivunt. Hi alios, quibus opus non habent, negligunt tanquam fungos, eos vero, quibus uſi ſunt, abjiciunt, ut ſcopas ſolemus poſt uſum. Pejus ſibi illi conſulunt 2), qui mala ſtudioſe aliis inferunt, vel quoniam cupiditatibus ſuis eos obſtare vident, aut obfuiſſe dolent, vel quia ſuave putant, quietem & hilaritatem alienam perturbaſſe.

Quam qui tenent vitae rationem; vel ſumma *calliditate* opus habent, vel vi *ac metu: illa*, ut credant, qui decipiuntur, ſe ſuam rem agere, cum decipientibus ſerviunt; *hac*, ne qui poterant reſiſtere, auſint, neve qui auſint, poſſint.

At vero *calliditas detecta* vehemens odium parit, *latens* amaram plenamque ſollicitudinis voluptatem. Contra *benignitas prudens* eo tuta contendit recto itinere, quo aut omnino non, aut non ſine magno diſcrimine, labore, taedio, metu mali futuri, vel ejus, quod ſecutum eſt, ſenſu acerbiore, per anfractus, perveniat calliditas.

Neque tutiorem viam ingrediuntur, qui *vim & terrorem* adhibent. Metui qui vult, metuit ille

prius, imo *magis*. Ex magnitudine terroris, quem quis aliis incutere ſtudet, recte aeſtimatur magnitudo timoris, quo ipſe urgetur. Tiberius dum Romae furit, Capreae trepidat. Quem latet, Dionyſium tyrannum, *cultros metuentem tonſorios, candenti carbone ſibi aduſſiſſe capillum* ?

Denique malitia, ſeu vi ſeu dolo nocere geſtiat, eſt plena acrimoniae. Dum facit, ut ſanguis & animus coaceſcat, magnam partem veneni ſui ipſa bibit. Se ipſum rodit invidus, ſe punit durus, arrogans, &c. Benignitas eſt perennis fons hilaritatis.

Ratio videns hanc copulationem naturalem effectuum ex utroque vitae genere naſcentium, concludit: eam divinitus eſſe conſtitutam, proinde immutabilem. (§. 31.) Cui conſequens eſt, ut aut carendum homini ſit uberrimis ac dulciſſimis ſocietatis fructibus, aut unica, quae ad eos carpendos ducit, via ſit ingredienda, nempe ut animus ſincera erga alios caleat benevolentia.

§. CX. His praeſtructis, neceſſe eſt, ut emolumenta ipſa, quae ex ſocietate naſcuntur, accuratius perſequamur. Ac primum quidem ea hoc loco aggrediemur, quae *ſinguli* poſſunt capere ex *ſocietate* commoda deinde *Sectione V.* exponemus, quantum viciſſim *ſingulorum interſit*, bona ſocietatis humanae ſuis viribus *augere*, hujusque ſtabiliorem aut uberiorem proſperitatem ſuis etiam detrimentis redimere.

Commoda, quae ex ſocietate in ſingulos redundant, ſunt *cauſae verarum voluptatum*, Sectione III. enumeratae: quas ſinguli aut in ſolitudine, aut citra arctiorem cum aliis conjunctionem, vel non aeque bene, vel omnino non, ſibi comparare poſſunt.

ſunt. His commodis ſibi invicem conciliandis homines ſe mutuo *adjuvare* dicuntur. *Adjuvare* ſignificat, *id, quod viribus alienis deeſt, ſupplere.*

Hujus vero ſupplementi admodum fecunda mater eſt ſocietas, qua univerſos natura devinxit. (§. 100.) Ejus enim ope praeveniri, leniri, tolli poſſunt mala corporis & animi, augeri utriusque bona, proinde effici, ut vita commodius & jucundius defluat, & poſt mortem profutura comparentur.

Ex hominum omnium, cum naſcuntur, pari tum indigentia, tum conditione virium, ex pari ſocietatis appetitione, colligimus naturae ſcopum, ne quis quenquam excludat a beneficiis ſuis, quae demum homini per hominem obvenire voluit. Hactenus omnes ſunt *aequales.*

Quamvis enim diſtent homines gradu virium, quas arte, diligentia, inſtitutis ejus, cui interſunt, ſocietatis acquiſiverunt: in eo tamen conveniunt, quod ſunt homines, ab animantibus diſtincti, ad vitae felicis uſuram a natura omnes invitati, nulli viribus tam amplis praediti, ut ad hanc conſequendam aliorum benevolentia non indigeant, nulli tam firmi, ut non morbis aliisque caſibus quandoque aequentur infirmioribus.

Senſus humanitatis (§. 102.) comprehendit ſenſum hujus quaſi *dignitatis hominum nativae*, & ſenſum doloris acris ex facto, quod hanc aequalitatem convellit. Hinc fremitus hominum, qui ut morbidum pecus a conſortio arcentur: hinc impatiens ignominiae & earum criminationum animus, propter quas vitae commercium negatur. Hinc odium ſervorum adverſus dominos, qui dicunt aut ſentiunt cum illo: *O demens! itane ſervus homo eſt?*

§. CXI. Fructus ſocietatis (§. 110.) alii ultro ſe quaſi carpendos offerunt, ſimul atque homines conjunctim vivunt; alios aliorum benevolentia, cura, & opera quaſi traditos accipimus.

Ad priores referimus fiduciam & ſuavitatem, quam ſola haec cogitatio, non eſſe te ſine hominibus, & poſſe cum iis eſſe, ſi velis, impertit animo. Haec una ſufficit, ut magno pretio ſocietatem ſolitudini praeſtare intelligatur.

Accedit utilitas, quam ſtrenua hominum, etiam ignotorum, contemplatio cuivis afferre poteſt: partim ut ſe ex aliis cognoſcere diſcat, partim ut videns aliorum & vitam & inſtituta, ex iis ſibi ſumat exemplum, vel quod caveat, vel quod imitetur.

Atque hi eſſe poſſunt fructus egregii *peregrinationum*, ab iis demum capiendi: quos a frivolis ad contemplanda vere utilia revocat prudentia, atque in his videndis, colligendis, dijudicandis, & aut rejiciendis, aut imitandis ac commendandis, defigit, atque efficit, ut morum corruptorum aut opinionum praeſumtarum patriae ſuae faſcino liberentur.

§. CXII. Poſterius commodorum genus, (§. 111.) quod ex aliorum ſingulari favore, ſtudio & factis percipitur, ad *ſex* praecipue *capita* revocari poteſt:

1) Acceſſus facilis, & jucundum cum aliis conſortium, hoc eſt, cum nulla malevolentiae ſignificatione aut ſuſpicione conjunctum;

2) Rerum & operarum venalium, aut commutari ſolitarum, commercium liberum;

3) Beneficentia;

4) Veri, quod ſcire noſtrum vere intereſt, communicatio;

5) Honos;

6)

6) Arctior cum quibusdam conjunctio ad quoddam peculiare bonorum genus communibus viribus aſſequendum.

§. CXIII. Aditus facilis ad eos, quibus placere, & cum quibus congregari ac ſermones miſcere cupimus, eſt verum vitae condimentum. Conſortium vero jucundum eſſe non poteſt, ſublata inter eos, qui coeunt, *omni aequalitate.* (§. 110.) Illud *quo propius ad hanc accedit*, *eo* eſt *jucundius.* Repelli, contemni, hoc eſt, tacita imbecillitatis exprobatione perpetuo obrui, *natura acerbum* eſt (§. 104. 110.) Hinc blandum alloquium, & *comitas* praecipue eorum, qui ſunt ſuperiores, placet, oblectat, reverentiam erga ipſos parit, ipſorumque *pretium* auget. Tanto quisque videtur major, qui viribus praevalet, quanto ſe gerit ſubmiſſius, hoc eſt, quanto magis in ſe ipſo cohibet cogitationem praeſtantiae ſuae, & in iis, quibuscum verſatur, conſcientiam moleſtam ſuae imbecillitatis.

Fructus hujus conſortii illi praeſertim capere merentur, qui pretium homini, tanquam homini, ſtatuere didicerunt. Sunt illi multiplices. Animus triſtis tantisper ponit aegritudinem, ſollicitus curas, nimis intentus nervos ſuos, relaxat, & ad labores redit alacrior, atque inſcius vires intelligentiae novas acquirit; dum audit, dum eas, quas habet, notiones verbis explicat, dum alienis quoque erroribus eruditur.

§. CXIV. Ejusdem conſortii *conciliatrix & altrix* eſt *venuſta humanitas* (*urbanitas.*) Haec eſt poſita in complexu ſignorum, quibus declaratur ſingularis animi attentio, ſive amovendi ſuſpicionem probabilem animi parum curioſi in vitandis,

quae aliis diſplicent, ſive ea *absque aſſentatione* dicendi, & absque moleſto quodam patrimonii, vel libertatis, diſpendio, faciendi, quae placent.

Grata eſt omnibus; modo non redoleat *affectationem* ſingularis meriti, aut magnitudinis cujusdam in minutiis. Auget fiduciam tum petendi opem illis, a quibus petitur, non moleſtam, tum eam offerendi. Suavitatem, licet brevem ac tranſitoriam, veram tamen, aliorum animis impertit, hosque allicit ac conjungit, quos auſteritas, ferocia, & quae multis intolerabilior ſervitute videtur, *arrogantia* (ſive *ſuperbia*, *aliorum contemtum*, *vultu*, *verbis*, *factisque*, *ſignificans*) arcent ac divellunt.

§. CXV. *Communi conſenſu expreſſo vel tacito in ſocietatibus peculiaribus definiri ſolet quidam ſignorum venuſtae humanitatis complexus.* (§. 114.) *Modus atque ordo illis ſignis conſtitutis utendi*, vulgo dicitur *decorum*. Quod a *Cynicis* reprehenſum, merito inventum eſt.

Nam intervalli, quo variae hominum, in ſocietate arctiori (§. 125.) viventium, claſſes diſtant, oblivioni *eo*, quo haec damnoſa foret, *tempore* praevertit. Praeterea impedit, quo minus primi motus animi, qui offenderent alios, vel imbecillitatem aliquam aliis proderent, ſubito appareant. Prohibet inſuper, ne quid fiat, quod moveat faſtidium, (veluti movet *obſcoenitas*), vel quod animum prodat benevolentiae aliorum colligendae aut retinendae plane incurioſum.

Quo major eſt morum ſimplicitas, & minor ingenii cultus: eo accuratiores ſolent eſſe homines in decoro, quod ſemel conſtituerunt, inviolate conſervando, & actibus ei contrariis in peſſimam partem accipiendis.

Ni-

Nimis ſuperſtitioſo autem ipſius cultu aeque perit gratia conſortiorum familiarium, ac diſſoluto & affectato ejus neglectu. Perpetua enim ſollicitudo, ne quem imprudenter offendant, fatigat homines, qui coeunt, non recreat, & momentum temporis, quo diſcedere poſſunt, ardenter *exſpectare*, majorique in pretio habere cogit, quam quo convenerunt.

Mira legum decori eſt varietas & viciſſitudo. Datur tamen diſcrimen *naturale* ejus, quod prudenter conſtitutum eſt, ab eo, quod ſecus ſe habet: adeoque dantur & regulae, quibus *guſtus* in eo dijudicando *corruptus a ſano* internoſcitur. Perfectum quippe eſt, quod fini ſuo reſpondet. Finis eſt perturbationis, taedii, contemtus, odiique ſubiti in conſortiis & circulis evitatio. Quamobrem illud, cujus cuſtodia minimam habet moleſtiam, & violatio maximam, fini ſuo reſpondet. Recepta converſationis ratio, quae huic fini valde & manifeſto repugnat, recte vocatur *ridicula*, eſtque *decori* nomine indigna.

Decor eſt facilitas acquiſita in actionibus corporis (vultu, geſtu, voce, ſermone, inceſſu, veſtitu &c.) leges decori ita ſervandi, ut nulla affectatio aut artis veſtigium appareat. Placet: conjungit animos. Quidquid vero conjungit homines, illud auget cauſas verarum voluptatum, (§. 100.) adeoque felicitati amplificandae inſervit. (§. 10.)

§. CXVI. *Secundum ſocietatis* emolumentum eſt rerum & operarum, quarum commutatione homines egent, commercium. (§. 112.) Non omnia fert omnis tellus. Nec ſibi quisque ſoli in bonis externis (§. 63.) comparandis ſufficit. Communicatione itaque operarum & rerum homo hominem reddit feliciorem, ſive illa ſit gratuita, ſive pro eo,

quod

quod datum factumque eſt, tantundem aut amplius reddatur.

Si par ſit indigentia mutua, & pares ſint vires, mutua rerum vel operarum commutatione eam ſublevandi: intereſt utriusque, non aliter, quam ſub lege, ut par pari referatur, hominem hominis indigentiae, commoditati, ac proſperitati opitulari. Inde naſcitur *mercatura* quaedam *utilitatum*: quae eſt fons *contractuum*. Ejus commercii tum rerum tum operarum, quibus indigemus, facilitas pretium ſocietatum ſpecialium, praecipue majorum, auget.

Europa procellis bellorum privatorum diu jactata, reſtituta in ſingulorum finibus quiete, *mercaturae & navigationi* debet, quod munera naturae, per totum orbem diffuſa, ipſius incolis, iisque ſere ſolis, pateant. Quorum copia *creſcit* orbis Europaei felicitas, modo hanc non corrumpat neglectus *artis fruendi.*

§. CXVII. Tertia utilitas ſocietatis eſt ſpes & adeptio beneficiorum. *Beneficentia* (*liberalitas*) eſt *effectus benignitatis poſitus in ſtudio alios haud exiguo rerum ſuarum diſpendio aut labore difficili gratis adjuvandi.* (§. 110.) Adjuvantus autem tum *diminutione ac liberatione malorum, quibus affliguntur, quaeve ipſis impendent, vere amplificatione bonorum.*

Ope noſtra tum indigentibus gratis collocatur beneficium, hoc eſt, absque ulla poſtulatione, aut expectatione, mentem ad benefaciendum impellente paris, ſupparis, nedum amplioris remunerationis, ſive a te, cui tributum eſt beneficium, ſive ab aliis. Quanam itaque re movearis, ut aliis cum incommodo tuo (hac enim nota *beneficentia* diſcernitur *ab humanitate*) gratis inſervias? Praeter religio-

gionem, ſuavitate, quam cum tali virium uſu natura copulavit.

§. CXVIII. Notio beneficii complicata ut evolvatur: partim ratio habenda eſt *utilitatis*, quae ex eo redundat in accipientem, partim *finis*, quem qui dat beneficium, ſibi habet propoſitum.

Si *effectum* conſideres; minus eſt illud, cujus utilitas percepta ſtatim interit: majus, vel quod *cauſam plurium effectuum bonorum*, *aliorum poſt alios exiſtentium*, alteri praeſtat; vel quod *mali impendentis aut urgentis cauſam tollit*. *Nullum* eſt beneficium, & potius *malefactum*, quo cauſa mali alieni augetur, aut cujus uſus malum novum, idque foecundum, accipienti affert. Bona vero, quae largimur, non ſola ſunt commoda externa, ſed quaevis & corporis bona & animi. Sic qui hominis corrupti errores, quorum tenax erat, debellavit, plus ipſi boni praeſtitit, quam qui tenuiorem opibus inſtruxit.

Si *animum* ejus, qui tribuit beneficium, contempleris: *verum & purum* duntaxat eſt illud, ut diximus, quod a *ſola benignitate* (§. 102.) proficiſcitur. Unde non eſt beneficus, qui cuiquam eo conſilio ſubvenit, ut ipſi noceat; (*Eutropelus cuique nocere volebat, veſtimenta dabat pretioſa*, *inquit* Horatius) vel ut torqueat aut detrimento afficiat alios; vel ut aviditate inflammatus tantundem, aut more foeneratorum plus, quam dedit aut fecit, recipiat. (§. 117.)

Contra ſolo etiam animo & conatu beneficium collocari poteſt, tametſi caſu factum ſit, ut deſtinata non potuerint habere exitum.

Dolor ex eo conceptus, quod parem aut majorem menſuram pro acceptis ille non reddiderit, cui profuiſti, tollit *notionem purae beneficentiae*. Hu-

Hujus enim a credito diſtinguendi nota certa eſt, delere ex animo cogitationem de poſtulatione gratiae referendae, cum tribuitur beneficium; honorem habere gratae menti, ſed eam non deſiderare; neque unquam accuſare ingratam, niſi haec exprobatio ſit neceſſariae genus defenſionis.

Quem ingratis profuiſſe poenitet, is, quam per ſe ſuave ſit, beneficum eſſe, numquam ſenſit.

§. CXIX. Neque vero *quilibet benignitatis* (§. 102.) *impetus* cum felicitate generis humani conſentit. Is qui *imprudentiam* (*defectum perſpicaciae in effectibus actionis proſpiciendis ac ponderandis*) adjunctam habet, recte in imbecillitate ponitur.

Quo numero eſt a) factum, quod, licet a *bonitate*, ſive ardore alteri opitulandi, ſit profectum, vere tamen nocet; (§. 118. 134.) b) omne factum, quo quis alteri ita ſubvenit, ut ſe viribus, ſibi ipſi, vel ad majorem plurium utilitatem, neceſſariis, privet.

Quamobrem minus recte eum inculpaveris, haud liberaliter cum aliis egiſſe, qui conſideratis & ad calculos revocatis beneficii effectibus, majori & vix reparabili incommodo ſuo renuit exiguum aliorum commodum emere, quive iis ſuppeditandis, quae ſibi quisque ſuopte ſtudio praeſtare poſſet aut deberet, recuſat alienam alere pigritiam aut ſuperbiam.

Faciles ut ſint homines ad beneficia tibi tribuenda, fac, ut perſuaſum habeant, ſibi ſuave, & aliis praeter te fructuoſum, fore, ubi te adjuverint, te vero dignum, qui juveris.

§. CXX. Ex his aeſtimari poteſt magnitudo beneficentiae. Veniunt in eam computationem, pru-

prudentia cum in dignoſcendis & dimetiendis bonis, quae conferuntur, tum in perſonis deligendis, quibus tribuuntur; magnitudo virium adhibitarum, & jacturae alterius cauſa factae; facilitas, qua quis auxilio egentem, vel rogantem, vel ultro, non contumelioſe aut ſuperbe adjuvit; oblivio facti benefici; firmitas voti, ne is, cui collatum eſt beneficium, ex cogitatione de gratiae relatione vel leviſſimum dolorem concipiat.

De magnitudine aut exiguitate beneficii *conſtare* debet, ut accurata fieri poſſit gratiae referendae dimenſio, de qua (§. 165.) exponetur.

§. CXXI. *Quartus ſocietatis fructus* eſt *major opportunitas comparandae cognitionis utilis.* (§. 72.) Studium cognitionis cuique eſt inſitum. (§. 70.) Haec adoleſcentes viroſque mellea dulcedine perfundit, ac rugoſam ſenum frontem explicat. Qua ut jucunditate, brutis animantibus negata, frueremur, infantes recens natos natura conjunxit cum adultis, ut ab his diſcant *ſapere & fari*, adultos vero cum adultis, ut dum ſinguli laborant verum exquirere, alii aliorum fiant doctores etiam inſcii. Veritatem quaerendo & errando fecerunt majores, ne errent poſteri. Saepe fit, ut unius aut paucorum ingenia multis hominum millibus per longam ſeculorum ſeriem lucem praeferant.

Sed non omnis cognitio eſt ſalutaris, quae videtur. Igitur nec quaecunque ignoranria nec quilibet error nocet, quamvis homo aegre ferat, ſuae ſciendi cupiditati non ſatisfieri. Alia *rerum & factorum* ignoratio ad feliciter vivendum perpetuo eſt neceſſaria: nempe qua ſubmota ab utiliori cognitione adquirenda vel utenda prohiberemur: cum v. c. nimis multis intentus minor foret ad ſingula ſenſus,

ſus. Alia hoc tempore utilis eſſe poteſt, v. c. per quam impetus malae actionis impeditur: (veluti cum per veri occultationem id agitur, ut ſurgentis aut jam ferventis commotionis aeſtus non erumpat) eadem alio tempore foret noxia. Idem de errore valet.

Ex his colligi poteſt, quousque illi accuſari posſſint, minus recte egiſſe, qui ſenſa ſua occultant; vel qui ſimulatione, falſove ſermone, aliud agunt aut dicunt, aliud cogitant, & his modis errorem gignunt; vel qui hunc non demunt, neque ignorantiae noſtrae ultro aut rogati medentur.

§. CXXII. Apertus & candidus eſt is, qui pollet facilitate, ea animi ſenſa lubenter, vere, & prudenter explicandi, quae ſcire alterius *vere* intereſt. Hinc 1) alienus a conſilio praedandi ex eorum inſcitia, qui non fuiſſent decepti, niſi bona fide ſecum agi credidiſſent, vitabit reticentiam ſibi quaeſtuoſam, aliis vero noxiam. Quibus beneficium tribuere debet, (§. 119.) ex eorum imprudentia aut errore lucrum, quamvis in ea, in qua vivit, ſocietate, permiſſum averſatur. Eſt 2) tam averſus a ſtupida garrulitate, quam a bruta mentis ſignificandae ferocia. Fugit 3) ſuſpicioſam, vel cum affectatione ſingularis prudentiae conjunctam, taciturnitatem, quae jucunditatem conſortii aufert, eosque offendit ac laceſſit, quorum vel probitati vel prudentiae nimium diffidis.

4) Fugit ac deteſtatur falſum animum, hoc eſt, verſutiam alios fallentem, praeſertim ficta ingenuitate & ſimulata amicitia, menti alterius expiſcandae aut flectendae idcirco inſidiantem, ut tutius & efficacius noceat.

Placet *prudens ſimplicitas*, non ſolum quia prodeſt,

deſt, ſed & quoniam certius demonſtrat fiduciam virium, cujus effigies per ſe habet aliquid jucundum & aeſtimabile. Neque enim *propria* eſt *ſimplicitas minutis ingeniis*. Omnino in eundem hominem convenit ingenium ſimplex & magnum.

§. CXXIII. Quintum inter emolumenta ſocietatis locum vindicamus *honori*. (§. 105.) Is quidem ut vera mentem voluptate impertiat, exigitur 1) ut ſit verus, & 2) ne nimis ardenter; neque 3) unice, (§. 80.) expetatur.

Verus ſit oportet; hoc eſt, in homine debet id ineſſe aeſtimabile, ob quod honoratur. Aeſtimabile eſt; quicquid hominis, *tanquam entis ratione praediti*, & a brutorum genere diſtincti, vires demonſtrat. Hae vires quo ſunt & majores & cum felicitate generis humani conjunctiores; eo, qui illas poſſidet, eſt dignior, quem majori pretio aeſtimes. Praeſtantia corporis, & *ea*, (ut cum poëta loquar) *quae non fecimus ipſi*, utut *bonorum verorum* ſint numero, (§. 16.) tamen proprio ſignificatu illud aeſtimabile non habent, quo vera *honoris* notio abſolvitur: niſi accedat illorum ut ajunt, fortunae munerum uſus ſapiens, id eſt, noſtrae & aliorum felicitati conſentaneus.

Ex his patet, *veri falſique*, *majoris minorisque*, *honoris* diſcrimen non opinione, ſed natura, niti. Non enim artis, aut conſuetudinis, ſed naturae, vi efficitur, ut earum virium, praecipue *moralium*, (*actionibus liberis acquiſitarum*), contemplatio nos ſuaviter afficiat, quae ſocietati utiles, neque omnibus peraeque communes, ad hominum commoda adhibentur. Sentimus impulſum a natura profectum, quo ducti ejusmodi vires majori attentione conſideramus, approbamus, memoria tenemus, earum poſſeſſores ab aliis, qui paria facere

 non

non poſſunt, diſcernimus, iisve, quos pluris, quam alios facimus, pares judicamus.

Creſcit haec aeſtimatio pro ratione & virium, quibus aliquem pollere obſervamus, & difficultatis eas adipiſcendi & conſervandi, inſuper utilitatis earum, & noſtrae de hac cognitionis, porro pro paucitate illorum, qui cum eo, cujus merita agnoſcimus, veniunt in contentionem, proque hujus modeſtia.

Contra decreſcit aeſtimatio hominis, cum primum perverſus earum, quas habet, virium uſus, isque in primis ſocietati noxius, cogitatur. Magnifacimus Alexandrum, quamdiu ejus in conſiliis capiendis celeritatem, in iisdem efficiendis fortitudinem, tot tantasque res decem annis geſtas, intuemur. Sed vix eum cogitamus incendere Perſepolin, interficere *Clitum*, non parcere canis *Parmenionis*, vix nobis venit in mentem, fuiſſe ipſum, ut ait SENECA, *latronem gentium*, atque admirationem convellit contemtus, indignatio, horror.

§. CXXIV. Verus honor eſt judicium verum de magnitudine virium vere aeſtimabilium, quas poſſident alii. Hujus judicii ſignificatio verbis, factis, expreſſa eſt *honor externus*. Plurium in idem judicium, praeſertim de *majoribus alicujus viribus moralibus*, conſenſus, appellatur *gloria*. Honos ob magnarum virium moralium poſſeſſionem enti cuidam intelligenti habitus, & cum ſingulari ſtudio ipſi non diplicendi conjunctus, dicitur *veneratio*.

Falſus honos eſt judicium de alterius viribus, vel ab errore profectum, vel idcirco ſimulatum, ut eum, de quo judicas, vel & alios, judicii tui fide fallas.

Error judicii in eo poſitus eſt, vel ut nimium, vel ut parum, alios aeſtimes Poſtremum fit, vel quod juſtum virium, de quibus judicandum eſt, pretium ignores, vel quod illis, quibus pollet, viribus alterum

rum eſſe praeditum neſcias, vel quod veritas judicii corrumpatur malignitate, commodi privati ſtudio, livore. Ultima cauſa praecipue efficere ſolet, tum ut minima errata in aequa lance cum dotibus egregiis & longa excellentium factorum ſerie ponantur, tum ut merita majora parvi ducantur. A livore e. c. oritur parum liberale de ſummis viris, qui bello eminuerunt, judicium, idem facturos fuiſſe quosvis ejusdem gradus duces militiae, ſi parem fortuna ipſis occaſionem obtuliſſet.

Error in *honoris nimii* attributione poſitus oriri poteſt vel ex falſa opinione, aliquem poſſidere vires, quas non poſſidet, easve eſſe majores, quam ſunt; vel ex judicio falſo, quo quod in imbecillitate ponendum erat, id viribus accenſetur.

Hic honos *verae* voluptatis compotem facit neminem. Nam vel ei *ſenſus internus* illius, qui honoratur, reclamat, vel hic nunquam certus eſſe poteſt, haud eventurum, ut in contemtum deſinat. Vanitas, quae admirationem poſcit absque ulla dotium, quibus ſe extollit, admirabilitate, oſtentatio, quae fallit, magniloquentia, quae irritat invidiam, ſunt effectus ingenii imbecilli, & fini ejus, qui honorem cupide quaerit, e diametro adverſae.

Fateor, ſaepe fieri, ut judicia falſa de eo, quod contemni vel honorari mereatur, a populis univerſis pro veritate diu habeantur (§. 35.) Non idem ubivis turpe & honorificum. Quid ſit laude, quid *meriti egregii* nomine dignum, paſſim eſt potius quaeſtio chronologica, imo topographica, quam philoſophica.

Verum haec errorum multitudo & diuturnitas non probat, *effectu inſpecto* nihil intereſſe inter honorem *opinatum* & *verum* (§. 123.) Opinionum commenta dies delet. Diſpereunt, cum populi philoſophari incipiunt.

Veri demum honoris amorem natura cum felicitatis ſtudio conjunxit. (§. 105.) Quos enim falſae gloriae cupiditas inflammat, illi aut ſcientes, aut opinione hominum in errorem inducti, id quod vere perniciosum eſt, praeferunt bono vero, utpote impatientes doloris ex quavis vituperatione. Inde fit, ut v. c. doctorum hominum retractationes ſint rarae, ac *quod ſemel ſcriptum* eſt, maneat, quaſi in nulla re errare, non ſit proprium divinitati. Vera eſt gloria, non tueri dicta aut facta ſua *cum ſuo & alieno incommodo*, tantumque habere perfectionis, ut fatenti ſe erraſſe, non deſit, ob quod aeſtimetur. Ipſa ingenuitas, nobilioris index animi, auget pretium hominis errorem ſuum confitentis, aut corrigentis.

Veri honoris ut potiaris dulcedine, via maxime compendiaria eſt haec; qualis videri velis, talem eſſe, eſſe autem bonum & ſocietati utilem. Hujus vitae neminem poenitere poteſt, etſi deſiderati honoris fructum non conſequatur. Quem enim voluptatis fontem extra te in alienis de te judiciis fruſtra quaeſiveras, eum in te ipſo ac in virium tuarum conſcientia reperies.

Ex quo inſuper intelligitur, veri honoris ſtudium non debere videri *bonum unicum*, quo homines in ſocietate collineent. Fortunatus eſt, cui contingit, in pretio eſſe aliis: ſed is, cui fortunae fulmina hanc ſuavitatem auferunt, immerito putaverit, ſe eſſe *miſerum*. Aliqua felicitatis particula nobis negata, non interit felicitas. Si utrumque ſimul haberi nequit, praeſtat eſſe *honorabilem*, *quam honorari*.

§. CXXV. *Sexto* Natura per ſocietatem, quam inter univerſos ordinavit, invitat homines, ut in his

his felicitatis communis principiis non ſubſiſtant, ſed, arctioribus conjunctionibus initis, eam augere aggrediantur. Ars naturam adjuvare debet. Hoc enim conſilio datae ſunt homini vires cum intelligendi, quid poſſet facere, ut initia felicitatis ſecum nata perficiat, tum efficiendi, quae ſibi profutura intellexit.

Sunt quaedam bonorum genera, quae aut omnino non, aut non perfecte, impetrari poſſunt, niſi duo pluresve communi conſenſu, ſecundum eandem normam, in quam conſenſerunt, agant diu aut perpetuo. Ex quo oriuntur *ſocietates ſpeciales*, *temporariae*, *vel perpetuae*, ſive *duorum vel plurium conjunctiones ad aliquod bonorum genus*, *communi conſenſu electum*, *communibus viribus obtinendum.* Id bonum vulgo dicitur *commune.* Poteſt homo harum ſocietatum auxilio minuere moleſtias ſuas, & potiri majori bonorum numero, quorum copia, pondere certaque poſſeſſione hujus vitae felicitas amplificatur.

Socii propoſitum ſuum aſſequi non poſſunt absque regulis, (aut legibus) quas ſibi voluntate expreſſa vel uſu conſtituunt. Illis enim docendi ſunt ſinguli, quid eos facere aut non facere oporteat, partim ne bono communi obſiſtant inſcii, partim ut ſuis illud viribus, ſecundum eandem agentes normam, augeant. Harmonia ſingulorum ſociorum in modo agendi roborat vires coetus totius.

Regulas, quae ſingulorum actus ad bonum commune dirigant, ſocii vel uno omnes conſenſu, vel unius, paucorum, aut plurium ex voluntate ſtatuunt. *Aequalis* dicitur *ſocietas*, in qua omnium voluntas decreta facit. Sed cum coetus multis ex hominibus conſtans, isque diuturnus aut perpetuus, non poſſit eſſe coetus *ſapientum*, qui ad unum omnes paribus intelligentiae & bonae mentis do-

tibus excellant: vident ſocii, ſua ipſorum intereſſe, ut in negotiis communibus regendis conſentiens ſingulorum voluntas pro ſola lege non ſemper habeatur. Exinde nata eſt diviſio ſocietatum in *aequales* & *inaequales*. In his penes alios eſt *facultas ſtatuendi, quid boni communis rationi conveniat, penes alios, etſi reliquorum decretis parum contentos, obſequium.* Ingenium humanum in commoda ſua, praecipue *externa*, intentum quam plures id genus *conſociationes* invenit: quae omnes videntur referri ad duas poſſe, *publicas* nempe & *privatas*. Hae plerumque eo conſilio initae ſunt, ut voluntate aut obitu eorum, qui illas fecerunt, ſolvantur; illae, ut continua ſociorum ſubſtitutione fiant perpetuae & aeternae.

Perfectio ſocietatis cujusque eſt poſita in propoſiti, quod habent ſocii, amplitudine ac nobilitate, & adjumentorum illi aſſequendo inſervientium prudenti delectu, alacritate denique conſtanti ita ſubſidiis communiter electis utendi, ut deſtinata perficiantur.

Nulla ſocietas, *parva aut magna*, plane vacat incommodis: optima eſt illa, quae minimis urgetur. Quae vero haec eſt? In qua plurimi ſocii vera ſocietatis commoda perſpiciunt, & pauciſſimi ſuam a communi utilitatem divellere cogitant, nedum audent.

§. CXXVI. Ex privatis ſocietatibus *perpetuis* duae praeſertim ſunt eximia vitae proſperioris adminicula, *amicitia* & *conjugium*.

Amicitia eſt gradus ſummus benevolentiae inter duos intercedentis, ex magna propenſionum conſenſione, vel & ex ſtabiliori utilitatum, aut periculorum, communione ortus. *Vera*, hoc eſt, *conſtans verorum bonorum* (§. 10.) *genitrix*, non eſt ea omnis, quae valde fervet, ſed qua *boni*, hoc eſt, regularum vitae naturalium tenaces, ad felicitatem mu-

tuam

tuam communiter fruendam & amplificandam connituntur.

Nam vix fieri poteſt, quin quae malefaciendi cauſa contrahitur amicitia, illa deſinat in contemtum & odium, ſimulatque malorum conſiliorum participes erroris aut impotentiae ſuae magnitudinem & effectus perſentiſcunt.

Amicitiam veram in bonis vitae praecipuis habere, non eſt indicium exiguae firmitatis & minutarum virium, ut ſibi perſuadent, qui his repudiatis vitae jucundae adminiculis, velut infra ſe poſitis, viribus ſuis nimium confidunt. Neque ſuavitas, quam parit amicitia *vera*, bonis exiguis eſt annumeranda, ut putant, qui in opibus, in dominatione, in voluptatibus abdominis, bonum ſummum ponentes, voluptatis ſubtilioris, quam vinculum caritatis arctius habet, ſenſum amiſerunt. Conſtans & perpetuus amicitiae cultus eſt ſignum ingenii perſpicacis, ea jucunde vivendi adjumenta, quae natura parca manu dedit, cognoſcentis, juſto ac majori ob raritatem pretio aeſtimantis, & ardenter amplectentis.

Fida, firma, veri & dicendi & audiendi cupida, nunquam ſuſpicioſa, in nullius fraudem conſpirans, ob ſordidum lucri certamen numquam rixoſa aut frigida, abhorrens a veteri vitae regula, *ama, tanquam oſurus*, ne ſupremo quidem diviſa die amicitia, funeri ſuperſtes perennat. Neque ejus, quae deſiit ante mortem, poenitere poteſt illum, qui nullius ſibi culpae conſcius deſeritur. Hic defectionem hominis, cui totum ſe dederat, merito dolet, non ulciſcitur, nec magis fit proditor amici, qui fuit, quam cum eſſet.

Quousque patet fiducia, quam in amici fide & efficacitate merito ponimus? Quid nobis negari

 fas

fas eſt, quidve nefas? Arcta haec copula non huc ſpectat, ut indulgentia ſibi noceant amici, ſed ut enixe ſtudeant ſibi prodeſſe. Verum non quaevis benignitas prodeſt. (§. 119.) Neqne amici voluntas, nec noſtri erga ipſum impetus amoris facere poſſunt, ut rerum natura mutetur, & quae huic adverſantur, ea fiant bona, cum amici cauſa peraguntur. Huic recte negamus, quod quemvis hominem homini, ſecundum immutabiles felicitatis humanae regulas, negare oportet. Illud praeſtemus, quod ipſi etiam cum incommodo noſtro haud denegari, generis humani intereſt.

§. CXXVII. Cum coelibatus paucis conveniat, vaga Venus nulli: natura vim amoris & amicitiae conjungit, ut mas & femina individuam utriusque fortunae ſocietatem contrahere non dubitent; quae *matrimonium* appellatur.

Non coeca libidine, ſed inter eos, quorum animos mutuae caritatis aeſtimatio conglutinat, contracta haec ſocietas ob id ipſum, quod eſt *perpetua*, inſervit tum augendae illorum, qui conjunguntur, felicitati, tum & generi humano, ac per educationem rationis uſui, propagando. Utroque hoc nomine grata eſt Deo, ac divinitus inſtituta dici poteſt.

Non unicus ipſius finis eſt ſobolis procreatio & educatio, ſed etiam mutuum vitae adjumentum.

Utrum rectum ac ſapiens fuerit conſilium eorum, qui nuptias contraxerunt; non *ex eventu*, ſed ex *ſpe probabili* aeſtimandum, quam de incrementis mutuae felicitatis habuere conjuges, cum hanc arctiſſimam conjunctionem inirent. Omnis actio, cujus eventus partim a *fortuna* pendet, parit *effectum neceſſarium* (§. 39.) animi ſe ipſo contenti, nihilque ſibi exprobrantis, ſi ſpes boni ſucceſſus eo tempo-

re

re fuit probabilior, quo quid ageret deliberavit, quam metus exitus improſperi, prudentiam omnem aut vires humanas ſuperantis.

§. CXXVIII. Expoſitis commodis, quae ex ſocietate in ſingulos derivantur, reſtat, ut nec mala eam comitantia, modumque illa effugiendi, aut tollendi, aut leniendi, praetermittamus. Haec vel 1) ex *alienis* vel 2) ex propriis ejus, quem premunt, factis naſcuntur, vel 3) ſunt *mixti generis.*

Ad quod *tertium* genus referri debet contagio, quae ex *corruptis* eorum, cum quibus vivendum eſt, *moribus* originem ducit. Nam in quavis morborum *moralium* propagatione partim illi peccant, qui corrumpunt, partim illi, qui corrumpuntur. Depravatio morum, qua ſocietas quaedam infecta dicitur, eſt colluvies quaedam *principiorum moralium, (regularum vivendi) quibus multi ſocii a cura commodorum ſocietatis avocati adducuntur, ut nihil eorum, quae non puniuntur, vituperabile aut ſibi non permiſſum judicent.* Huc pertinet *praeter intemperantiam libidinis cum ſuis effectis*, religionis omnis irriſio, & Egoismus Moralis (§. 154.) Gradus major hujus corruptelae eſt, cum quaelibet, ut ait Tacitus, *vitia ridentur;* maximus, cum homines conſpicui illis gloriantur.

Primum, quod memoravi, *malorum genus*, vel 1) a maligno propoſito (*dolo*) proficiſcitur, vel 2) ab *imprudentia*, (*culpa*) ſeu *defectu attentionis in iis evitandis, quae aliis noxia fore praevideri potuit*, vel 3) accidit caſu magis, quam aliena voluntate aut imprudentia. *Caſus* hoc ſignificatu eſt eventus, quem praevidere, vel avertere non potuit is, qui nocuit.

Dolus alius eſt *directus*, cum quis id ipſum malum cuiquam comparavit, aut conficere cogitat, de quo alter queritur; alius eſt *obliquus*, cum pro malo, quod

quis inferre voluit, praeter expectationem infert malum diverſi generis; v. c. cum quis verberare voluit, ſed praeter opinionem verberibus adverſarium occidit.

Incommoda quocunque modo inferantur, vel poſſunt averti & ſarciri, vel medelam reſpuunt. Avertuntur *prudentia*, repelluntur *defenſione*, & *ſatisfactione* reparantur. Adverſus caeteras *aerumnas*, quibus reſiſti non poteſt, recurrendum ad *patientiae* (§. 88.) & *fortitudinis* (§. 86.) robur. Solatium peti poteſt ex cogitatione majorum vitae commodorum, quibus ob quasdam acerbitates carere nolis, & quorum pretium minus evitabili quarundam moleſtiarum interventu intenditur.

§. CXXIX. *Genera malorum*, quae alii aliis dolo aut culpa (§. 128.) importare ſolent, ſunt *duo*. (§. 131.) Primum oritur ex factis, quae aggrediuntur IV. bona, quae JCti nomine *ſui* comprehendunt: 1) *vitae & corporis incolumitatem*, 2) *libertatem externam*, (§. 142.) 3) *res acquiſitas*, nique 4) id, *quod alter alteri ex pactis debet*.

Arbitrariam privationem poſſeſſionis, & impeditionem liberi uſus horum quatuor bonorum, invito eo, ad quem pertinent, factam appellamus *laeſionem*, *injuriam*, (ſeu *vim nefariam*, ſignificatu vocis *latiori*.) Malum ex *laeſione* ortum dicimus *damnum*.

Nolle naturam, ut homines mutuo ſibi damna inferant, apparet tum *ex ſtimulo inſito defenſionis*, tum ex eo, quod *actus violentos*, quibus haec quatuor communia quaſi ſacra hominum impetuntur, magnum & commune odium invaſoris, veluti hoſtis communis, celerrime conſequatur. Tum enim ſuam rem agi, ſuum hoc eſſe periculum, in-

inſita quadam ſympathia adacti, putant omnes, indignantur, fremunt, ad arma proclamant. Plebs Romana cum audit, in ſenatu, in loco ſancto, interemtum eſſe Caeſarem, nondum faces importat conjuratorum aedibus. Peroſa dominos non ulciſcitur caedem viri magni, quem ſuſpicio affectati dominatus adduxerat in invidiam. Sed vix recitantur Senatusconſulta, vix audit plebs teſtamentum Caeſaris, vix videt veſtem, quam Antonius monſtrat, cruenta vulnerum veſtigia ante oculos conſtituentem, atque movetur, inflammatur, non dominum ſed patrem, inſidias, vim, locum caedis, cogitans nulla ſpe lucri, ſola indignitate facti permota, execratur percuſſores, nec ponit furori modum.

In primis quod ad *violatam promiſſionis fidem* attinet, ineſt in homine naturalis quaedam impatientia alieni ludibrii. Acres hoc doloris morſus relinquit in animo, cum ejus, qui fallitur, tum ſpectatoris. Vix ſe quisquam tenere poteſt videns bonae aliorum fidei petulanter ac malitioſe inſultari.

Praeter inſitum homini violentiae & fraudis odium, ratio *ſanctitatem* horum *quatuor* bonorum ex effectu neceſſario concludit, quem eorum precaria & lubrica poſſeſſio habitura erat, nempe *ſocietatis omnis everſione*. Nihil ad hanc expetendam, *ſublata illa ſanctitate*, alliceret homines, niſi turbulentos *improbitas & ſpes praedae* ac *dominatus*; majusque pretium ſtatueretur tranquillae ſolitudini, quam infidae communitati. In hac deficerent, aut prae metu aut ſenſu moleſtiarum, quae ex *laedendi* licentia provenirent, vix *ſentirentur ſocietatis commoda*, (§. 112.) ſtudiumque earum felicitatis partium, quarum adeptio placidam vitam depoſcit, redderetur non poſſible.

Igitur aut ſalva & inviolata haec cuique bona eſſe oportet, aut *bella perpetua* naſcentur, horrida bella

omnium

omnium adverſus omnes. Placet naturae primum, quia deteſtatur extremum. (§. 108.)

Concludimus, baſin ſocietatis omnis eſſe *quietem*, (ſecuritatem). Haec vero eſt *ſtatus hominum congregatorum, quibus ab aliena vi arbitraria nullus damnorum metus probabilis impendet.* Ad hanc quietem *tuendam*, hoc eſt, ad naturam quatuor bonorum, quae indicavimus, explicandam, & ad remedia, quibus illa & defendi poſſunt & recuperari, exponenda, ſpectat *jurisprudentia univerſa*, cum *naturalis*, tum *civilis*, ut infra explanabitur. (§. 263)

§. CXXX. Adverſus damna (§. 129.) inferenda aut illata non ſemper preces, aut ratiocinia ſufficiunt, ſed nullum aliquoties remedium efficax ſupereſt, niſi hoc, ut vis ſufficiens vi illatae opponatur. Metus, vel unum de illis quatuor bonis, nedum ea omnia, perdendi, terret eorum violatorem, ut ab incepto deſiſtat, aut facit, ut, cum nocuit, negata ſatisfactione nocere non pergat. Sarmatiam a Germania quondam, ut inquit TACITUS, ſeparavit *mutuus metus.*

Complexus actuum violentorum, quibus damnum inſtans, vel ejus continuationem, avertere conamur, dicitur *defenſio per vim.* Natura homines ſocietate devinxit. (§. 100.) Cum ſibi ſemper ſit conſentanea: non poteſt non ea probare, quorum ſola vi impediri poteſt ſocietatis everſio. Si deſint remedia valida, quibus damna evitentur aut reparentur, homines diſſociantur. Igitur natura probat *vim*, qua *vis nefaria* (§. 129.) *repellitur*, tanquam remedium *unicum*, quo quies ſocietatis humanae conſervari poteſt.

Neque *ſalva hominum aequalitate*, quam natura ſapienter conſtituit, (§. 110.) fieri poteſt, ut alter

ter viribus ſuis utatur ad nocendum, alter non utatur ad impediendum, quo minus ſibi officiatur.

De conventionibus ſpeciatim animadvertendum; eum, qui pacta facit, ſe coactui alieno ſubjicere, vimque ſe paſſurum promittere, ſi fidem fefellerit, ut promiſſa facere, vel id quod intereſt, praeſtare cogatur.

Haec autem formido coactus non nocet felicitati. Sit ingrata homini, qui ſibi quidvis licere velit. Huic expedit, ut metuat; atque ſocietati, ne metuat; ſalutare eſt, terrorem turbulentis incuti, ut nocendi conſilium deponant.

Eſt tamen aliquando *vere* & *multo* jucundius, abſtinere a violenta defenſione, quam vi vim repellere. Pone, damnum tibi impendens, vel illatum eſſe leve, aut tuis viribus facile reparabile; contra malum, quod defendendi cauſa illaturus eras, adverſario valde grave futurum, & vel omnino non, vel difficulter, reparabile. Quod bonum nos *ultro* negligere & perdere oportebat, ut alterius aut mala ſublevemus aut commoda augeamus: illud invitis auferendum aut ereptum nos ob eandem cauſam non defendere aut recuperare, ſed dimittere, noſtrum intereſt.

Beneficii genus eſt, (§. 117.) tantum habere roboris, ut a defenſione *laedenti* nimis noxia abſtineas: isque ſui ipſius victoria eſt *nobilis*, (§. 85.) qui *magnum* damnum & ſibi *valde* acerbum ob eandem cauſam non propulſat. Hic & ſenſum doloris ex tali jactura orti minuit, vel tollit, dum in ſe ipſo acquieſcit, & aliis ob imperium in ſe ipſum veneratione dignus videtur.

§. CXXXI. Praeter hoc primum (§. 128.) genus

nus malorum, quae a *vi* (§. 129.) proficiſcuntur, datur & aliud, quod *ſine ea* nocet vitae jucunditati ac progreſſui felicitatis. Id nobis venit nomine *incommodorum.*

His duplici modo affici poſſumus, 1) dum vere nobis profutura alii homines *omittunt:* 2) dum ea *peragunt*, quae brevis vel longinqui doloris cauſam nobis afferunt, quamvis IV. bona (§. 129.) enumerata haud aggrediantur.

Quod poſtremum dupliciter evenit, vel cum ſoli, vel cum per alios nocent. Nocent per alios, qui faciunt, ut alii ei, cui non favent, *deſint*, vel *obſint.*

§. CXXXII. Quarum corruptelarum *fontes* inquirere expedit; ut *remedia* feliciori ſucceſſu reperiantur. *Ut non facias*, quae a te fieri alterius vere intereſt, ejus rei ſaepe cauſa datur ſpecialis, ad eum, cui non ſubvenitur, reſtricta. Huc v. c. pertinet, cum non amas hominem, interdum ipſe non valens dicere, quare? ubi obſcura quaedam ratio mentem impellit, forſitan vultu phantaſiam movente & efficiente, ut primus hominis adſpectus imagines quasdam acerbas, licet obſcuras, animum ab ipſo alienantes, progeneret.

Cauſa generalis, qua fit, ut non unus & alter negligatur, ſed ut permulti, imo plerique homines abjiciantur, eſt cor *frigidum & durum.*

Non hoc, ſed cor tenerum, natura dedit hominibus. Id quod docent inſtinctus *benignitatis*, caeterique, qui tanquam ſurculi ex hac ſtirpe naſcuntur. (§. 102. ſeqq.)

Callus ille animi ex variis cauſis naſcitur & ſuccreſcit. Nunc educatio ad alios negligendos ob diverſum vitae genus, natales, inſtitutorum, morum,

rum, cognitionis, ſacrorum diſſimilitudinem, tenellos detorquet, & per totam vitam indurat. Nunc propenſio dominans facit, ut eorum, quorum ope haec non eget, incuria, vel & contemtus obrepat in animum. Nunc pigritia refrigerat calorem alios juvandi. Inprimis flagrans privati commodi cupiditas, quae omnem alienae utilitatis reſpectum excludit, mentem congelat. Nonnunquam vel continua afflictationum ſerie, vel conſuetudine & multos & diu videndi calamitoſos, indureſcit animus, & tanquam ab adſuetis affici deſinit, neque incaleſcit, niſi novum calamitatis genus, aut novus ejus gradus, qui ab adſuetis diſtingui poſſit, ipſi faces ſubjiciat.

§. CXXXIII. *Faciendo* (§. 131.) ſibi invicem nocent homines, a) *caritate inepta;* (§. 118.) [quam *Seneca bonitatem ſaevam* appellat]; veluti pia mater prolem ſuam cupit ſe eſſe *ingenio & virtute priorem*, & tamen nihil illi negat; vel dominus manumittit ſervum, quem deteriorem fore licentia non ignorat; aut teſtator prodigo, quem ſciens ſine conditione ſcripſit heredem, venenum largitur, non beneficium. *Cor bonum*, quod vocant, ſeu *perpetuo vivax ſtimulorum miſericordiae & communicationis* (§. 103.) *efficientia*, prodeſt ſocietati, cum *ratione* regitur. Haec dignoſcit dolores, quos aliis auferri non oportet, & gaudia, quae praeſtat cum aliis non communicari. *Non committam*, (inquit Seneca) *ut poſſit dici, ille amando me occidit. Saepe nihil intereſt inter amicorum munera, & hoſtium vota.*

b) Faciendo inſuper ſibi officiunt homines quacunque *ſignificatione malevolentiae*, ſive nuda & inefficaci, ſive efficaci, hoc eſt, in actus aliis ingratos & noxios erumpente.

Etiam

Etiam ſimplex animi a nobis alieni teſtificatio habet aliquid ingrati. Quae acerbitas augetur pro magnitudine virium alienarum, quibus detrimentum nobis afferri poteſt, & pro rationum probabilitate, ob quas metuimus, ne nobis noceatur.

Malignitas actuoſa partim *recta via*, partim *obliqua* per alios, nocet.

Recta, alios vexando variisque modis enervando, vel ipſorum, incrementis ac bonis conſiliis malitioſe intercedendo, vel efficiendo, ut ultro debiliores facti videantur. Saepe enim, qui ſua virtute non poſſunt, illi aliorum imbecillitate valere conantur. Quo fit, ut conſiliis ſubdolis, largitionibus, adulatione, ſimilibusque momentis eos corrumpant, quorum progredienti felicitati ſtruunt inſidias, faciantque exemplis & illecebris, ut quos peſſumdare conſtituerunt, illi inſidiarum incauti in errorum pravarumque cupiditatum, ac malorum ex iis naſcentium, ſocietatem ultro veniant.

Oblique nocent, qui benevolentiam aliorum erga eos, quibus male cupiunt, refrigerant vel tollunt. Quod fit, hos in contemtum aut invidiam adducendo calumniis, ſuſpicionibus excitandis, irriſione. Unde duplex malum naſcitur; unum eorum, quibus inſidiantur, dum eos favoris alieni fructibus privant, alterum eorum, quorum corruptos diffidentia aut contemtu animos ab utenda hominum ſibi vere utilium opera avertunt.

§. CXXXIV. Incommoda, (§. 131.) quae alii aliis afferunt, perinde ac *damna*, (§. 129.) non omnia ex *odio* naſcuntur, Quaedam oriuntur ab indigentia, a conſcientia propriae infirmitatis, porro a petulantia, ab avaritia, ab ambitione: ac magis produnt indomitam bonorum externorum cupi-

piditatem, quam animum malignum adverſus eorum poſſeſſores vel petitores. Demum, cum his cupiditatibus reſiſtitur, ſubnaſcitur odium reſiſtentis. Quo facto idem velle, diſtrahit animos, eosque vel mutuae violentiae ardore committit, vel in mutuam fraudem reddit ingenioſos.

Is cupiditatum conflictus inter eos, qui in agris vivunt, rarior ſolet eſſe, frequentior contra in urbibus & coetibus quibusque majoribus.

Nam ipſa hominum eodem loco habitantium copia, aut frequentes congreſſus nova gignunt ipſorum deſideria; haec vero multiplicata rerum, quae *a multis* expetuntur, paucitate neceſſario committuntur. Amorem opum propagat plurium opulentorum concurſatio: ambitionem honorum & imperii incitat eorum ſplendor, qui his fulgent. In primis a magnis conventibus, in quibus negotia communia tractantur, non ſolet, vixque diu abeſſe poteſt, laudis cupiditas & eminendi ſtudium. Hoc autem ſaepe inflammantur artes, merita aliena obfuſcandi, vel in invidiam adducendi. Varia inſuper vitae genera, (v. c. *opificia*) quorum proſper ſucceſſus a fiducia ac favore alieno pendet, gignunt contentiones, deinde diſcordias. Finge praeterea, concurrere homines deſidioſos & inertes, qui ſibi honores & munera quaeſtuoſa vindicent: depriment bene merentes, ne obſtent, & ſi odio ipſos non proſequantur. Verbo, opum aviditas, rei domeſticae ratio, praeſumtae opiniones vel gentilitiae, vel in univerſa ſocietate receptae *de vili aut honorifico & quibusdam neceſſario vivendi genere*, & ſimiles cauſae facere poſſunt, ut homines in magnis viventes coetibus primo earundem vitae commoditatum & proſperitatum fiant competitores, exinde adverſarii,

ſemet ſupplantare parati, tandem inimici efficaces, virulenti.

§. CXXXV. Incommodis, quae ab *odio* naſcuntur, plerumque cauſa ſubeſt offenſionis cujusdam (ſive mali vere aut opinato illati, ſive auxilii cujuscunque denegati) vivax & quandoque manens cogitatio. Ad hunc locum pertinent *livor & ultionis aeſtus.*

Livor, ſeu *invidia*, eſt dolor torquens animum cogitatione boni (§. 10.) alieni, quod vel adipiſci, vel unum te poſſidere, fruſtra concupiſcis. Natura non adducit homines ad hanc aegritudinem, qua, velut febri lenta, tabeſcunt, ſed invitat eos ad mutuam *aemulationem*, ſive ſtudium vires alienas imitandi, (§. 98.) iisque ſuas exaequandi efficiendique, ut emineant. (§. 105.)

Invidia demum incipit a deſperatione aemulantis; vel quod ea, quae ab alio poſſideri videt, non poſſideat, vel quod non ſolus. Duo enim ſunt hujus doloris genera; unum eorum, qui pares, eorum alterum, qui non poſſunt ferre ſuperiores. Procedens livor gignit odium primo leve & inefficax, mox gliſcens, tandem mordax, quod erumpit in vehementem nocendi impetum. Vis hujus impetus augetur, quo manifeſtiora ſunt argumenta, eum, qui altero eſt inferior, propter impotentiam ſuam negligi ab aliis, & in primis ſuperbius deſpici ab eo ipſo, cujus praeſtantiam veram aut opinatam ferre nequit.

Obtrectatorem enim imbecillitatis ſuae conſcientia excruciat, cogitantem, quod viribus, harumque auctoritate & gratia apud alios, vel ſe aequare, vel antecellere ei, quicum ſe confert, non poſſit. (§. 105.) Sentit, ejus viſu & imagine vulnera ſua re-

refricari. Quoties illum cogitat, toties ſibi displicet. Unde uno hoc remedio dolendi cauſam tolli poſſe putat; vel ut is, quem irretortis ſpectat oculis, ſuique doloris *auctorem* judicat, vere fiat, aut opinione hominum exiſtimetur debilior, vel ut removeatur. Hinc *paſcitur in vivis livor, poſt fata quieſcit.*

Planum eſt, invidiam eſſe foetum mentis hebetioris, *ultro*, absque *ullo fructu*, *ſemet excruciantis*; veraeque imbecillitatis. *Qui invidet*, *minor eſt*, inquit *Plinius* Cadebat Roma, cum, ut in Senatu Caeſar dixit, non, quemadmodum majores fecerant, *imitari*, *ſed bonis invidere* coepiſſet.

Efficacius & naturae accommodatius, quam quo utuntur invidi, foret remedium hujus aegritudinis vitandae aut ſanandae; noſſe & metiri vires ſuas, atque eas, quantum fieri poteſt, augere; non tam cogitare, qui ſint alii, quam qualem te eſſe conveniat; nullamque in comparatione cum iis, quibus natura, aut fortuna fuit faventior, ponere miſeriam.

§. CXXXVI. Ad ſui defenſionem naturalis hominem inſtinctus impellit, non ad ultionem. *Defendit ſeſe*, qui malum inſtans vel continuationem ejus, quod illatum eſt, avertit. *Ulciſcitur* facinus, qui poſt malum depulſum, vel poſteaquam illud reparari non poſſe novit, ipſius auctori idcirco nocet, ut hunc pariter dolere geſtiat.

Ultio alia eſt promta & praeſens, alia lenta & inſidioſa; haec uti *malitiae plenior*, ſic plerumque nocentior. Adverſus occultos enim impetus minor, quam contra apertos, eſt defenſio.

Infantes naturali incitatione incenſi, malum verum aut opinatum ab aliis inſtans aut illatum amovere, ardenter conantur. Eo depulſo contenti, po-

nunt odium. Sed, in *iſto defenſionis & ultionis confinio*, in cupiditatem par pari referendi facile prolabuntur. Incitantur, ut hoc faciant, nonnunquam monitis educatorum, plerumque exemplis aequalium, & poenis ipſis, quae ipſis aliisque infliguntur. Cum enim poenas aliquando eſſe *defenſionis* genus, nondum intelligant; axioma generale ex his, quae vident, audiunt, & ſentiunt, confeſtim colligunt: faciendum eſt, ut qui nos dolere coegit, is viciſſim doleat. Quem ſentiendi modum perperam vulgus imperitum vocat *jus talionis.*

Neque vero natura vim ſuam omnem, *vindictae cupiditati* repugnantem, (§. 51.) in tenella aetate ſtatim amittit. Quamdiu infantes malum ſibi illatum ſentiunt, grata ipſis eſt ultio, eamque cum *defenſione* confundunt. Prout dolor ex injuria vel offenſione ſuſceptus fugit, ejusque effectus tolluntur, obſcuratur cogitatio facti improbi, languere incipit odium auctoris, & tandem cum ſenſu mali accepti evaneſcit.

§. CXXXVII. Vulgo inviſi ſunt malefici. Poſcitur vindicta, quamdiu illorum imago aliquid quaſi hoſtile & communiter noxium exhibet. At ſimulac ſceleratorum vultus poenitentiam, ac vincula illis injecta virium nocendi inopiam demonſtrant: tacita plebis quoque commiſeratio ipſos ſordidatos proſequitur. Deleta malitiae imagine, ac metu omni ſubmoto, extinguitur odium nocentis.

Pulcher cenſetur animus, qui cum ulciſci poſſet, ſuo confidens robore ignoſcit; odioſus contra videtur, (& re vera impotens eſt), qui aeternas iras fovet ac coquit. Nec *quicquam eſt glorioſius*, inquit Seneca, *principe impune laeſo.* Quam pulchra lectuque ſuavis eſt laus *Jul. Caeſaris*, qua ſum

ſummus ipſum orator extulit: *Nihil oblivìſci ſoles, niſi injurias!* Quam ad gratiam reconciliandam efficax illud *Auguſti*, Cinnam [qui *Pompeji M.* ex filia nepos erat] detecta periculoſa conſpiratione, his verbis blande alloquentis: *ex hodierna* die Cinna *inter nos amicitia incipiat!* Eleganter Seneca: *Bonum principem Auguſtum, & bene illi conveniſſe parentis nomen fatemur, ob nullam aliam cauſam, quam quod contumelias quoque ſuas, quae acerbiores principibus eſſe ſolent, quam injuriae, nulla crudelitate exequebatur, quod probroſis in ſe dictis ariſit, quod dare illum poenas apparebat, cum exigeret. — Haec Auguſtus ſenex, aut jam in ſenectutem annis vergentibus; in adoleſcentia caluit, arſit ira, multa fecit, ad quae invitus oculos retorquebat*

Quam egregie dictum a Ludovico XII. quem Gallia merito patrem ſuum vocavit: *injurias Duci Aureliunenſi factas non ulciſcitur Rex Galliae!* Mens his factis ſuaviter demulſa horret reſponſum Tiberii, unum, quod quidam in cuſtodia rogabat, beneficium, *poenae maturitatem*, negantis, his verbis: *nondum tecum in gratiam redii.*

Quae cum ita ſint, undenam *vindictae morbus?* Multum in eo gignendo valet *indoles*, (§. 79.) *ſexus*, inprimis *educatio* tum privata, tum publica, nitens praejudicatis iisque inveteratis populi cujusque opinionibus. Exempla praebent ſententiae *gentium Borealium* de *inimicitiis hereditariis*, *mores peranti-qui Arabum*, & Judaeorum in hoc genere errores, a Servatore & Apoſtolis everſi.

§. CXXXVIII. Brevis vero eſt voluptas, quae ex ultione percipitur & falſa. Nihil enim, poſtquam percepta eſt, boni importat, multum contra

 mali,

mali. Pro uno vulnere duo infert. Novam ejus, cui par pro malo menſura eſt reddita, ultionem provocat. Is enim videtur ſibi plus mali perpeſſus eſſe, quam fecit. Solus inſuper ultionis metus facile efficit, ut, quem offenderis, eum, tanquam hoſtem certum, odiſſe incipias. Excitat denique haec animi impotentia aliorum in ultorem odia. Alias ex aliis inimicitias, & cum his calamitates, ferens, disrumpit commune vinculum, quo homines ad ſe mutuo juvandos continentur.

Neque eſt, quod ſecuriores exiſtimes futuros, qui mala malis rependant, quam qui ignoſcendo ſe adverſus futuros impetus muniunt. Superſunt momenta praeter *vindictae metum*, quae malignitatem reprimant. Tranquillius & jucundius regnavit Vespasianus, qui majeſtatis reis paene omnibus ſupplicia condonavit, quam Tiberius, Caligula, Nero, Domitianus, qui fere nulli.

Hujus morbi vitandi aut ſanandi remedium eſt: offenſiones, quas tolerat mens *nobilis*, (§. 130.) aut detrimentum, quod reparari nequit, reputare ut tempeſtatem; avertere cogitationem ab auctore mali; & hujus ſenſum acerbum, tum aliorum bonorum comparatione, tum iis, quae patientiae (§. 88.) propria ſunt, ſubſidiis extinguere.

Mens appellatur *generoſa*, quae ſuae confidens robore prudentiae, fortitudinis, aut innocentiae, etiamſi vel acerbiſſima offenſione ſit vellicata, nullam vindictae cupiditatem *ſentit*, vel ſubortam *facile* contundit. *Mens generoſa* eſt *plena hilaritatis.*

§. CXXXIX. Rarior ultionis aeſtu eſt *crudelitas*: quae ex ſola malignitate, etiamſi nullatenus provocata, naſcitur. Eſt gaudium malignum ex gravi & vix aut omnino non ſanabili alterius do-

lo-

lore conceptum, in primis eo, cujus is ipſe, qui gaudet, auctor eſt. Abhoret natura ab hoc vitio. Horreſcit animus viſa vel audita immanitate cui, non eſt adſuetus, inprimis vero, cum ipſi facinus aliquod crudele admittendum proponitur.

Saepe hic morbus oritur a levitate & petulantia adverſus animalia & homines, in prima aetate: nutritur rixis, iisque omnibus, quae efficiunt, ut cor lapideſcat. (§. 132.) Confirmatur opinione, a teneris ſuſcepta, viles eſſe eos, quorum tergo, capiti, famae, quieti, vis infertur, nullumque in eos nefas poſſe admitti. Interdum corporis temperatione ac ſtatu nutrita haec animi affectio, actuum malitioſorum & ſanguinolentorum ſerie multum & continue viſa, lecta, audita, gliſcit altasque radices agit. Zelotypia, vindictae cupiditate, *timiditate*, *calamitate ſubita & magna*, in ſtudium *exquiſitis cruciatibus* affligendi homines, ac rabiem *belluina* atrociorem aliquando formatur. Cujusmodi exemplorum plena eſt *dominicae poteſtatis* apud Spartanos & Romanos, ac bellorum, inprimis civilium, hiſtoria. Venit ad ſummum crudelitas, & maxime irritat ultionem, cum quis non impetu aut ira, ſed riſu jocoque eos, qui reſiſtere non poſſunt, excarnificat. Spectat ex turri *Nero* incendium Romae, *pulchritudine flammae laetus*, *& ſcenico habitu decantat haloſin Ilii.* Notus eſt Tiberii, arte ſaeviendi praecellentis, ſarcasmus, qui hominem intempeſtive facetum inſuſurrantem mortuo cuidam, qui efferebatur, ut renuntiaret *Auguſto*, *legata*, quae reliquiſſet, *nondum exſoluta eſſe*, his ſolutis interfici juſſit, ut celeriter nuntium afferret Auguſto, nunc facta eſſe, quae mandaſſet.

Sibi nocet, qui cum aliis agit crudeliter. Caret ſuavitate benignitatis. *Cognita malitia ſua*, neces-

 ſario

ſario excruciatur *ſera poenitentia*, & quanto longius ab omni humanitate deſciſcit, tanto vehementius in ſe ipſum ſaevit. (§. 109.) Horrent crudelem homines omnes, quamvis extra periculum poſiti. Indignamur, mortuo leoni inſultari. Inermem & proſtratum caedi, plebs infima averſatur. Unde *novus malorum*, quae crudelitatem puniunt, *fons* naſcitur.

Hujus morbi gravis ut tempeſtive obſiſtatur initiis; cauſas, ex quibus eum oriri vidimus, & quaelibet irritamenta ſubmoveri oportet. Idcirco crudele gladiatorum ſpectaculum & inhumanum ſapienter prohibuit Conſtantinus M. Facile enim fiunt crudeles, qui factis crudelibus ſpectandis oculos paſcere adſueſcunt. *Gladiatorium munus*, inquit LIVIUS, *Romanae conſuetudinis primo majore cum terrore hominum inſuetorum ad tale ſpectaculum, quam voluptate dedit Perſeus; deinde ſaepius dando, & modo vulneribus tenus, modo ſine miſſione etiam, & familiare oculis gratumque id ſpectaculum fecit, & armorum ſtudium pleriſque juvenum accendit.*

§. CXL. Adverſus *damna* vim conceſſit natura; (§. 129.) ſed ad *incommoda*, (§. 131.) vel effugienda, vel lenienda, vel tollenda, ſunt *generatim* praeſidio, tum diligens eorum, quae offenſionem gignere poſſent, evitatio, tum *neceſſaria defenſio*, (§. 159.) ſed *non violenta*, ne malum *defenſione ipſa* ingraveſcat, (§. 249.) tum mitis, placabilis, & ſimul fortis animus. Fortis, inquam, animus, qui tam firmus in rectis propoſitis, quam a prava obſtinatione alienus, & nunquam ad eam deſcendens *imbecillitatem*, ut malum malo rependat, (§. 138.) frangit malitiam alienam *pudore* (§. 104.) & *beneficiis*. (§. 117.)

§. CXLI. Supereſt ultima pars *incommodorum*, (§. 131.) quae ſua magis, quam aliena, & plerum-

rumque ſua ſolius culpa, ſibi aliquis in ſocietate conſciſcit. (§. 128.)

Haec ex duplici vitae inſtituto naſcuntur: altero, cum quis metuens, ne ab aliis vitae ſuae commoditas ac proſperitas, & actionum ſuarum ratio, nimis pendeant, ad alienam voluntatem ſe accommodare omnino renuit: altero, cum quis humiliter aliis inſerviendo, ultro coecus, verum felicitatis iter derelinquit. (*cum quis nimis ſe reddit independentem aut dependentem.*)

§. CXLII. Dum arcto mutuae indigentiae vinculo natura devinxit homines; voluit, ut alii de aliis pendeant: (§. 110.) ingenerato autem *efficacitatis* (§. 62.) ac *libertatis* ſtimulo ſimul id egit, ne nimis.

Vidimus, (§. 50.) libertas quid ſignificet pſychologis, cum verſantur in ordine explicando, quo anima ſe accingit ad deliberandum, deliberat, decernit, ac decreta ſua exequitur. Expoſuimus (§. 84.) majorem ejusdem libertatis gradum, qui vulgo *moralis* dicitur, in quem convenit illud *Senecae: inaeſtimabile bonum eſt, ſuum fieri.* Alius illi vocabulo ſignificatus ſubjicitur in vita communi, cum *pro uſu virium voluntario per alios homines haud impedito* accipitur. Hoc ſignificatu intellecta quam vim habeat, ex ſtatu ei oppoſito intelligitur, nempe ex neceſſitate agendi aut vivendi alieno arbitrio. Haec neceſſitas oritur 1) ex eo coactu, quo vires nobis adimuntur agendi ex voluntate noſtra, (veluti cum quis vinculis conſtrictus locum mutare nequit, quae *phyſica* dici poſſit neceſſitas) vel 2) provenit a metu injecto mali alicujus gravis, poſiti ſive in *ademtione bonorum, quae habemus*, (§. 129.) ſive in *negata adeptione eorum, quibus vere egemus, variisque vexationibus*, ni aliis morem geramus. Ille *coactus directus*, hic *obliquus* vocari poteſt.

Ex quibus efficitur *prima* libertatis definitio. Eſt enim *facultas hominis pro lubitu actiones ſuas in ſocietate ordinandi, absque ſenſu aut metu coactus ad id agendum, quod aliis placet:* ſive *rectionis actionum externarum independentia (immunitas) a praeſcriptis alienis*, hoc eſt, *regulis agendi invito obtruſis.* Utque accuratius a *licentia laedente* diſtinguatur, recte dicitur *poteſtas absque laeſione aliorum hominum agendi, quod velis.* Eſt vero *licentia*, uſus virium ad alios affligendos (§. 131.) aut laedendos (§. 128.) audacter adhibitus, atque oritur a ſpe proſperi ſucceſſus facinorum malignorum & a fiducia impunitatis. Et hunc quidem ſenſum libertatis vocabulo ſubjiciunt JCti, cum ipſius jura tradunt. (§. 129.)

Suus eſt, qui plane nullas actiones habet ſuſpenſas ab alieno arbitrio. Talis vix quisquam eſt, *niſi ſolivagus.* Libertatis autem diminutio varia eſt pro *multitudine* aut *paucitate actionum*, quarum moleſta & involuntaria eſt ad arbitrium alienum accommodatio, pro *diuturnitate aut brevitate* illius *conditionis*, proque *incerta cognitione ſtatus futuri*, quale quantaeque moleſtiae ferax futurum ſit arbitrium, cui parere cogaris.

Ex illa faciendi, ac quod velint alii, patiendi neceſſitate vel naſcitur commodum ejus, qui quandam libertatis ſuae jacturam fecit, (veluti leges, quibus civis obtemperat, ad hujus utilitatem feruntur) vel ex obediendi neceſſitate is ſolus fructum capit, cui obeditur.

Maxima & triſtiſſima libertatis coarctatio eſt carcer perpetuus, commodorum ſocietatis everſor, maliſque hominem concluſum aſperrimis implicans. Huic proxima eſt *ſervitus* (*externa*, *privata*) ſeu *perpetuitas neceſſitatis, actiones ſuas ad utilitatem &*

arbitrium alterius conformandi in vicem alimentorum.

Hactenus de primo libertatis (*externae*) ſignificatu. Eſt & alius *more communi loquendi* invectus, qui denotat *genus* quoddam *libertatis moralis*, poſitum in conſervatione ejusdem *libertatis naturalis*, quam *modo* definivimus, adverſus irritamenta, quae a commodis opinatis voluntariae ſubjectionis oriuntur: ſeu eſt *robur animi* (§. 84.) *in eo poſitum, ut a pigra & humili applicatione ad alios, a ſtolida imitatione, & caeco obſequio, ſibi caveat.*

Ex hac *duplici* libertatis, quam memoravimus, interpretatione intelligitur, qui fiat, ut quidam homines eodem tempore, quo libertatis ſunt tenaciſſimi, hoc eſt, ſibi quenquam imperare nolunt, recte appellentur ſervi maxime obnoxii. *Hereditatis ſpes*, (ut hoc exemplum verbis Ciceronis explicem) *quid iniquitatis in ſerviendo non ſuſcipit? quem nutum locupletis orbi ſenis non obſervat? Loquitur ad voluntatem. Quicquid denuntiatum ſit, facit. Aſſectatur, aſſidet, muneratur. Quid horum eſt liberi? Quid denique ſervi non inertis?*

§. CXLIII. Ejus, quam priori loco (§. 142.) definivimus, libertatis ſtudium natura cuique inſevit. Sentiunt hujus igniculos produntque infantes pariter atque adulti. Illi monitoribus aſperi, ſegnesque ad juſſos labores, blande explicata prohibitionis & juſſorum ratione, alacriter faciunt imperata; quaſi nunc non pareant jubentibus, ſed ſibi. Puberes *ſui juris fieri* enixe cupiunt.

Adulti, etiam qui ſervitio ſunt adſueti, fremunt, ſimulac ſuperbiam jubentis, atque imbecillitatem & vanam ſuam ſine viribus iram, cogitant. Ob id ipſum imperioſis eorum, quos non metuunt, vocibus

ma-

magna vi reclamant. Nationes, quae ſine legibus & magiſtratu vivunt, a miti quoque & ſalutari imperio abhorrent, maluntque *parce ac duriter vivere*, quam *affluere bonis & parere.*

Neque eſt, quod naturam ſibi repugnaſſe putes, dum odio cujusvis coactus & imperii invitis obtruſi adjunxerit cupiditatem *dominandi*, hoc eſt, aequales ſuos per vim & moleſtias compellendi, ut faciant aut patiantur, quod velis. Non inſevit, nec probat natura illam cupiditatem. Naſcitur a variis cauſis. Conſtantiores ad eam *capiendam ac retinendam* impulſus in cholericis & melancholicis, quam in ſanguineis, & in primis in phlegmaticis inſunt. Magna praecipue vis eſt adſuefactionis, qua *manens hominum indoles* formatur. (§. 79.) Proles tenera, cujus imperio tota domus regitur, adeo adſueſcit, fieri imperata ſua, ut adultior ſummam ſibi injuriam fieri putet, niſi tota vita dominetur. Accendit *eandem aviditatem dominationis* ſpreta imbecillitas eorum, qui parere coguntur.

Inſignis eſt ingenerati, quo ad libertatem tuendam ferimur, inſtinctus utilitas, ſi regatur rationis imperio. Erigit animos, ut ſibi non evileſcant ipſis, ſed illis fortius reſiſtant, qui contra naturae conſilium (§. 142.) invitis jugum incutere audent, eove incuſſo ſibi videntur altiores, quam ut aliquod naturae humanae pretium ſtatuant. Inflammat homines, ut ſapere auſint; ut vires acquirere, ut ſuo niti robore, quam vim, ab aliena vi pendentem ac precariam, habere malint. Alacres rerum utilium inventores, ſolertes & cordatos errorum noxiorum ac pravorum conſiliorum oppugnatores, fortes hominum oppreſſorum defenſores efficit

§. CXLIV. Ingeneratum libertatis amorem ratione

ne regi oportet. (§. 50.) Haec eum regit, cum prout res ſeſe dant, ejus impetum *intendit* aut *ſedat ac reprimit* (§. 52.) Illum vero quo diriget? Eo, quo regulae morales omnes collineant. Natura uti inſtinctus omnes, ita & hunc *ſupremo felicitatis ſtudio* (§. 12.) ſubjecit. Num is, qui plena libertate fruitur, poſſidet omnes felicitatis numeros? Num ſemper praeſtat, quasvis potius aerumnas perpeti, quam non eſſe ſuae ſpontis? An numquam commoda homini majora confert quaedam libertatis diminutio? Rationis (§. 36.) munus eſt, inquirere hinc in effectus ingenii trucis, omnem hominis, qui alienae voluntati parere aut cedere debeat, ſtatum deteſtantis, illinc in effectus illius ingenii, quod ſe cuidam poteſtati vel voluntati alienae idcirco ſubjicit, ut ſibi & ſocietati magis proſit. Hac comparatione facta recte concluditur, a) *libertatem plenam*, hoc eſt, omnem imperii & coactus directi vel obliqui (§. 142.) immunitatem non exigi, ut homines efficiantur felices; b) non quamvis imitationem aut accommodationem voluntatis noſtrae ad alienam, absque probabili metu coactus, factam, tollere *libertatem*, aut *humilitatis* nomine dehoneſtari poſſe, c) opinionem firmam de poſſeſſione certa integrae libertatis non impedire, quo minus aliquis reapſe, nec ſine gravi ſuo & aliorum incommodo, ſerviat. Videbimus de his diſtribute.

Quod ad *primum* a) attinet; in *quavis ſocietate ſpeciali* (ut ab *hoc exemplo incipiam*) libertatis quaedam particula interit. Proſunt illae ſocietates generi humano. (§. 125.) Ergo & quaedam libertatis delibatio eidem expedit. Civem eſſe in florentiſſima quadam regione Europaea num minori in pretio habendum eſt, quam degere inter Caraibas, Batavorum in America finitimos, ſine legibus viventes, ſine in-

imperio, ſine magiſtratu? Sapiens, qui ingenio & probitate ſua multum prodeſt reipublicae, minusne felix judicandus eſt, quam ille, qui ne in negotiis gerendis a cujusquam poteſtate pendeat, vitam malit tranſigere otio?

Triplici potiſſimum coactus generi ſubjici, hominum intereſt; ei nempe, quod oritur ab *educatione*, *ab injuria*, *a conſenſu*. 1) Parentum & educatorum poteſtati natura ſubjecit tenellos infantes, ut vivere diſcant, utque ſimul adſueſcant temperare libertatis ſtudium, cum nocet. 2) Natura improbat *libertatem reſiſtendi illi coactui*, qui in *defenſione neceſſaria* in eſt, *ad avertendam vel depellendam laeſionem*. (§. 129. 130.) 3) Legitimus coactus oritur a *conſenſu*, ſi quis in alienam *poteſtatem perpetuam*, (veluti *cives*) vel in coactum ad certos actus reſtrictum, (veluti *foederati*) conſentire potuit ac conſenſit.

Habeat multum acerbi quaevis coactus patientia. Illam acerbitatem aliquando *tanquam ſalutarem* probat natura. Eſt quandoque *non doluiſſe dolor verus*, *& non cogi*, *malum*. Praeterquam quod haec amaritudo vitari poteſt, ſi ultro facias, quod fieri oportet; magna commoda ex felici educatione (§. 162.), ex quiete generis humani & ex pactorum fide, (§. 129.) non ſolum in univerſos homines, ſed in eos quoque redundant, quos prohibet natura coactui, quem probavit, reſiſtere.

§. CXLV. Diximus *ſecundo* (§. 144. n. b.) non quodvis obſequium voluntarium, nulloque coactu, ne quidem obliquo, extortum, eſſe deforme & noxium. Inquirendum itaque eſt, ecquod ſit humile malique ferax, aut ſapiens.

Liber eſt qui paret rationi. Ergo non deſinunt eſſe liberi, qui quod bonum eſſe in ſententiis & actibus alienis, intelligunt, illud ultro approbant, imitantur, amplectuntur. (§. 142.) Magno propterea in errrore verſatur illud inter philoſophantes genus, qui ne cum vulgo vere ſapiant, in contraria ruunt. Teſtis eſt *Cynica decori negligentia & dicacitas*. Nec minus falſam libertatis notionem ſibi fingunt, qui ne leges ab aliis *in rebus gerendis* accepiſſe videantur, *quamvis auctoritatem, licet quaeſitam meritis, ſpernunt*, ejusve tantum habent odium, ut malint ruere in tenebris, quam Lynceos ſequendo nusquam offendere.

Ex hoc errore manare ſolet pertinacia & moroſitas hominum in conſiliis ſuis mordicus tuendis, atque vehemens contra alios dicendi & nitendi aeſtus. Qui quidem aeſtus hunc fructum ferre conſuevit: ut *quies & bona conſilia* intereant rixis, ſocietates peculiares diſſolvantur, naſcantur factiones, regna & populi evertantur.

§. CXLVI. Multa concurrunt, ut hic gravis in ſtatuenda *libertatis notione* error oriatur, adoleſcat & omnis fere medicamenti vim ſuperet. Praeter *nativam indolem*, (§. 79.) & educationem, nimis indulgentem infantum genio; cauſae peculiares ſunt: falſa de *honore* (§. 124.) opinio, quae *prudens obſequium* cum vili *humilitate* & ingenii imbecillitate commiſcet; *ſuperbia* ſuis temere praefidens viribus, (§. 79.) atque aliquid eximium & a vulgari ſentiendi & agendi ratione alienum affectans; *livor*, (§. 135.) ſeu ut TACITUS ait, *vitium magnis & parvis civitatibus commune, ignoratio recti & invidia*; tandem ambitioſa dominationis per vim & cum alieno incommodo acquirendae aut tuendae cupi-

pi-

piditas. (§. 143.) His cauſis efficitur, ut libertas ſaepe vocetur, nunquam cedere aliis, ſervitus vero, non dominari.

§. CXLVII. Vidimus, quando reprimendus ſit impetus, qui a libertatis amore naſcitur. Supereſt, ut diſpiciamus, quando ille ſit excitandus.

Uti ſervire perſaepe ſibi videntur, quorum ſalva eſt libertas: ita minus, quam ſibi videntur, ſunt liberi, (uti diximus §. 144. n. c.) qui *coeca fiducia* ſe aliis applicant, aut volentes, nulla gravi de cauſa, magno cum incommodo ſuo, ſe reddunt obnoxios. Merito illi dicuntur *humiles*, quoniam facultatibus ſuis ultro non utuntur, aut ſe privant, ut quod ſuis liberi poterant ſibi praeſtare viribus, id alienis ſervi conſequantur.

Quales ſunt, qui nunquam ſecum habitare adſueti verentur, ne cum ſoli ſunt, ſui taedio enecentur; qui *unicum* felicitatis ſuae praeſidium in fragili aliorum fortuna & favore ponunt; qui ſententias, dicta, facta, vultum, ad alienum arbitrium & exemplum, ob ſpem cujuscunque boni, aut conceptum mali, etiam levioris, metum, *pro tempore* ſerviliter fingunt. *In obſequium plus aequo pronus* (inquit Horatius) *& imi Deriſor lecti, ſic nutum divitis horret, Sic iterat voces, & verba cadentia tollit, Ut puerum ſaevo credas dictata magiſtro Reddere, vel partes minum tractare ſecundas.*

Denique eo numero ſunt, qui cum ſuae ſpontis eſſe poſſent, non *temporario* ſe jugo ſubjiciunt, ſed *id vitae genus* eumque *vivendi curſum* ultro deligunt, in quo magnam aut maximam actionum ſuarum partem ab alieno arbitratu, etiam inepto & pravo, diu aut perpetuo ſuſpenſam habere coguntur. Quo *leviora* ſunt commoda, quae in *vicem libertatis* attri-

attritae aut amiſſae capiuntur, quo *magis voluntaria* eſt haec hominis conditio, quoque difficilior eſt adeptio ſtatus melioris, aut priſcae libertatis recuperatio: eo longius, qui hoc ſibi malum conſciſcunt, a rationis ſemita aberrant. Quantullae voluptati e. c. ſucceſſit ingens calamitatum ſeries! cum quandoque *Germani*, *aleam ſobrii*, *pro more gentis*, *inter ſeria exercere ſoliti*, (quod miratur Tacitus) *extremo jactu de libertate contenderent, victique adirent ſervitutem voluntariam.*

§. CXLVIII. Praeterquam quod dantur homines, quos *natura ſervos* vocat Aristoteles: vis educationis, in formandis ſententiis potentiſſima, facit, ut homines *ſervitutem non neceſſariam* ſubeant vel haud exuant.

Inſuper conſuetudo alienae voluntati parendi paulatim eam gignit *ſocordiam*, ut, cum absque majoris mali metu poſſes libertatem recuperare, conditionem, cui adſueveris, mutare nolis. Praeterea metus odii alieni, excluſionis ab aditu & conſortio, damnorum, offenſionum, *poenarum*, porro vehemens voluptatum & avara opum cupiditas, atque indigentia vera aut opinata, ſunt incitamenta hujusmodi depreſſae conditionis (*dependentiae*) ultro ſubeundae.

Neque omittendum eſt *odium aequalium*, vel eorum, quos *non eſſe aequales* piget, horum arrogantia, violentia, avaritia, excitatum. Accedit earundem cauſarum numero honoris & imperii ambitio. Uni aut paucis ſe mancipio dat homo ambitioſus, ut ſexcentis conſervis dominetur. Diogenes captus rogabat, ei ut venderetur domino, qui *domino egeret.*

Hujusmodi accommodatio voluntaria ad alienum arbitrium cum in ſuccum quaſi & ſanguinem homi-

nis converſa eſt adſuefactione, deſinit in pigritiam jugo ſuo ſuperbientem ac gloriantem. Primus inter ſervos Regum, lubricae inflatus fortunae ludibrio, deſpiciebat civem Romanum liberum, qui ut eſſet liber, infinitos cives ferre pares, ſibi glorioſum ducebat.

Cognitis ſervitutis fontibus patet hujus regulae veritas: ut defendas libertatem adverſus vim & coactum nefarium, (§. 129.) fortis (§. 86.) eſto: ne ultro cuiquam ſervias, pelle ignorantiae & errorum tenebras, minue cupiditates, & fac, ut indigeas paucis.

§. CXLIX. Late patet haec voluntaria libertatis abdicatio. Etenim quid ſit verum, quid decens, quid jucundum, quid bonum, non ex ſe ipſo, ſed ex dominante vel plurimorum, vel eorum, qui plurimum habent auctoritatis, ſententia & guſtu ſaepe aeſtimatur. Ex vix iidem, qui ultro ſerviunt, poſſunt ferre *homines liberos.* Id quod (ut *alia taceam*) eorum, qui *ſectae cuidam ſe mancipant*, fervor docet, quo homines, ſuarum qui non ſunt partium, acriter perſequuntur. Ex quo intelligitur, quemadmodum fiat & errorum & morum corruptorum (§. 128.) propagatio.

Duo potiſſimum exempla ſervitutis voluntariae latiſſime diſſeminatae hoc loco illuſtrari merentur: alterum *regularum exiſtimationis tuendae*, quae inter Europaeos *puncti honoris* nomine veniunt; alterum *luxus neceſſarii.*

Quod ad *primum* attinet; a Scythicis moribus orta, illo, quod *medium* vocant, aevo communita, & ad praeſens tempus propagata eſt opinio de eo, quod vel ad laeſionem honoris pertineat, vel qua vi ad tuendam exiſtimationem utendum ſit. Spectat ad

ad contumeliam *contemtu vulnerum & mortis demonſtrato* refellendam. Inveterata dominatur rationi, vincit vim edictorum, ipſumque ſaepe cogit legislatorem, exigere & laudare, quod fieri vetat.

§. CL. *Luxuria* apud latinos *depravationem morum cum immoderata pecuniae profuſione conjunctam*, denotare ſolet. Mitiorem luxui ſignificatum *vulgaris loquendi uſus* ſubjicit. Secundum hunc non *mores aſotorum*, non *quemvis actum, quo ſumtus fiunt in ſuperflua*, non *quamlibet magnificentiam; aut ſuperſtitioſam pecuniae effuſionem* deſignat. Eſt potius *ſtudium multiplicandi aut variandi uſum rerum ſumtuoſarum, quae ſenſuum voluptatibus per ſe non malis inſerviunt.*

Luxus *hoc ſignificatu* non omnis nocet. Si noceret; id vitium vel in *natura omnis voluptatis ſenſuum* reſidere oporteret, quod (§. 67.) confutavimus, vel in earum voluptatum variatione, quae tamen per ſe nihil mali habet, vel in ſumtibus, quibus illae comparantur. At vero magnis impendiis non ſemper effunditur patrimonium: potius illa ſocietati proſunt, dum iis aluntur, & nonnunquam locupletantur, qui opera ſua quaeſtum facere, quam aliena deſides ſtipe nutriri, malunt.

Reſtat itaque, ut corruptela, quae in luxu ineſſe dicitur, reperiatur in ſtudio ipſo, varietatem voluptatum quolibet pretio redimendi. Hoc ſtudium poteſt eſſe ardentius, & ultra modum ſumtuoſum ac continuum. Quod ſi fiat, luxus in *propenſionem dominantem* converſus, (§. 80.) facit, ut homo *ſibi ſerviat, proinde multis bonis fruendis aut efficiendis* reddatur ineptus, & ad varia *mala audenda* inſtigetur. Senſim enim vigorem corporis aut animi peſſumdat, tempus negotiis gerendis dandum conſumit,

laboris dulcedinem aufert, taedium creat operum, quae continuam meditationem, aut diligentiam longinquam, exigunt; quocirca & ſtrenuum *diſciplinarum* cultum ad hominum ultro miſerorum umbracula relegat. Verum non *ſibi ſolis* obſunt luxurioſi. *Oblique* ſocietati nocet *luxus effrenis.* Opibus enim diſſipatis, e. c. perduntur facultates ſublevandi egenos. *Luxu menſae* fieri poteſt, ut ad fruendam gulae titillationem celerrime tranſeuntem magna rerum copia conſumta, earumve pretio ob raritatem intento, tenuiores rerum ad vivendum neceſſariarum inopia aut caritate duriter vivere vel eſurire cogantur.

§. CLI. Nos *hoc loco* in primis obſervamus, quantum luxus, *naturalem imitandi inſtinctum* irritans, *exemplo* nocere poſſit. Vi enim imitationis efficitur, ut ille paulatim fiat *neceſſarius*, & non tam ſingulis, quam toti ſocietati, nocere incipiat. *Neceſſarium* vocamus, quem qui non imitantur, vel aperte repudiant, illi in contemtum, & cum hoc in varia vexationum genera incurrunt, aut votorum ſuorum non fiunt compotes. (Exempla praebent *ambitio funerum*, *ludorum editio*, &c. *apud Romanos*, de quibus *jam ruſticitatis & miſeriae eſt*, inquit *Seneca*, *velle*, *quantum ſat eſt.*)

Quos non faſcinant voluptatum illecebrae, eorum conſtantiam ſaepe frangit contemtus. Ita fit, ut luxum etiam illi, quibus non arridet, convertant in genus ſeriae & neceſſariae occupationis. Hac vero neceſſitate ſumtus nimios faciendi promiſcue invecta, paulatim efficitur gurges quidam malorum, quae tum per ſe, tum ob *celeritatem propagationis* ad varias civium, claſſes, tum ob *difficultatem medelae*, premunt ſocietatem.

Oblectationum publicarum & privatarum variatione

ne in formam artis redacta, *huic ſtudere*, *hac excellere*, id demum vocatur *vita frui.* Paulatim eos enervat *mollitudo*, a quibus ſuſtentari debebat ſocietas. Pigritia, vitae elegantis nomine coruſcans, ornamento eſt opulentis, eoque magis nocet, quo plures, qui *ſolo labore* ſocietati poterant eſſe utiles, deſidi vitae adſuefacit & implicat (veluti *luxus famulitiorum* evincit.) Inoleſcit mos indigentiae terminos non naturae, ſed opinioni hominum mutabili, convenienter extendendi in infinitum. (§. 65.) Exinde ingruit avaritiae cujusdam neceſſariae labes; quoniam multa poſſidendi neceſſitas non relinquit locum continentiae, modica deſiderandi. Hinc venalia fiunt omnia. Probitas alget. *Pudor* ob multitudinem peccantium fugit ex familiis, mox ex ſocietate. *Corrumpere & corrumpi*, ut ait Tacitus, *ſaeculum* vocatur. Ita fit, ut *conjugum fides* habeatur ludibrio. *Fortunati* ſibi videntur *caelibes & orbi.* *Liberos* nutrire, matri inhonorum, educare, utrique parenti taedioſum. Viciſſim *liberorum* erga parentes reverentia nulla, nedum amor. *Filius ante diem patrios inquirit in annos.* Poſteritatis & cura & judicium ridetur. Senſim domos invadit *vera egeſtas.* Cum re deficit animus, nec tamen ceſſant *deſideria.* Fides tota in ſocietate fit anguſtior. Dummodo ſuppetat, unde molliter ac jucunde vivas, nil refert, cui ſervias. Ita pereunte libertatis aculeo, fundatur dominatus. Hoc modo poſt *Cn. Manlii triumphum* perdidit Romam liberam *luxuries*, poſtquam *neceſſaria* extitiſſet, & civium plurimorum *propenſio dominans*; eodemque faſcino Romani populos, libertatis olim tenaces, ſibi ſubjecerunt. Appoſite Tacitus in vita ſoceri ſui, ut *homines*, ait, *diſperſi ac rudes*, (Britanni) *eoque bello faciles, quieti & otio per voluptates aſſueſcerent, hortari privatim, adjuvare pu-*

plice, ut templa, fora, domus extruerent, laudando promtos & caſtigando ſegnes. Ita honoris aemulatio pro neceſſitate erat. *Paulatimque diſceſſum ad delinimenta vitiorum, porticus, & balnea & conviviorum elegantiam, idque apud imperitos* humanitas *vocabatur, cum pars ſervitutis eſſet.*

§. CLII. Ex dictis apparet, quam ſit noxium, tum alienae voluntati ſine exceptione ſe mancipare, (§. 147. ſeqq.) tum ſe nunquam aliis adjungere. (§. 142.) Reſtat, ut diſpiciamus, quemadmodum in *ſingulis* vitae privatae & publicae actibus regendi ſint fines *facilitatis probae ac malae*, hoc eſt ejus, quae *regulis felicitatis convenit aut repugnat.*

Si ex eo, quod probes ac ſequaris conſilium, facta, & mores aliorum, nihil pertimeſcendum ſit mali, contra aliquid boni ſperandum: ille ſcopo ſuo, nempe felicitatis ſtudio, convenienter agit, adeoque ſapit, qui ſe ad aliorum dicta, mores, accommodat. Recta vero conſilia & ſalubria ideo rejicere, quoniam eorum ipſe non ſis auctor, ſeu quod infra te poſitum cenſeas, exempla accipere potius, quam dare; eſt indicium minuti ingenii, & hominis prae ſuperbia & livore aliorum ſalutem pro nihilo putantis. Quod qui facit, is ſe ipſum proſequitur odio. (§. 97.)

Si vero errent alii, ſique ex facilitate ad errantium ſententias atque exempla ſe attemperandi, aeque malum ſit metuendum, atque ex diſſenſione, diſſidio & moroſitate mordicus obnitendi; ex duobus malis propoſitis levius eligere, eſt ſapientis.

Corrumpit veritatem hujus judicii *timiditas nimia, fingens mala, quam ſunt, majora & pericula non probabilia.* Hac efficitur, ut parvi ducas acerbitatem obſequii comitem, dummodo aliis non diſpliceas, haud in-

intelligens, ſaepe *certam eſſe placendi viam*, in praeſens ob diſſenſum, & ob perſeverantiam in propoſito, negligi vel contemni. Pervicax recti animus ab iis, quibus fuit moleſtus, re melius intellecta, laudatur & colitur.

Eſt vero *firmitati ſapienti in conſiliis, quae recta eſſe novimus, tuendis* tanto magis ſtudendum, quanto facilior eſt prolapſio a *timiditate nimia*, diu multumque fatigata, *in violentiam & ferociam:* niſi homo timidus ratione & uſu id benignitatis robur ſit adeptus, ut *laeſa patientia* ſurgentes animi motus violentos rabidosque ſubito compeſcere valeat.

§. CLIII. Tres ex hoc enunciato profluunt concluſiones, iis praeſertim neceſſariae, quorum eſt in collegiis res agere, aut de communi commodo dare conſilia. Qui quod *prave* volunt aguntque, id a nobis ſimul fieri vel non impediri cupiunt, ſeu ſciant, minus rectum eſſe illud, quod velint, ſeu bona fide, ſed imprudenter, aberrent, illi vel in eo ſunt, ut 1) *noceant aliis*, vel 2) ut *ſibi*, vel 3) ut *nobis*.

1) Si, quod moliuntur, eſt cum cujusquam *laeſione*, (§. 129.) aut cum gravi ſocietatis humanae vel ſpecialis incommodo (§. 131.) conjunctum; viri *libertatem ſuam* recte aeſtimantis *eſt*, nunquam conſentire in eam perverſitatem, nec cedere prava jubentibus, vel nefariorum conſiliorum ſe adjutorem praebere. Sic *minis populi*, cujus *praeſes* erat, adduci non potuit SOCRATES, ut *novem* Praetores damnaret inſontes.

Verum non ſufficit *improbitatis alienae* abnuere patrocinium: *rei malae impeditorem* quoque eſſe oportet, ſi *legitime promiſeris*, (§. 129. 304.) pravis quibusdam molitionibus te interceſſurum, vel & citra pactum, ſi videas, id malum, quod ex ſucceſſu

facti improbi aut imprudentis conficeretur aliis, vere majus fore illo, quod ex ejus impeditione eſt pertimeſcendum. (§. 100.)

Nullum eſt *concordiae* inter ſocios aut collegas pretium, cujus fructus, plerumque breves, majoribus ac manentibus totius ſocietatis incommodis redimuntur. " *Salutaris concordia*, magnum illud cujusvis conſortionis & condimentum & firmanentum, non eſt ea, qua fit, ut in ſuam & aliorum necem ſocii fiat unanimes. Ejus ſtudium eſt *prudentia in id perpetuo intenta, ut pugna voluntatum ſocietati vere exitioſa evitetur, aut tollatur remediis, quantum fieri poteſt, leniſſimis.*

Conſtantia, ſeu *habitus animi non deflectentis a recto tramite ob metum alienae indignationis*, eſt *verae fortitudinis effectus*, cum *mala gravia impendent a denegatione obſequii.* (§. 86.) Eſt ſibi ipſi merces. Facit enim, ut vites *contemtum ex timiditate*, *mollitia*, aut *levitate*, atque odium ejus, cui obſequium futurum erat noxium, & aegritudinem ex conſpectu mali alieni, cujus conficiendi *ſocius* extitiſti, ſimulac *diſplicendi metus* te coegit, in cujusquam fraudem eſſe morigerum. Nobilis (inquit *Plinius*) *illa Ciceronis ſuſpiratio: o te felicem M. Porci, a quo rem improbam petere nemo audet!* Denique animus conſtans, dum roboris ſui ſibi eſt conſcius, *neceſſario* gaudet. " Fortis erat, ſibique non poterat non magnus videri *Themiſtocles*, cum frangeret impetum *Eurybiadis*, dicens: *feri, ſed audi.*

Sume, 2) hoc agere aliquem, ut obſtinatione ſua, hoc eſt, propoſito pertinaci intercedendi vel haud auſcultandi bonis conſiliis, *ſibi ipſi* noceat. Eſt quandoque *genus beneficii*, (§. 117.) nihil agere, ſed pati, ut, homo pervicax faciat, quod velit, modo ſpes ſit, fore, ut *poſt ſenſum levis mali ex pertinacia nati* ſapere incipiat. Fac

Fac denique 3), dum aliis gratificamur, *nobis ipſis* inſtare *malum grave*, contra ex denegato obſequio *exiguum:* non cedere, eſt ſapientis. Merito, ut hoc utar, vituperatorum voculas contemſit CICERO, qui, poſtquam *Cato* ſibi mortem conſcivisſet, *criminis loco eſſe putarent, quod amiſſa republica viveret.*

Levia mala, quae ex aſſenſione vel obſequio noſtro *nobis* imminent, ſunt ea, quorum ſenſus eſt brevis, ac reparatio facilis. Cum de his ſubeundis agitur, hominis *perſpicacis* & *cordati* eſt, *taedium ex eo, quod cedat aliorum imbecillitati & erroribus, naſcens*, potius *tolerare*, quam pertinaciter reſiſtendo aut non obſequendo animos coecos vel obſtinatos ad majorem vehementiam, ac mala alia ex aliis ſerenda, inflammare. Novit enim, in parvis cedendo mentes emolliri, ut in magnis rationi in poſterum auſcultent. Sic *peragit tranquilla poteſtas, quod violenta nequit.*

SECTIO V.

Quantum interſit hominis, homini prodeſſe.

§. CLIV. Hactenus expoſuimus de homine ſocietatem conſiderante inſtar horti, flores, neque eos ſine ſpinis, offerentis, illos ut carpat, ab his ut ſibi caveat. Reſtat, ut ſtudium hominis perſequamur, viribus ſuis viciſſim contendentis, bona ſocietatis & ſingulorum augere, ac mala ſublevare.

Homini prodeſſe, hominis intereſt. (§. 99. 100.) Tribus momentis ad id efficiendum impelli poteſt.

Primo, ut habeat miniſtros *bonorum*, *praecipue corporis*

poris & externorum, comparandorum, quam primum ea appetit. (§. 109. 116) Qui hoc momento *ad alios juvandos aut non violandos*, *unice* aut *maxime* impellitur: ille *nunquam aut raro* gaudet viribus alienis, niſi *quatenus* & *quamdiu* iis indiget. Cujusmodi *conditio animi non gaudentis bono alieno, niſi quatenus hoc ſibi quaeſtuoſum fore ſperat*, ſi poteſt *amor erga alios* vocari, recte dicitur *amor mercenarius.*

Quae quidem affectio, animo ſenſi n infixa', creat morbum *curatu difficilem*, qui *egoismi moralis* nomine venit. Is vero eſt habitus animi omnem hominum curam, *quaeſtus expertem*, *plane* abjicientis, & homines non aliter diligentis, niſi *tanquam* inſtrumenta *voluptatum corporis ſui*, *opum*, *famae*, *aut commodorum externorum conſequendorum*, *ac quorumvis conſiliorum ſuorum efficiendorum.* Quo morbo qui laborat, is anxius, ne aliorum cauſa faciat nimium, ſemper facit parum. Sublata *intenſione nervorum benignitatis*, perdit hujus fructus: (§. 102.) quibus amittendis dat poenas inepti in ſe ipſum amoris. (§. 96.)

Inter varias hujus depravationis cauſas *natus ex potentia infirmiorum contemtus* locum habet non ultimum. Potentes ſaepe quicquid volunt, id vehementer volunt, ideoque homines fortes & liberos peroſi, conquirunt ac largitionibus, egeſtate, metu compulſos facile reperiunt, qui, quod velint, patiantur aut faciant. Horum quo major eſt copia, & quo minori ea *pretio* redimitur, eo procliviores fiunt homines, qui ſuperiores ſunt viribus, ut deſueſcant pretium aliquod *benevolentiae aliorum hominum erga ſe* ſtatuere, utque ſolam operam alienam, inſtar mercis venalis, ex indigentia & uſu ſuo aeſtiment.

§. CLV. *Momentum ſecundum alios juvandi* (§. 154.) ori-

oritur ex benignitate, quae *incaleſcens & actibus ſpecialibus demonſtrari geſtiens* gignit *amorem purum hominis in hominem.* Hic eſt *benignitas impenſius nitens ad gaudium capiendum ex ſublevatione malorum & conſpectu atque amplificatione bonorum alienorum, absque ulla cujuscunque emolumenti, praeter id gaudium, deſideratione.* Igitur hic amor non omnem felicitatis propriae reſpectum excludit. Neque eum excludere poteſt. (§. 12.) Quod qui exigunt; revera poſtulant, ut *natura entis intelligentis*, & ſpeciatim *natura animae humanae* immutetur.

Corporum ideas acquirimus nervorum ab illis affectorum miniſterio: ſed ſtatus animorum alienorum non poteſt nobis innoteſcere, niſi per *obſervatam ejus ſimilitudinem* cum noſtri animi ſtatu, cujus ideam nobis *ſenſus internus* aperit. Itaque ardenter laboraturus, ut aerumnas alterius minuat, quid facit! Has perinde ſibi, ac ſi dolore ipſe afficeretur, vivide exhibet. Similiter ut aliquis commoda aliena eodem atque ſua ſtudio augeat, fieri non poteſt, niſi dulcedinem, quae ex eorum impetratione ſperatur; quaſi ſibi obventuram, praeſentiat. Sine hac ſtatus alieni in noſtrum, ut ita dicam, converſione, qua ex duobus quaſi fit unus, nullus exiſtit amor boni alieni, niſi omnino aut ex parte mercenarius. (§. 154.) Quocirca illo, quem definivimus, *amore ſincero* ſi deſideretur purior, natura animae mutetur oportet.

Tertium momentum hominibus opitulandi habet aliquid *ex utroque amore mixtum*, cum ſuavitati, quam per ſe offert bonorum alienorum conſpectus, accedit ſpes commodi ex iisdem in nos redundaturi. Hoc *amore mixto* efficitur, ut dum quis gaudet facta quadam acceſſione ad bona ejus, cui favet, ſimul ſe reſpiciat, & *fructus* ex *aliena meſſe* a ſe quoque capiendos cogitet ac ſpe praecipiat.

Qui

Qui non alius, niſi hujus *mixti amoris*, capaces eſſe homines ſtatuunt, illi vi *Sympathiae nativae* (§. 102.) refelluntur. Hac enim fit, ut *ſtatus* aliorum hominum celerrima fictione idem nobis, qui noſter, videatur, utque inde oriatur conatus vehemens illius ſtatus continuationem aut ceſſationem pari, vel certe haud multo minori, ardore efficiendi, ac ſi noſtra res ageretur. Morti in flumine proximus implorat opem. Quanta celeritate commovetur animus! Quis eſt ille, cui feres auxilium? Suntne, qui videant factum, laudent, remunerentur? Quam ille gratiam referet? Praeſtaretne mergi clamitantem? Succurrendo quantum ipſe adibis periculum? Haec deliberatio, haec *computatio lucri aut detrimenti*, quid eſt, niſi velle, ut homo pereat? Naturae impulſus praevenit lentorem ratiocinii. Sola praeſentiſſimi diſcriminis cogitatio, absque lucri futuri dimenſione agitat, pellit, incendit animum. Connititur, ſervare hominem. Servaſſe gaudet. In hoc *facti praemio* acquieſcit.

Neque minor eſt voluptas, inſervire aliis, quam alios nobis. Eſtque non plane inuſitatum, impenſius gaudere gratulatorem, quam eum, cui gratulatur. Fallitur itaque *Epicurus*, homines ratus *non futuros beneficos, niſi eſſent imbecilli*.

§. CLVI. Educatione, aſſiduitate imitandi, & aſſuefactione, omnes in lucro faciendo cogitationes defigendi, fieri poteſt: ut vel nullo *erga alios amore*, vel *duntaxat mercenario*, imbuatur animus, ſibi vivens, non autem hominibus aliis.

Dignior homine & verae voluptatis feracior eſt *amor purus*, qualis eſt v. c. *amicorum*, aut ille, quo eos, quos reveremur, etiam ignotos proſequimur. Is exſuſcitat animum, ut ſuum amabilitati & merito cu-

cujusque *pretium* ſtatuat: ac de iis quoque geſtiat *bene mereri*, a quibus nihil emolumenti aut deſiderat, aut ſperat.

Hunc amorem nullus dolor conſequi poteſt ob ſpes remunerationis fallaces; quia nullas concepit. Parit ille gaudium ſolidum, idque majus, quam quod ex boni cujusdam phyſici adeptione percipitur. Nam uti nobis multo jucundius eſt, aliorum hominum benevolentia, quam caſu, juvari: uti longe eſt ſuavius, felicitate hominum, quam caeterarum rerum praeſtantia, paſcere oculos: ita triſte eſt, non poſſe juvare alios, dulce adjuviſſe, & multo dulcius, alios praeſtare proſperiores ſuis viribus, quam alienis ornatos amplificatosque contueri.

Sola cogitatio, hoc amoris genere hominem Deo ſimiliorem fieri, quantum habet ſuavitatis!

§. CLVII. Intereſt hominis, ne *adverſarios* quidem *improbos* a ſincera caritate ſua excipere. Natura, quae *vindictae* cupiditatem punit, (§. 138.) ſimul nos avocat ab odio mutuo: hoc eſt, a conſilio perpetuo a) malefaciendi inimico, vel b) eum non juvandi, vel c) ejus malis gaudendi.

Uti acrimonia humorum nocet corpori: ita odii cujusvis conſtans amarulentia animo, fitque ea tanto nocentior, quanto profundius in receſſus animi penetravit. (§. 109.) Qui enim odit, ille dolet. Dolor autem voluntarius, cujus veluti ex ſtirpe verum bonum haud naſcitur, repugnat naturae. (§. 61.) Quem vero fructum fert inimici odium? Si lateat, nullum, niſi ut nos ultro torqueamus: ſin erumpat, hoc habemus, ut is, a quo laeſi aut offenſi ſumus, efficacius nos odiſſe incipiat, & ſibi in poſterum nos non aggredi, ſed ſe defendere, & eorum,

qui-

quibuscum conjunctus eſt, opem contra nos merito implorare videatur.

Amare inimicum eſt pretium *affectionum aeſtimabilium*, quibus ille pollet, agnoſcere, & dum *effectibus* odii, quo nos proſequitur, *neceſſaria defenſione* reſiſtimus, ejus *cauſam* ſimul tollere conari.

Haec cauſa, ſeu a *noſtra culpa*, ſeu ab *inſidioſis inſtigantium artibus*, ſeu *ab errore inimici*, exorta ſit, tolli poteſt, vel *benignitate* quamcumque arripiente occaſionem inimico inſerviendi, absque amarore & ſuperba animosque exulcerante affectatione magnidinis cujusdam, vel liberali culpae confeſſione ac reparatione, vel manifeſta mitique demonſtratione, nullam, levem, aut excuſabilem eſſe inimicitiae cauſam, & *diffidendum* eſſe impulſoribus.

Quis, inquis, poteſt *oblivioni offenſionum*? Sit difficile. Eſt vero pro diverſa hominum indole (§. 79.) non aeque difficile omnibus. Praeſtari poteſt. Non poſſe, praetenditur. Velle deeſt & ſtudium continuum. Uti datur *ars memoriae*, ita & *oblivionis*.

At enim *tam ſuave eſt, ulciſci inimicum, ut huic impulſui vix quisquam reſiſtere valeat. Odi hominem,* (ad *Atticum* ſcribit Cicero) & *odero Utinam ulciſci poſſim; ſed illum ulciſcentur mores ſui.* Spes vero votumque illiberale: *inimicum ulciſcantur mores ſui!* Sapiente dignius illud: *fiat melior.* Certe vindicta non *exſatiata* auget doloris *ex offenſa nati* morſus; expleta parit nova mala, (§. 138.) & feram poenitentiam. Unum natura probat ultionis genus, *non ulciſci.* Sic hominem *ſentire*, *expedit; poſſe* autem, evincit experientia.

Praeterea in ipſo actu, quo inimicis ignoſcimus, & odio depoſito conſulimus, ineſt quaedam dulcedo, quae

quae ſuavitatem ex vindicta naſcentem valde ſuperat. *Aeſchini* ob ignominiam judicii *Athenis* cedenti, Rhodumque ſe conferenti, adeſt *Demoſthenes*, & quem facundiae ſuae fulmine fecerat exulem, eum abeuntem ultro adjuvat pecunia. Si gauderet, viciſſe, minusve gaviſus eſt, victo adfuiſſe? Neque *Aeſchinem* adeo urebat vindictae cupiditas, ut quem vincere laboraverat aemulus, ei victus male diceret. Cum *ſuaviſſima voce* legiſſet coram Rhodiis eam, qua ſuperatus erat, orationem, a Demoſthene editam pro Cteſiphonte, admirantibus omnibus, *quanto*, inquit, *magis admiraremini, ſi audiſſetis ipſum?*

Concludimus; ignorare eum commoda inimicitiae, artemque ex hac fructus capiendi, ac ſuam ipſius tranquillitatem non amare, qui odit, imo qui non amat, inimicum.

§. CLVIII. Quaenam vero ſint genera commodorum, quibus alios impertire, quaeve malorum, a quibus inferendis abſtinere, felicitatis noſtrae interſit; facile intelligitur. Vidimus *Sect.* 4. quid ſibi quisque emolumenti ex ſocietate humana contingere cupiat, quibusve in ea incommodis affici poſſit. Eadem eſt natura hominum. Idem omnibus ineſt felicitatis deſiderium. Eadem hujus conſequendae remedia cuilibet ſunt propoſita.

Hoc fundamento nititur veritas horum enuntiatorum: unius, *quae tibi non vis fieri, quia felicitatem tuam vere impediunt, ea alteri ne feceris:* (§. 129. ſeqq.) alterius, *quae tibi ab aliis vis fieri, tanquam tibi vere utilia,* (§. 112. ſeqq.) *ea fac alteri.*

§. CLIX. Ex quibus efficitur, ut ſuae qui velit conſulere felicitati, ille ſtatum alienum conſiderare debeat perinde ac ſuum. Quocirca uti *minima*

ma de malis, & *maxima de gaudiis*, ſibi quisque eligit, qui ſapit, ſic quoque reſpuat *voluptatem*, tanquam *fallacem*, neceſſe eſt, (§. 9.) quam emere non poſſet, niſi graviori & difficulter ſanabili aliorum hominum dolore. Lubens gaudet minus, ut alii gaudeant firmius & impenſius.

Hac imbutus affectione animi alia aliorum cauſa *non faciet*, alia *faciet*. 1) *Non faciet* dolo aut *culpa*, (§. 128.) quae *aliorum conditionem reddunt deteriorem*, firmiter perſuaſum habens, non pati naturae ordinem, ut ex eo, quo aliis detrahitur, aut nocetur, actu bonum aliquod *verum* (§. 10.) reportetur.

Quamobrem a quavis malitia averſus, a) non gaudebit aliorum malis aut imbecillitate, neque in aliis *corrumpendis*, *decipiendis*, ludibrio habendis ponet ingenii decus, nec calumniari quenquam, vel de abſentibus per ridiculum aut maledice loqui geſtiet.

b) Ne ipſe offendatur, non *diffidentia perpetua*, ſed magnitudine animi ſe armabit ac prudentia. His munitus, iracundiae impetum retundet *miti dictorum factorumque alienorum interpretatione*. Quod ut facere poſſit, malitioſos eſſe homines, non temere ſuſpicabitur. Sin appareat malignitas; ſua ſe probitate involvens perferet atque obdurabit, donec in *defenſionis neceſſitatem* conjiciatur.

c) Hujus vero modum non excedet, ſed injuriam accipere malet, quam facere. Placabilis, & illius, *errare*, *humanum eſſe*, ſemper memor, bona fide gratiam reconciliabit, quam primum poteſt. Neque incoctum alto pectore geret virus ultionis, facta compoſitione.

Novit d) dandum eſſe aliquid praejudicatis hominum opinionibus, quas ſi corrigere auſis, nihilo plus feceris, quam ut morbo ſanando malum gravius ſubſti-

ſtituas ex medela ortum. Propterea ſibi quaedam negabit jucunda, *vel offendiculi* vitandi cauſa, ne indignentur alii, ne urantur invidia, ne virium ſuarum modum excedentes fervore imitationis ruant in perniciem.

11) Sed non ſubſiſtet in eo, ut non noceat. Proderit his, qui ſunt & erunt, neque negliget gratam mortuorum memoriam.

Quocirca a) augebit vires ſuas, praecipue ingenii. Hoc ante omnia erroribus noxiis v. c. de *honore*, (§. 124.) de *libertate*, (§. 144.) immune praeſtabit, tum ne imprudens ac bona, ut ajunt, fide noceat aliis, tum ut v. c. exemplo linguae mentisque liberae proſit.

b) Vires ad aliena commoda adhibens non metuet, ne tali uſu pereant. Fructum verae voluptatis cum centeno referunt. Etiamſi non reddatur beneficium, tamen non perditur.

c) Adjuvabit alios, avertendo *damna* (§. 129.) & *incommoda*, (§. 131.) vel ea, quibus premuntur, minuendo, aut tollendo, (v. c. cum litibus alienis intercedit amicus conciliator), vel bona ipſorum phyſica augendo, vel eos praeſtando habiles ad magnam horum bonorum copiam ſibi ipſis ſuapte vi conciliandam.

d) Juvabit homines quoque non rogantes, & *inſcios*. An *& invitos*? Non violenter eoque modo, ut de ipſorum *libertate* contra naturam detrahat. (§. 129.) Sed oblique ac ſine vi recte tribuet beneficium merenti etiam invito, illi in primis, per quem aliis hominibus conſulere potes. Coetus quidam v. c. laborat erroribus noxiis, ſed ipſi jucundis & inveteratis. Hosne aggredietur? Quid? Num medicus aegrotum, qui ſanari nolit, amicum deſeret? Explicator & propagator veritatis erit, ſed adhibita prudentia, ne oculi tenebris diu adſue-

ti ſubito magnae luci expoſiti caligent.

Denique e) intereſt cujusque, amare hominem tanquam hominem. Sibi deeſt, qui adeo diſtrahit animum quamplurimorum notitia, ut ſingulorum curam abjiciat frigidus, utque nulli ardori in ſingulis complectendis, nulli amicitiae *fervori*, pateat. Sibi & ille deeſt, qui paucis, quive coetui cuidam ſpeciali, vel qui patriae ſuae ita ſe addicit, ut reliquos homines aut populos negligat, ac *popularem alicujus definiti loci* ſe eſſe unice cogitans, civem totius mundi, quaſi unius urbis, ſe eſſe non meminerit. Nam non eo conſilio natura comprobat *ſocietates ſpeciales*, (§. 125.) ut detrahant illi ſocietati, quam inter univerſos devinxit, ſed ut illae hujus perfectioni adminiculentur. Expedit homini cuique non ſe ſibi, ſed toti ſe natum credere mundo. (§. 100.) Egregie Socrates, cum rogaretur, *cujas eſſet? mundanum ſe eſſe* reſpondit.

§. CLX. *Inſtinctus benevolentiae* (§. 102.) nos ad eos complectendos ducit, quos novimus, & quorum bonis noſtra opera acquiſitis veluti intereſſe poſſumus. Omnes enim *naturae impulſus* ad praeſens bonum tendunt. (§. 52.) Sed ratio, effectuum etiam remotiorum ex actionibus noſtris profluentium ſeriem ac conditionem perſpiciens, docet nos, his quoque prodeſſe, qui quales ſint, ignoramus.

Nam aucto verarum voluptatum numero & pondere, augetur felicitas. (§. 14.) Actio igitur noſtra eo magis auget felicitatem noſtram: quo majorum, quo plurium, & quo ſtabiliorum voluptatum cauſas, (§. 10.) quoque pluribus eas hominibus, ſive notis, ſive ignotis, impertit, ac quo ma-

major eſt eorum numerus, ad quos eadem bona ab iis ipſis, quibus per nos obtigerunt, derivantur & propagantur.

§. CLXI. Ex quo colligimus; 1) curam poſteritatis cum felicitate noſtra naturaliter contineri. Pluris valet hoc momentum ex voluptate naſcens, qua mens, de poſteris bene meruiſſe ſibi conſcia, afficitur, quam, quod alii inculcant, *deſiderium gloriae immortalis.* Teſte nocte tot heroibus obducta, qui ceciderunt illacrumabiles, gloria funeri ſuperſtes, nedum perennis, inter eos eventus bonarum actionum adventitios referri debet, quorum ſpes plerumque eſt parum probabilis, certa fiducia nunquam. (§. 43.)

Sed ſerere arbores, ex quibus demum poſteri fructus carpant, ignari, cujus providentiae eos referant acceptos, ſemper eſt res plena oblectationis, cum in hac vita, tum poſt mortem: ſeu aliqua homini poſt obitum contingat mortalium, a quibus diſceſſit, notitia, ſeu omnis negetur. Anima ſtatus priſtini ſibi conſcia, praemium facti, generi humano diu utilis, in jucunda recordatione reperiet.

Poteſt inſuper fieri, eſtque probabile eventurum, ut propter beneficia, in ignotos vel poſteros collata, majorem felicitatis gradum mortuis attribuat Deus, eumque neget illis, qui nihil in commune ſalutariter agentes non profunt, niſi dum moriuntur. Quorum illud cogitare, quantus eſt ad alios juvandos aculeus, hoc autem metuere, quantum habet doloris!

§. CLXII. Eidem enuntiato (§. 160.) conſequens eſt concluſio *ſecunda: educationem* diligen-

tem eorum, qui propter aetatem ſe ipſos regere non poſſunt, eſſe effectum animi benigni, non ſolum iis, qui reguntur, ſed & educatori ipſi, ſalutarem.

Educatio eſt continuata animi intentio in eo elaborantis, ut ſoboles infirma conſervetur, ac corporis & animi viribus aucta, ſuas ipſa actiones regulis felicitatis convenienter regere diſcat. *Phyſica* eſt, quae corpus curat. *Moralis* dicitur, quae format *ingenium* & praecipue *indolem*: ſeu diſciplina educatorum & magiſtrorum aetati impuberi & puberi conſulat: ſeu adultiores ad conſortia hominum *aetate majorum* admiſſi praecipue imitatione formentur.

Bene educati quique eas collegere vires, ſibi & aliis utiles ut eſſe poſſint. Tanto itaque major per educationem privatam fit acceſſio ad felicitatem educatoris, quanto felicior eſt ille, qui educatus eſt, quantoque major eſt eorum copia, qui ab homine bene conformato felicitatis ſuae vel primordia vel firmamenta vel augmenta repetunt.

Ad hoc difficile opus ſuſpiciendum excitat parentes *peculiaris quaedam* ipſisque propria *impulſio naturae.* Eosdem confirmat in hoc propoſito, & alios ut idem faciant, praeter *miſericordiam*, ac caritatem erga pupillorum parentes, adducit cogitatio malorum, ſi negligatur educatio, & copiae bonorum, ſi recte adminiſtretur.

§. CLXIII. 3) Ex afferto ſuperiori (§. 160.) concludimus, vetus illud: *dulce eſt imperare*, recte dici, ſi qui ſic ſentiunt, hanc dulcedinem ponant in ſtudio continuo ita utendi viribus ſuis, ut adjuvent ac feliciores praeſtent, quos regunt, faciantque,

ne

ne illi adverſus ſuam ipſorum proſperitatem nitantur.

In hoc elaborare, eſt *regere ſocietatem.* Neque enim is *regit*, qui duntaxat jubet, quive ad ſuum commodum aut arbitrium homines coetui, cui praeeſt, adſcriptos vivere, ut ſervum dominus, compellit. Is regit ſocios, qui maximam, quae haberi poteſt, eorum bonorum copiam ipſis proſpicit, propter quae ſocietas inita fuit, quique efficit, ut ad haec conſervanda & augenda ſuas ſinguli vires ultro, aut neceſſitate exigente coacti, conferant.

Bonus itaque ſocietatis moderator tam eſt alienus a maligno nocendi propoſito, quam ab *incuria boni communis*, (§. 125), quam efficit imperitia, ſuperſtitio, fuga laboris, vita delicata, mollis, luxurioſa, ſuperbia, Egoismus.

Si fortuna hominibus nihil poteſt praeſtare majus, quam vires benefaciendi plurimis: merito judicantur infortunatiſſimi; quibus ad civitatum imperia natis aut evectis ſunt vires ſummae, ut prodeſſe poſſint, ſed mens tam laeva, ut nolint.

§. CLXIV. 4) Ex dictis (§. 160.) efficitur, ſi inter plures, qui ope noſtra indigent, aliquis ſit deligendus, quia non ſufficimus juvandis omnibus, non eſſe eum anteponendum, qui nobis plurimum egeat, nec cui nos qualicunque de cauſa maxime faveamus, ſed illum, per quem noſtra adjutum re aut opera effici queat, ut quam plurimorum commoda augeamus. Hinc & *mortes praematurae bonorum Regum*, *ſervatorum patriae*, *heroum cet.* nos merito movent vehementius, quam *eorum civium*, quibus ereptis non civitati, ſed nobis ſolis nocetur. Idem globus, qui *Turennium* occidit, brachium abſtulit *Hilario*, *rei tormentariae praefecto.* Hic videns caſui ſuo illacrumare filium,

non me inquit, *fili*, *hunc plora magnum virum exanimem.*

Nihilne igitur dabitur favori, nihil amicitiae, nihil grato animo, nihil propinquis & familiae? Tantum, quantum dari poteſt noſtro, non communi hominum graviori detrimento. Ita qui imperium ex publica utilitate adminiſtrat, ſuo ex patrimonio dona ei confert, cui favet, honores vero publicos illis, per quos civitati maxime ſe profuturum ſperat.

§. CLXV. Neque vero *aequale* erga omnes ſtudium exigitur. Ferventiori amore *amicos*, (§. 126.) propinquos, eosque, a quibus *beneficia* accepimus, (§. 120.) merito proſequimur, atque *caetera ſi ſint paria*, (§. 164.) recte ipſos prae aliis, *tanquam nobis notiores* vel *utiliores*, adjuvamus & complectimur.

Magnum inter haec momenta locum damus *beneficiorum recordationi.* Grata mens eſt *ſtudium perpetuum beneficia accepta agnoſcendi & aeſtimandi, atque eorum largitori grata quaeque & utilia liberaliter praeſtandi.*

Studium appellavi *perpetuum.* Neque enim grate interpretatur *beneficia vera*, (§. 120.) qui nimis ea exiliter ad calculos revocat, ne plus reddat, quam accepit, & ubi parem ſe menſuram impleviſſe putet, ejus, cui obſtrictus erat, obliviſcitur inſtar debitoris, qui ſoluta pecunia hominis, quicum contraxerat, non meminit. Voluntas reddendi beneficium ſufficit, cum reddi nequit.

Adjeci, *agnoſci beneficium, & quanti ſit, tanti aeſtimari oportere.* Aeſtimatio non eſt facienda *ex ſolo eventu*, ſed ex benevolentia, moleſtia atque ja-

jactura ejus, a quo collatum eſt. (§. 118.) Quapropter ingratus beneficii accepti interpres eſt & aeſtimator, qui *cavillatur* cum benefico, & *venatur* ſuſpiciones etiam leviſſimas, non a *puro*, ſed a *mercenario amore* (§. 154.) profectum eſſe, quod ſibi collatum eſſet, pro quo proinde parum vel omnino nihil debeatur.

Diximus, *vere utilia* reddi debere. Non eſt vere utile benefico, ut inſtar ſervi ea des poſtulanti, quae dari nequeunt absque aliorum injuria, aut ſalvo ſtudio ſocietatis humanae commoda amplificandi, vel quae absque vero ipſius hoc ſervitium flagitantis commodo, multis te dantem malis implicarent, aut verorum bonorum adeptione privarent.

Admodum ſuave eſt, gratum eſſe; non fuisſe, tum parit diſplicentiam ſui, tum invidiam omnium: ſeu ſis acceptorum immemor, ſeu, quod eſt genus mentis ingratae teterrimum, pro bonis mala reddas. Penetrant in animum non prorſus torvitate dura & inflexibili deformatum querelae *Didonis*, cum furiis incenſa dicit:

Num fletu ingemuit noſtro? num lumina flexit?
Num lacrumas victus dedit? aut miſeratus amantem eſt?

Invidioſam eſſe dixi animi ingrati effigiem. Nam & communi utilitati a talibus exemplis metuitur, ne ſtudium benefaciendi extirpent, & is minime aptus putatur ad ſocietatis cultum, qui, accepta licet magna amandi cauſa, adeo labefactaverit amandi ſenſum, ut frigeat.

Stupiditas, pigritia, phlegmatica quaedam incuria, ſuperbia, falſa *honoris* (§. 122.) & *libertatis*

notio, (§. 142.) (quae inſuavem debiti magni aut perpetui recordationem cum *ſervitute* inviſa commiſcet) poſſunt efficere, ut beneficia vera vel non agnoſcantur, vel parum aeſtimentur, vel nulla gratiae relatione, ſed prorſus malefactis, compenſentur. Quod poſtremum evenire ſolet, cum nimis difficile aut moleſtum eſt, vel omnino fieri non poſſe videtur, ut gratiam pro praegrandi referas beneficio. *Leve aes alienum* (inquit *Seneca*) *debitorem facit, grave inimicum.*

§. CLXVI. Intereſt igitur hominis, aeque *amare* alios, ac *ſemet* ipſum. (§. 128.) Pluſne aliquando alios, quam ſe? Eſt ſingulorum cum *ſocietate*, & hujus cum ſingulis id *naturale* vinculum: ut nunquam fieri poſſit, veras hominum utilitates vere contendere.

Utile eſt, *quicquid bono cuidam* (§ 10.) *obtinendo ita inſervit, ut pro hoc impetrato par aut gravius malum non inferat.* Si utilitates diverſorum hominum vere in contentionem venirent; fieri non poſſet, quin quod eſſet uni ſalutare, illud alteri foret noxium. Quo poſito tolleretur aequalis hominum vocatio ad feliciter vivendum, & regularum naturalium *certitudo* convelleretur. (28.)

Neque eſt, quod affirmes, *naturaliter* bonum eſſe, quod profit plurimis, quidquid inde incommodi in paucos redundet. Quis in ſocietate hominum *naturali* infinita definiet numerum hominum, ex quo quid ſit plerisque *vere* utile, quid vere noxium paucis, demum aeſtimetur? Certae ſunt hae regulae:

Nihil eſt utile univerſis hominibus, quod idem vere ſit noxium ſingulis.

Nihil vere prodeſt ſingulis, quod noceat idem hominibus univerſis.

§. CLXVII.

§. CLXVII. Haec ſi ita ſint; qui fit, inquis, ut ſalus ſocietatis aliquando exigat, res ſuas, libertatem, incolumitatem, vitam, & quicquid praeterea haud libenter dimittunt homines, abdicare ſingulos pro compluribus?

Si mala graviora, ſi mors ipſa, quae pro aliis juvandis ac defendendis oppetitur, felicitatem eorum, qui id faciunt, deſtrueret: fieri non poſſet, ut ille, cui ſana mens eſt, huic malorum *irreparabilium* gurgiti ſe immitteret. Is enim, qui eſſe cupit, felicitatis deſiderium exuere nequit. (§. 11.)

Verum voluntaria quorundam malorum ſuſceptio intendit gradum felicitatis: nempe ea, ex qua oritur conſecutio *verae voluptatis majoris.* (§. 61.) Quaeſtio itaque, quousque mala aliena ſint avertenda, aut ſublevanda, noſtris? redit ad hanc: quousque ex malis aliorum cauſa ultro ſuſceptis, etiam acerbioribus, (veluti libertatis & vitae privatione) naſci & ſperari poſſit felicitatis noſtrae incrementum?

§. CLXVIII. Tale incrementum obtineri poteſt: vel cum *defenſio aliorum* ſub neceſſaria *defenſione* noſtra (§. 130.) continetur: vel cum detrimentum noſtrum eſt leve, ſi comparetur cum utilitate, quae ex eo in ſocietatem humanam, in primis vero *ſpecialem*, cui adſcripti ſumus, probabiliter redundabit. (§. 160.)

Alacritas noſtra, bona nobis cara pro aliis ſublevandis & periculo liberandis dimittendi, parit fiduciam, idem caeteros noſtra cauſa facturos. Sint, qui *Oreſtem*, non deerunt, qui *Pyladem* referant. Haec fiducia mutua eſt ſuavis fructus ſocietatis, & egregium vitae tranquillae ac ſerenae praeſidium.

Praeterea dolor, quem mala pro aliorutm ſalute

ſuſcepta afferunt, vel cum ſuavitate, quam ad id usque tempus ex ſocietate hauſimus, conferri non meretur, dum cito tranſit, vel gaudii, quod ex boni alieni amplificatione capimus, (§. 159.) magnitudine vincitur. *Epaminondas*, mortifero vulnere accepto, ferrum, quod ex haſtili in corpore remanſerat, usque eo retinuit, quoad nuntiatum eſſet, viciſſe Boeotios. Eo nuntio accepto, *ſatis* inquit, *vixi*, & extracto ferro nobilem laetus animam efflavit.

Ipſum illud malum grave & diuturnum, quod aliorum cauſa ſubimus, intendit gradum voluptatis, quam nobilis facti contemplatio & conſcientia parit. (§. 117.) Malle dolere, ne gravius doleant alii, eſt voluptas; videre, quam male ſit ſociis, & horum dolori non poſſe mederi, verus dolor.

Nulla aetate deſunt id genus fortia & praeclara facinora. Ut praeteream Romanos Graecosque, quem hiſtoriae peritum latent *devoti Gallorum* apud *Caeſarem*; quem *clientes Germanorum*, quibus turpe erat, in praelio ſupereſſe principi? quis ignorat aemulationem illorum nobilium, qui medio, quod vocant, aevo viduas pupillosque oppreſſos ardore ſaepe nimio, quandoque ſalutari & neceſſario, defendendos ſuſceperunt? Quanto mortis contemtu ſex viri ſe ultro devoverunt pro ſervandis caeteris extrema expertis *Caleti* civibus!

Addimus, & tunc ſalutarem eſſe rerum cariſſimarum jacturam, ſi has non aliter, quam cum aliorum *laeſione* (§. 129.) conſervare, aut recuperare poſſis. Inter eos, quos proſcriptos *Triumvirorum* rabies delevit, erat Q. CICERO *M. Tullii* frater. Captus ejus filius, quamvis degener, nullis tamen adduci cruciatibus potuit, ut patrem latentem indicaret. Nec vero hic diu ferre potuit, ſua

cau-

cauſa tormentis laniari filium, ſed hunc ut liberaret, ſe ipſum prodidit, fuitque inter patrem & filium haec ſola contentio, uter prior interimeretur.

§. CLXIX. At vero, inquis, ſi mors pro ſalute ſocietatis oppetatur: quis inde fructus redit ad mortuum? Redit verus, magnus, ſtabilis.

Dulce eſt pro patria, dulce pro amico, mori: ſi principis etiam externi, ſi civis egregii, ſi amici incolumitas cum ſalute populi eſt conjunctior, quam vitae noſtrae prorogatio. Mors enim non abrumpit filum felicitatis humanae: ſed novam ejus periodum aperit. (§. 17.) Anima corpori ſuperſtes, non dolebit aliquot verarum voluptatum privatione, quas ex diutiori conjunctione cum corpore ſuo capere potuerat: ſibi gaudebit, cum ſibi erit conſcia, multorum ſe hominum, multarum propaginum, ſalutem celeriori prioris vitae ſuae decurſu redemiſſe, & *exemplo* diu prodeſſe. Unius tropaea ſexcentos alios ad bene merendum de genere humano, & ad quodvis pro ea, cui addicti ſunt, ſocietate diſcrimen adeundum, exſuſcitant. Haec ſpes, haec quaſi anticipatio gaudii futuri, quam imago & recordatio actionis multis diu fructuoſae neceſſario parit, inflammare poteſt nobiles animos: ut Codrum, Leonidam, & illuſtres heroïcis aetatibus viros, imitati, contemnant mortem, quae ſocietati prodeſt.

SECTIO

SECTIO VI.

Naturale Religionis & Felicitatis humanae connubium.

§. CLXX. Quemadmodum homo cum in ſe ſolo, (§. 56.) tum in conjunctione cum aliis hominibus, (§. 98.) quaerat fontem felicitatis ſuae, explicavimus. Nihilne amplius ad bene beateque vivendum exigitur?

Tota rerum natura, quatenus eam perveſtigare homini contingit, ad incrementa felicitatis humanae conſentire videtur. Taceo; quanta cum largitate terra, foeta frugibus, varia & homini praecipue jucunda gignat: ac *v. c.* vere novo quanta copia Flora dives, & quanta ſuavitate oſcines, dum ſuum quaeque canunt nativum melos, novas ſpes, novas gaudendi cauſas, annuntient. Taceo, quot & quanta ſubſidia mare univerſum, pecudes, & interiora terrae viſcera, ad hominum commoditates & uſum liberaliter offerant.

Mens intenta in partes, quibus haec tanta rerum univerſitas componitur, in ordinem, quo illae continentur, in leges, quibus reguntur, in harmoniam, qua tot diſcreti, & tamen conjuncti, orbes concinunt, erigit ſeſe ſpectando. Paſcitur admirabili ſpectaculo. Peplum naturae utcunque retexens, inſigni perfunditur dulcedine. Ita fit, ut amplificanda rerum naturalium cognitione, ſuae intendat quisque magnitudinem felicitatis. (§. 7.)

§. CLXXI. Leve eſt illud felicitatis incrementum, (§. 170.) ſi comparetur cum eo; quod capit

pit a contemplatione mundi aſcendens ad cognitionem Dei animus.

Eſt Deus, isque unus, ſuapte vi aeternus, a mundo diverſus. Ipſius nutu prodiit *ſeries immenſa rerum finitarum, quae ſeu ſimul exiſtant, ſeu ſibi ſuccedant, inter ſe connectuntur.* Ipſius decreto immutabili fit, ut illa non ſeneſcat, ſed iisdem temperata legibus integra conſervetur. *Cognitione*, & ea quidem *viva*, *naturae divinae*, ſive *attributorum Dei*, *ac ſtudio faciendi*, *quod placet divino Numini*, quemadmodum felicitas humana ad ſummum evehatur faſtigium, noſtrum eſt, hoc loco inquirere.

§. CLXXII. *Deus eſt ſumme potens.* Nam cum habeat vires illis, quas *mundo* contulit, *viribus finitis* ſuperiores; & extra Deum nihil ſit, quod his limites ponere aut vires divinitus non datas habere poſſit: virium infinitarum & poſſibilium omnium copia Deus polleat, neceſſe eſt. *Imbecillitas* quaeque cum ſit *defectus virium poſſibilium*; a notione Dei eam eſſe alienam, manifeſto patet. *Ignorantia veri* e. c. *eſt ſignum intellectus limitati.* Deus igitur limitum expers omnis veri, quod cogitari poteſt, aut exiſtit, eſt ſcientiſſimus. Errores ac vel leviſſimas tenebras arcet Dei notio. Neque Deus, ut naturae finitae debent, notitiam rerum tempore & uſu acquiſivit, ſed quam ſcientiam omnium habet perfectiſſimam, eam ab aeterno habet. *Quaelibet* attributa dvina neceſſario ſunt *aeterna.*

Mens infinitam virium copiam, absque ullius imbecillitatis interventu, naturae divinae propriam cogitans, maximam attonita *admirationem* concipit, & in ſuo quaſi fundo ſentit oriri, atque incaleſcere *ſummam venerationem*, (§. 47.) quae vulgo dicitur *adoratio.*

Ple-

Plena haec eſt fiduciae ac ſuavitatis, ac propter ea longe abeſt *a ſervili trepidatione.* Haec enim non ſolum *bonitati divinae*, (§. 178.) ſed & *ſummae potentiae* repugnat, quae nihil metuit, adeoque non neceſſe habet, *ſervilem* illis, quos condidit, *pavorem* incutere.

§. CLXXIII. *Potentiſſimus ac ſumme intelligens eſt Deus, ergo beatiſſimus.* Nam cum polleat *infinitis viribus:* (§. 172.) has quoque habet, quibus optima & ſibi maxime conſentanea intelligat, & ſibi ea, quae placent, omnia praeſtet, adeoque fontem puriſſimi gaudii perennem recludat. Nulla igitur pars mundi, neque is univerſus, beatiſſimae Dei naturae aliquid addere aut demere poteſt. Ex quo apparet, Deum, cum conderet mundum, non potuiſſe id agere, ut per eum fieret beatior. Novum ex hoc aſſerto naſcitur momentum adorationis. (§. 172.)

§. CLXXIV. *Deus cum ſit ſumme intelligens ac beatiſſimus, neceſſario eſt ſapientiſſimus.* Sapientia eſt ſcientia nexus finium & remediorum felicitatem ducentium; ſeu, ut breviter definit LEIBNITIUS, eſt *ſcientia felicitatis.* Si Deus non eſſet ſumme ſapiens, non poſſet non oriri diſſenſus inter decreta ipſius, & inter haec atque eos, quos pariunt, effectus. Hanc conſiliorum ſuorum pugnam neceſſario videret Deus: quia intelligentiam habet infinitam. (§. 172.) illa repugnantiae cognitio non poſſet non ipſum afficere taedio: ſiquidem harmonia naturae intelligenti omni placet ac jucunditatem affert. Hujusmodi taedia pugnant cum beatiſſima natura. Deus itaque eſt ſumme ſapiens: quia eſt ſumme intelligens ac beatus. (§. 173.) Ubi potentia & fa-

ſapientia ſumma, ibi *ſumma libertas.* Ergo Deus eſt *liberrimus.*

§. CLXXV. Mundus eſt opus Dei: (§. 171.) adeoque dignum ſumma ſapientia. (§. 174.) Quare non poteſt vel is univerſus, vel ulla ipſius pars, aliquid habere fortuiti, fatalesve periodos. Ubi fatum, ibi nulla *ratio*, cur & quemadmodum res exiſtant, erga nullus *ordo*. Sed in mundo eſt ordo, igitur fato nec productus eſt, nec regitur.

Aeternum vidit Deus ſeriem ac veluti conjugationem effectuum omnium, qui hoc mundo condito non poſſint non alii ex aliis naſci: (§. 72.) vidit, ponderavit, & hunc, quem effecit, rerum ordinem, ob maximam ipſius harmoniam, cuicunque alii coagmentationi antepoſuit.

§. CLXXVI. Cum ens intelligentia praeditum agit: is ſtatus, quem per actionem ſuam efficere cupit, ipſius dicitur propoſitum (*finis*, *cauſa finalis.*) Cum ſine conſilio, coecove impetu, agere, non ſit argumentum naturae ſapientiſſimae (§. 174.) non potuit non Deus finem aliquem ſibi habere propoſitum, tum in ſingularum mundi partium natura conſtituenda, tum in arctiori quarundam copulatione efficienda, tum in harmonia univerſarum. Cumque eadem ſapientia omnibus numeris abſoluta quamcumque in conſiliis divinis repugnantiam excludat: quoslibet fines Dei particulares ad ſupremum creationis finem collineare, neceſſe eſt.

Nulli naturae finitae contingit, hunc admirabilem conſiliorum divinorum contextum plene perſpicere. Deus ſe ipſum ſolus novit.

§. CLXXVII.

§. CLXXVII. Neque vero notitia omnis conſiliorum Dei particularium negata eſt hominum generi: licet maxima pars eorum, quae utcunque cognita habemus, ſit minima eorum, quae ignoramus. Ex uſu rei cujusdam cognito recte ejus conſilium colligimus, a quo res conſtructa eſt, quique illum rei a ſe confectae uſum plene perſpicit. Id quod naturae rei convenit, reſpondet conſilio effectoris ſapientis: contra ea omnis mutatio, omnis ſtatus, eidem naturae repugnans, pugnat cum fine ac *voluntate* conditoris ſapientis. Cognita itaque natura humana, tum quoad eſſentiam, facultates, vires, tum quoad nexum cum caeteris mundi partibus, recte concludimus: omnem rectum libertatis noſtrae uſum, hoc eſt, omnem actionum liberarum rectionem naturae noſtrae conſentaneam, cum propoſito ſeu finibus divinis conſentire; & quidquid naturae ſit diſſentaneum, conſilio divino quoque adverſari. Hoc ſenſu, non autem eo, quo *Stoïci*, mundum a Deo non diſtinguentes, cenſuerunt, recte dicitur, eos ex voluntate divina agere, qui *naturam*, voluntatis divinae indicem, *ſequuntur*.

Ea, ut hoc utar, rerum inanimarum eſt conditio, homini ut poſſint afferre uſum. Hominis ea eſt natura, ut illis indigeat. (§. 64.) Naturali impulſu fertur ad res in medio poſitas, quibus eget, ſuos in uſus convertendas. Vires habet illis potiundi. Concluditur, *jus*, quod JCti vocant, *occupandi voluntati divinae convenire.*

§. CLXXVIII. *Deus cum ſit ſapientiſſimus* (§. 174.) *& beatiſſimus* (§. 173.): *non poteſt non eſſe ſumme bonus.* Bonus eſt, qui cupit naturas intelligentia praeditas, adeoque ſenſum & appetitum felicitatis

tis

tis habentes, videre ac praeſtare felices. In tanta rerum ſerie, quas diverſo perfectionis gradu inſtruxit Deus, naturis intelligentibus inſevit ſtudium felicitatis. Si non eſſet ſumme bonus, concludi deberet; aut ipſum ſimul ea non ordinaſſe, absque quorum concurſu & quaſi conſpiratione phyſice poſſibilis non eſt ejus felicitatis adeptio, cujus deſiderium iisdem naturis intelligentibus incuſſit; aut conſulto ipſum voluiſſe, ut hae ea, quam neceſſario cupiunt, felicitate careant, neceſſitate carendi phyſica ipſis impoſita.

Si dicas, voluiſſe Deum, ut animae eſſent felices, ad quarum eſſentiam felicitatis appetitum retulit, nec tamen de remediis neceſſariis ſimul ordinandis cogitaſſe; aut ponis, fieri illas felices praeter conſilium divinum; aut phyſica neceſſitate impeditas omnino fieri non poſſe. Quorum ſi ſumis prius; eventum ponis *fortuitum in mundo*, qui, quantum ad aeternum ejus effectorem, cogitari nequit. (§. 175.) Sin ſumas poſterius, aliquem in conſiliis divinis quaſi hiatum admittis: id quod pugnat cum notione ſummae ſapientiae.

Denique ſi ponas, Deum idcirco naturas intelligentes feciſſe felicitatis ſuae appetentes, ut hac ipſis negata tanto vehementius cruciarentur, quia ſuave ſit ſummo Numini, ipſas & videre & efficere miſeras: id ſumis, quod cum ſumma Dei beatitate pugnat. Haec haud patitur, ut eſſentiam aliquam, ſuae oppoſitam, neceſſario miſeram, probaverit, elegerit, inter fines creationis retulerit, effecerit. Non potuit non velle potius, ut phyſice poſſibilis eſſet tantae felicitatis adeptio, quantam, ſalvo totius creationis tenore ſeu ſyſtemate, ſingulis rerum a ſe effectarum generibus impertiri poteſt, & cujus deſiderium iisdem ingeneravit.

Natura finita non poteſt eſſe capax *ſummae perfectionis.* Quantillus eſſe potuerit defectus perfectionis plenae in homine, hoc eſt, quaenam ſit diſtantia minima, qua perfectio generis humani potuerit diſtare a divina; unus mundi effector pleniſſime intelligit, hominum vero cognitionem fugit. Hoc novimus, tantum boni generi humano datum eſſe, quantum pro ſapientia Dei dari potuerit.

§. CLXXIX. *Infinitae bonitatis effectus* eſt *Dei providentia.* Haec eſt ea pars decreti aeterni, de mundi creatione ac conſervatione facti, qua Deus tum *viribus ſuis*, (*ſupernaturalibus*,) tum iis, quas rerum creatarum naturae attribuit, *viribus* conſulit ſingulis mundi partibus id eſt, facit vel *ſuppeditatione remediorum*, vel *amotione obſtaculorum*, ut & ſingulis bene eſſe poſſit, & *harmonia univerſi conſervetur.* Quapropter in primis entibus intelligentia praeditis ea proſpicit bona & offert, quibus ad feliciter vivendum indigent, ac mala vitae felici oppoſita ab iisdem avertit.

Hanc Dei providentiam qui cum Epicuro negant, exiſtimante, Deum *actuoſum* non poſſe dici *beatum:* illi aut *neceſſarium providentiae* cum *bonitate* vinculum non perſpiciunt, aut naturae divinae (§. 172. 173. 174.) notione carent. Qui vero ad magnos duntaxat eventus ipſam pertinere putant, & parva curari negant: illi notione maximi & minimi, finitae intelligentiae noſtrae accommodata, naturam infinitis praeditam viribus temere coërcent, aut ſe ipſos non intelligunt.

§. CLXXX. Jucundiſſima eſt mundi contemplatio, in primis ex ea parte, qua manifeſta providentiae divinae ſpecimina exhibet. Mundus inanimatus inſervit animato. Hoc continetur immenſa re-

rerum varietas. Praeter humanum genus, entium intelligentium vires humanas aequantium aut ſuperantium complura forſan exiſtunt genera. Singulis ſuum divinitus deſtinatum eſſe felicitatis gradum, ea, quam de ſumma Dei providentia habemus, notio nos concludere cogit.

At enim tot mundum deformant, imo bonis, quae mundo continentur, *aequalia ſunt mala phyſica!* Num *vere* mala? Ubi malum, ibi diſſenſus in toto, quod conſtat ex partibus. Nos, qui minimam hujus rerum univerſitatis particulam utcunque cognoſcimus, nos, qui ne unius quidem corporis ſtructuram interiorem plene perſpicimus, nos, qui tot rerum genera & quaſi gradationes ignoramus, nos, qui longiſſime diſtamus ab eo puncto, ex quo contextus, ordo, motus, conſenſus, omnium mundi partium perviderí poſſet, in tantis, quibus circumfundimur, tenebris *probare boni malique aequalitatem*, ac mundi vitia nos accuſare audebimus?

Hominum certe genus, ut poſſet fieri particeps felicitatis ſibi deſtinatae, eam accepit eſſentiam, eas vires, eoque vinculo cum rebus caeteris a Deo conditis continetur, ut omnia ad illud propoſitum aſſequendum conſentiant. Similiter Deo malorum averrunco, propter multa & magna mala, *malorumque auſuum irritamenta* ſibi benefica & *occulta manu detracta*, *atque occaſiones veri intelligendi ac bene agendi ſuppeditas*, gaudia ſincera merito mens pia conſecrat. *Phyſice*, *Phyſiologia*, *Pſychologia*, rerum geſtarum annales, argumenta providentiae omni exceptione majora exhibent. Fructus philoſophiae dulciſſimus eſt, progredi in notitia Dei, tanquam providi patris; cui carior eſt homo, quam ſibi.

§. CLXXXI. In primis vinculum illud, quo ho-

mo cum homine conjunctus eſt, Dei providentiam, pro hominum ſalute excubantem, evidenter demonſtrat. Manet eadem ſexus utriusque proportio, idem ortus, vitae ac mortis ordo: neque bellis, vaſtationibus, vel quavis actuoſa hominum, in ſuam necem ingenioſorum, ſtultitia conſtans naturae ordo diſturbatur.

Prava conſilia, naturali hominum conglutinationi adverſa, mirifice inflectuntur, ut nata ex iis eventuum ſocietati ſalubrium ſemina laetius progerminent. Sibi ſoli ſe vivere putat aliquis. Dulci errore deceptus, vivit aliis, (v. c. homo luxurioſus) & inſcius atque invitus prodeſt. Sui incurioſus aliis ſe totum vivere, bona fide perſuaſum habet. Sibi, dum ita vitam inſtituit, ſe praeter expectationem conſuluiſſe, perſaepe experitur. Tyrannus, ſe unum reſpiciens, ad ſe referens omnia, furore ſuo de lethargo excitat languentes civium animos, ut, qui ſint, memores, velut uno ſpiritu, ad libertatem fortiter proclament. Helluo ſuo tantum deſerviens abdomini, alit induſtrios. Avarus heredem inopem eumque frugi hominem ditat. Bella populos ignotos aperiunt; cladibus ipſis docent ac corrigunt victos; pace facta hoſtes conjungunt mercatura & communis utilitatis vinculo, idque foedus mutua artium communicatione arctius deviniciunt. &c.

§. CLXXXII. At vero pars hominum innumerabilis miſeria implicatur! Hanc ſi non praevidit Deus, an appellari poteſt providus? Si praeviſam non avertit, quia non potuit, an eſt ſumme potens? ſi noluit, an bonus?

Verum ſalva res eſt. Miſeria non eſt, quam multi *in ſola malorum corporis & externorum copia* ponunt. (§. 21.)

(§. 21.) Calamitates, quae a caſu, a malevolentia, ab imprudentia oriuntur, felicitatem minuunt, dum ſentiuntur, non auferunt. Superatas meminiſſe juvat. Habet patientia ac fortitudo ſua commoda. (§. 87. 88.) Spes, fore melius, poteſt aegros alere & erigere animos. Denique *mala phyſica abſolute* & proprio ſignificatu in mundo dari, ſupra (§. 180.) negavimus.

Circumfundunt vero, inquis, vitas hominum *mala vera voluntaria.* Fatemur. Sed culpa Deum vacare, ex notione ſapientiae ac bonitatis divinae recte colligitur.

Nati ad feliciter vivendum homines non ſunt, niſi ultro, miſeri.

Praebuit providum Numen momenta recte agendi: *impedimenta moralia* naturae entis intelligentis accommodata, *ſenſum moralem*, *inſtinctus*, *conſcientiam*, *poenitendi neceſſitatem & amarorem*, *rationem* objecit errori, quo in viam felicitati contrariam homines abripiuntur. Hi ſi falſo putent, ſe eſſe miſeros, quia non adipiſcantur, quae deſiderant; ſi negligant ſolatia verorum malorum, quibus premuntur; ſi luant culpam ſuam aſpero poenitentiae ſenſu; nihil eſt, in quo Dei bonitatem coarguas.

Ex notione Dei, & conditione phyſica animae humanae, praeterea colligitur, poſſe fieri, ut ea, quae de perfectionibus divinis, & de modo miſeriam noſtram vitandi, ex ſola naturae contemplatione cognoſci nequeunt, ſpeciali *revelatione divina* nobis aperiantur. Hujus patefactionis ſingularis notas expendit ratio, ut veram ab opinatis & confictis diſcernat. Videt, illas notas uni doctrinae convenire, quam Chriſto devoti amplectimur. Concludit, hanc ſanctisſimam inſtitutionem eſſe beneficii ſummi, a Dei providentia profecti, loco grate accipiendam.

§. CLXXXIII. Neque vero hominibus, tanquam machinis, definitam felicitatis menſuram Deus aſſignavit. Partem bonorum, quibus ille veluti orbis felicitatis humanae abſolvitur, hominum naturae propriam fecit, in quam nihil habent poteſtatis. Alteram ejus telae partem ipſis, tamquam entibus intelligentibus, adeoque *libere agentibus*, perficiendam commiſit. Quapropter ut noſſent libertatis ſuae (§. 50.) *ſervare modum, finemque tueri, regulas* ipſis manifeſtavit, hoc eſt, *conditiones*, quibus demum ſervatis poſſent illam felicitatis ſibi deſtinatae menſuram implere. Hae conditiones vulgo appellantur *praecepta & leges Dei.* Quibus ut obtemperari poſſit, ineſt in homine vis cognoſcendi nexum inter vitam ipſis conformem & felicitatem; & in hac ipſa cognitione ineſt vis movens animum. Cum hujus utilitatis cognitione homo commovetur ad *agendum, quod Deo placet*, generatim appellatur *voluntati divinae parere.* Strictiori ſignificatu dicitur *Deo obedire*, qui actiones ſuas ad voluntatem divinam ob *certam* de *ſapientia & bonitate divina* perſuaſionem, conformat. (infra §. 219.)

Ex qua obedientia, ſi foret plena, ſtatus hominum oriretur *moralis* cum finibus divinis conſentiens, adeoque bonus, hoc eſt veriſſimarum ac puriſſimarum voluptatum foecundus, & Deo acceptus: cui *viribus* etiam *ſupernaturalibus* tot ac tanta beneficia ſummum Numen ſuperaddere poſſet, quot & quanta generis humani natura, & ſapiens cum rerum univerſitate conſenſus ac veluti contextus, patitur.

§. CLXXXIV. Non ſua cauſſa ut fieret beatior, ſed ex amore generis humani, ut hoc felix effici poſſet, plenam Deus poſtulat obedientiam. *Per-*

fe-

fectiſſimus num noſtra opera poteſt fieri *perfectior*? hoc eſt, num ſucceſſu temporis, ut more humano loquar, majorem attributorum (*realitatum*) aut multitudinem, aut harmoniam, acquirere poteſt, cujus novo quaſi ex conſpectu novam & inuſitatam capiat oblectationem, & ubeniorem beatitatis ſuae gradum exaggeret? (§. 172.) Num per infirmos, nullis viribus, niſi quas dare aut nutu ſuo evertere velit, inſtructos, *potentiſſimus mutari* poteſt? Suus eſt (*independens*). Sibi ſolus ſufficit.

Stolide magna pars gentilium putavit, & ſibi Deos inter ſe, & proſperis hominum ſucceſſibus *invidere*. Rectius ea de re judicarunt *philoſophi*. Livor eſt effectus infirmitatis. (§. 135.) Cui nihil virium deeſt, numine qui ſuo fortunam regit, orbesque creat, torquet, evertit, an is cuiquam invidere poteſt?

Beatitatis divinae perennitas, omnem acceſſionem aut deceſſionem excludens, nulla ope, nulla cujusquam, ut ſalva ſit, obedientia indigens, veram *majeſtatis divinae* notionem abſolvit. Haec majeſtas nec cum mundo univerſo, nec cum ulla ejus parte, licet praeſtantiſſima, communicari poteſt. Igitur caute & reverenter a majeſtate imperii humani, & a juris publici regulis, pro naturali infirmitate eorum, qui civitates regunt, neceſſariis, ad explicandam imperii divini rationem argumentemur.

§. CLXXXV. Si ſibi homines *obtemperare* idcirco Deus voluit, ut illi per ſingulos actus ſibi cauſas verarum, & una hac via parabilium, voluptatum compararent: (§. 183.) patet, ſingula morum praecepta divinitus ordinata eſſe demonſtrationes viae breviſſimae ad felicitatem. *Qui Dei leges violat*, inquit *Auguſtinus*, *non Deo nocet, ſed ſibi.* Veriſſime Servator *jugum*, quod di-

diſcipulis ſuis incutiat, *lene* eſſe dixit & *onus leve*.

Ex eodem enuntiato efficitur; ſtudium hominis in eo elaborantis, ut voluntati divinae congruenter *ſe amet*, *atque alios aeque ac ſe ipſum*, eſſe gratam ſummo Numini adorationem. (§. 173. 184.) Recte apud Ciceronem Cato: *Nec vero dubitet agricola, quaerenti, cui ſerat? reſpondere: Diis immortalibus, qui me non accipere modo haec a majoribus voluerunt, ſed etiam poſteris tradere.*

§. CLXXXVI. Tanta Dei, ſuapte vi beatiſſimi, potentia, ſapientia & benignitas parere debet maximam hominis in Deo *fiduciam*, ſummumque ipſius *amorem*. Illa in rebus gerendis animos regit ac confirmat, inque adverſis tranquillat. Hic nos voluptate puriſſima perfundit.

Quod ad *fiduciam* attinet, nunquam *coeca* eſſe poteſt obedientia, qua voluntati divinae paremus. Niti enim poteſt ac debet hac certa perſuaſione; nihil divinitus praecipi, niſi quod bonum eſt, nihil vetari, niſi quod malum, patrem eſſe ſapientiſſimum, qui ſeu det, quae cupimus, ſeu neget, nobis optime provideat. (§. 180.)

Ex hac fiducia naſcuntur preces. Hae ſunt *optata, ut bona animi, corporis, & externa, nobis a Deo conferantur, ſpe adeptionis poſita in divina ſapientia & bonitate.* Non Dei, ſed noſtrum intereſt, preces mente concipere, & conceptas verbis explicare. (§. 193.) Seu ſub lege precationis bona quaedam largiri velit Deus, ſeu neget, quae nos ignari exitus futuri temere petimus; ſola cogitatio perfectionis divinae, & veneratio, a qua preces naſcuntur, nec non ſenſus jucundiſſimus fiduciae in providentia divina, augent felicitatem.

Mala, quae alii aliis homines malevoli imprecantur,

tur, *naturae* precum adverſantur. Execrationes ab odio ac deſperatione ultionis profectae num acceptae eſſe poſſunt patri mortalium quamvis malignitatem abominanti?

Diximus, *bona animi* ſub *precum definitione* contineri. (§. 180.) Male quidam *philoſophi*, & inter hos *Seneca*, negarunt *bonam mentem* a Deo peti debere. Quo & ſpectant verba *Ciceronis*, qui in *libro de Natura Deorum*: *Numquis*, inquit, *quod bonus vir eſſet, gratias Diis egit unquam? At quod dives, quod honoratus, quod incolumis; Jovemque optimum maximum ob eas res appellant, non quod nos juſtos, temperantes, ſapientes efficiat, ſed quod ſalvos, incolumes, opulentos, copioſos.*

§. CLXXXVII. Summus erga Deum *amor* (§. 186.) eſt *ſtudium ſummam voluptatem ponendi in cogitatione atque amplificanda cognitione naturae divinae, & noſtrae apud Deum gratiae.* Non alius *amor Dei purus*, niſi hic, in hominem cadere videtur. (§. 154.) Quo magis Deum amas, eo impenſius te ipſum (§. 96.)

§. CLXXXVIII. *Si Deus eſt infinite ſapiens & bonus: eſt & infinite verax & juſtus.*

Conſtans veritatis enuntiandae amor poſitus eſt in ſtudio perpetuo ita ſignificandi veritatem iis, quorum vere intereſt eam ſcire, ut in errorem ipſis perniciosum non inducantur. Eſt quaedam neceſſaria homini cognitio: eſt & quaedam ignorantia ipſi ſalutaris. (§. 72. 121.) Quid ſcire interſit hominum generis, quidve ignorare; is ſolus aeſtimare poteſt, qui ſumma praeditus ſapientia, hominis naturam & ſeriem eventuum omnium pleniſſime perſpicit. Ea vero, quae ſcitu nobis ſunt neceſſaria, tam evidenter ſignificare, quam poſtulat modus & terminus intelligentiae humanae praefinitus; ſummae bonitati con-

venit. Hinc futuri temporis exitum, ipſumque animae a corpore ſolutae ſtatum, nos latere, Dei beneficium eſt. (§. 90.) Hinc certas & evidentes eſſe regulas naturales felicitatis humanae, recte ob eam cauſam concluditur, quod ſunt divinae. (§. 28. 273.)

§. CLXXXIX. Regulas aeternas vitae felicis tueri, dignum eſt ejus ſapientia, a quo ſunt conditae. *Tueri has regulas* ſignificat *facere, ſalva libertate enti intelligenti finito propria, ut illae non violentur, vel ut malum ex earum violatione ortum reparetur.* Ad quem finem aſſequendum Deus uti poteſt *ſenſu voluptatis & doloris iisdem entibus ingenito.* Ex uſu hujus remedii naſcitur notio *juſtitiae divinae* (*rectoriae*). Haec enim eſt pars *providentiae divinae*, qua fit, ut Deus utatur *ſenſu voluptatis & doloris* entibus intelligentibus impreſſo ad vigorem regularum tuendum, quas de ipſorum felicitate ordinavit. Cujus quidem remedii proportio &, quo adhibetur, tempus, ut conveniant ſapientiae & bonitati infinitae, ſumma exigit attributorum divinorum conſenſio.

Neque vero eſt, cur *accuſemus* ac bonitati opponamus Dei juſtitiam, quod actiones noſtras, regulis, quas ſtatuit, contrarias, variorum bonorum privatio aut denegatio conſequatur. Si horum attributio cum ſalute generis humani ac conſervatione *ordinis*, in tuendo creationis ſyſtemate neceſſarii, pugnet: quid ſtatuat *ſapiens bonitas*?

At enim, cur *malis bene eſt*, inquis; in hos cur non ſtatim, cur non manifeſta omnibus fulmina mittuntur? Praeter ea, quae dicemus (§. 269.), hoc loco obſervamus, non ſemper malos eſſe, qui videantur, nec pro bonis ſemper ducenda eſſe, quae ſplendeant, nec mutandum videri ordinem naturae uni-

univerſae nunquam, voti ſui participes fieri poſſint improbi, nec ſemper ei male conſuli, cujus bona cauſa non triumphet. Impii itaque ſunt illi, qui atrae bilis vitio negant Deum eſſe juſtum, quia quas velint, poenas iis non infligat, quos execrantur.

Eſt vero, cur juſtitiam Dei *timeamus*, id eſt, eum *ſtatum* deteſtemur, quem quia rector generis humani ſapientiſſimus averſatur, boni exſortem malique feracem eſſe, praevidemus. Is *timor* non eſt oppoſitus amori erga Deum, ſed ex hoc naſcitur. Veneratio (§. 124.) eſt vicina obedientiae, & ad hanc non abnuendam impellit. Quem reveremur, eum amamus; quemque praeſertim ob magna beneficia in nos collata amamus, is ne ſtatum noſtrum moralem improbet, valde timemus.

Timorem a veneratione & amore ſejungit *ſuperſtitio*. Hujus notio valde involuta eſt. Generatim accepta plerumque denotare videtur opinionem falſam de vi ſiderum in fortunam hominum, de potentia ſpirituum finitorum infinita, & de modo hos placandi ſibique propitios faciendi, vel ne noceant, vel ut in futuris eventibus indicandis, ac bonis, quae deſiderantur, impetrandis opitulentur.

Huc ſpectant *aſtrologia*, atque *ea*, quae de *divinatione* recenſet Cicero, *ſigna, quibus futura praeſentiantur*; veluti *fiſſus jecoris*, *corvi cantus*, *volatus aquilae*, *ſtellae trajectio*, *voces furentium*, *ſortes*, *ſomnia*, *oracula*, *divinationes*; porro *necromantia*, *vanitas magica*, *varia eorum ſortilegiorum genera*, quae prudenter vetuerunt *ſummi Pontifices*, multaque alia portenta phantaſiae corruptae, & trepidae credulitatis. Qui fit, ut haec in eos quoque cadat, qui ſingularis acuminis laude celebrantur, in *Julios Caeſares*, in *Julianos*?

Stri-

Strictim intellecta ſuperſtitio prodit mentem Divinae bonitati & ſapientiae diffidentem ac ſollicitam, ne poſſit Deum ſibi conciliare, niſi per mala ſibi aliisve hominibus contra naturam (v. c. per *victimas humanas*,) & veram revelationis ſententiam illata.

Superſtitio varie conſiderari poteſt; vel pro *culpa* hominis, verum, quod ſcire poterat ac debebat, ignorantis, vel pro varia *aeſtimatione effectuum*, *quae progignit*, hoc eſt, pro magnitudine malorum, quae redundant in hominem ſuperſtitioſum, & in ſocietatem, tandem pro difficultate hunc morbum ſanandi. Multa ſingulis & in commune ſalutaria impedit ac convellit. Gignit, pro diverſa hominum indole, vehementiores aut leviores *errores & furores fanaticos*, ſocietatis everſores; ſaepe accendit crudelitatem; ac propterea non poteſt non Deo diſplicere, ut qui amari velit, (§. 177.) non metui ſerviliter. (§. 172.) Ex malis effectis non ſunt praetereunda duo, quorum unum commemorabimus verbis *Poſtumii* in oratione de *Bachanalibus tollendis* apud *Livium*: *nihil in ſpeciem fallacius eſt*, ait, *quam prava religio. Ubi Deorum Numen praetenditur ſceleribus, ſubit animum timor, ne fraudibus humanis vindicandis divini juris aliquid immiſtum violemus.* Alterum malum eſt hoc, quod a ſumma ſuperſtitione ad irriſionem religionis omnis facilis eſt tranſitus: veluti *Dionyſius Siciliae* tyrannus, ut refert Cicero, *cum in fanum veniſſet Jovis Olympii*, aureum *ei detraxit amiculum gravi pondere, atque in eo etiam cavillatus eſt, aeſtate gravem eſſe aureum amiculum, hieme frigidum, eique lineum pallium injecit, cum id eſſe ad omne anni tempus diceret —— jam menſas argenteas omnibus delubris juſſit auferri, in quibus quod more veteris Graeciae inſcriptum eſſet, bonorum Deorum, uti ſe ce-*

eorum bonitate velle dicebat. Uti ſuperſtitioſi eum, qui ſecum non facit, irreligioſum vocant: ita *irreligioſi* colligunt; cum quaedam doctrinae ſint *manifeſte ſuperſtitioſae, ergo in hoc genere nihil eſſe verum.*

Videndum itaque eſt illis, qui ſuperſtitionem aggrediuntur, ut in locum erroris, quem debellarunt, ſtatim ſubſtituant diſciplinam veri, & hac imbuant animos, quos remota caligine majoris lucis avidos effecerunt.

§. CXC. Ex his, quae hactenus diſputavimus, apparet, quid ſit Religio, & quantopere cum felicitate noſtra conjungatur. Varia huic voci ſignificatio ſubjici ſolet, ſed quae ad unam revocari poſſit. Latiori intellectu hoc vocabulum complectitur & *cognitionem* Dei &, quae hac cognitione veluti animatur, *actionem*, atque non aliquod doctrinarum corpus, ſed *dotem* ac *perfectionem quandam animi*, denotat. Quatenus itaque in *animo ineſſe* dicitur, eſt *cognitio Dei, conjuncta cum ſtudio perpetuo hanc perficiendi, ipſique convenienter vivendi.*

Neque re differt haec definitio ab ea, quae aliis probatur; cum religionem definiunt *gloriam Dei, & ejus illuſtrationem.* Nam *gloria Dei* deſignat vel eum *attributorum divinorum* ſplendorem, ut ab entibus intelligentia finita praeditis cognoſci poſſint, vel *ipſam horum entium majorem cognitionem de perfectionibus divinis. Illuſtrare gloriam Dei,* ſive *gloriae divinae convenienter agere*, habet hanc ſententiam, *ex cognitione de Dei perfectionibus depromere momentum peaeponderans, naturae* (§. 42.) *convenienter agendi*: veluti ſi quis inimico ignoſcat, aut pauperem ſublevet, *Dei cauſa*, hoc eſt, quoniam eo, quo haec agit, tempore cogitat, velle Deum, ut ſic agamus.

Eo

Eo eniſi, ut cognitionem naturae divinae augeas, adorare Deum, (§. 172.) amare, (§. 187.) ei obedire, (§. 183.) in ipſo confidere & acquieſcere, (§. 186.) pleno amoris timore ipſum colere, gratiamque apud Numen ipſius colligere ſtudere, (§. 189.) ſunt praecipuae partes religionis, & totidem cauſae verae, ſtabiles, ac foecundiſſimae puriſſimarum voluptatum. (§. 285.)

Patet igitur, religionem veram non eſſe *effectum metus*, ſed *fructum ingenii, quid ad beate vivendum pertineat, perſpicientes.* Nihil enim boni aufert; nunquam nocet; prodeſt omnibus tempore omni. Praebet momentum potentiſſimum, ea fugiendi, quae per ſe noxia erant futura; etiamſi nulla foret religio. Eadem facit, ut bonis noſtris recte fruamur; temperat motus rationi haud obedientes; in adverſis mentes conſolatur, recte facientes ſuavitate ſumma impertit, quae promanat ex fiducia comprobationis divinae ac ſpe beneficiorum divinorum in nos conferendorum, dum erimus.

Contemtus religionis (vulgo, *irreligio*) eſt *habitus mentis omnem de Dei natura, gubernatione mundi, cultuque divino cogitationem ſupprimentis, & ad ſuperſtitionem, ridiculum minuti foetum ingenii, rejicientis.* Triſtis vero hominis conditio! Si vera ſint, quae religionis irriſores ſentiunt, ecquid inde ſolatii in rebus adverſis? quantulum fiduciae in ſecundis? Quod telum contra mortis inſtantis aut lente appropinquantis formidinem? Quae ſpes ſtatus melioris poſt obitum? Sin falſa ſint, quae perhibent; quantam hujus vitae ſuavitatem ſibi auferunt! quid eſt, quod poſt diſceſſum ex hac vita ſperent?

Fontes hujus errati ſunt varii. Prava educatio, ſubita depulſio craſſae ſuperſtitionis *luce veritatis ſimul*

mul non accenſa, (§. 189.) imbecilitas ingenii, cui nihil verum videtur, niſi quod cadit ſub ſenſus, vitae male actae conſcientia, affectatio honoris opinati, qua fit, ut malis errare cum paucis, qui volunt videri acutiores, quam cum vulgo ſapere.

§. CXCI. *Religio* (§. 190.) dicitur *interna*, quae in actibus mentis ſubſiſtit: quo pertinet meditatio naturae operum ac beneficiorum divinorum, poenitentia ex malefactorum conſcientia enaſcens. Eſt vel *naturalis*, quam ratio ex contemplatione naturae colligit: vel *revelata*, quae priorem confirmans ac perficiens, viribus Dei ſupernaturalibus tradita eſt hominum generi (§. 182.)

Ab interna religione non re, ſed cogitatione, divellitur *externa*. Haec enim vel *de quadam diſciplina* (ſyſtemate) *doctrinarum de Dei natura & cultu*, vel de *actionibus bonis a cognitione Dei prognatis* accipitur. Priori ſignificatu eſt *complexio doctrinarum de natura & voluntate divina, modoque huic convenienter agendi, quas quis pro veris ſe habere profitetur.* Poſteriori ſignificatu, quem hoc loco ſequimur, *eſt complexus actionum externarum, internae religionis & ſigna & effecta exhibentium.*

Quaelibet actio externa, *quae proficiſcitur a conſilio, finibus divinis, ſeu voluntati divinae convenienter agendi*, eſt *pia*, & pars religionis externae (*actio externa religioſa*). Concludimus, 1) religionem internam non eſſe veram, (eo ſignificatu, quo eam (§. 190.) interpretati ſumus) cui actiones externae haud reſpondent: 2) fraudem & ſimulationem eſſe, non autem dici poſſe religionem externam, quae internae repugnet: 3) neutri actum eſſe conſentaneum, qui regulis felicitatis humanae adverſetur. (§. 188.)

Unde nec quilibet fervor ſeu *Zelus* in propaganda Dei gloria (§. 190.) placet ſummo Numini, ſed ille demum, quo haec *vere* propagari, hoc eſt, effici poteſt, ut homines naturam ac voluntatem Dei clarius intelligant, & hac cognitione commoti recte agant. Is vero ardor Deo gratus quis eſt? Qui a quavis malignitate averſus, & pronus ad tolerationem errantium, cujus exemplum a mundo inde condito ipſe Deus praebet optimum, ſola vi ratiocinandi ampliorem, veriorem, & efficaciorem de Deo notitiam in animos imperitorum aut errantium blande & firmiter inſinuare ſtudet.

Unit homines religio, (§. 185.) non divellit.

Emolliendae itaque ſunt mentes, quas docere velis, non efferandae. Vis adhibita non poteſt mutare notiones eorum, quibus infertur, ſed exulcerat animos. Etenim educationis igniculis, metu Deo diſplicendi per ſimulationem aſſenſus, ſervitutis ſibi incuſſae odio irritati flammas concipiunt homines, quibus datur optio, aut loquendi & agendi contra ſententiam ſuam, aut pereundi vel moeſte vivendi. Primum illi, quibus ne quidem libertas cum Deo ſecundum perſuaſionem ſuam agendi ſalva eſt, ſeparatim gemunt; mox communi metu, & violentiae odio, junguntur, ac vel vim vi repellere conantur, vel acerbo violentiae ſenſu incenſi claudunt aures menteſque veritati. Superſtitionem gentis, *cui creſcebat Numen in hortis*, non ſuſtulit *Cambyſes*, cum, ut erat praefervidus, bovem honoribus divinis affectum ſua manu trucidaret, ſed exacerbavit victos, quorum ſacris inſultabat. Non correxit *Graecorum* errores *Xerxes*, cum illorum templa magis auctoribus inflammaret, indignum ratus parietibus includi Deos, *quorum hic mundus omnis templum eſſet & domus.*

§. CXCII.

§. CXCII. Inter actiones, quae a religione, tanquam momento primario, proficiſcuntur, quaedam, eo unice ſpectant, ut animus & cognitione Dei pleniori imbuatur, & ardore *pietatis* inflammetur. Pietatem appello ſtudium adorandi Deum, (§. 172.) & magnitudinem amoris erga ipſum verbis factisque teſtificandi (§. 187.). Complexus actionum, quibus ad amplificandam Dei cognitionem, atque ad ejus *adorationem* viva noſtrae felicitatis ab ipſo pendentis cogitatione excitandam, unice nitimur, appellatur *cultus Dei*. Eſt itaque hic cultus eo *perfectior*, quo magis inſervit inſtruendo intellectui, vel pietati inflammandae.

§. CXCIII. Tam arctum animi corporisque noſtri eſt vinculum: ut motibus corporis indigeat animus, quibus non ſolum cognitiones ſuas ſignificet aliis hominibus, ſed etiam quibus lucem, continuationem, & ipſam quaſi vitam cogitationum ſuarum perficiat. Ob hanc cauſam homines indigent *cultu Dei externo*.

Hic eſt complexus actuum corporis, qui cultui interno intendendo & aliis ſignificando inſerviunt. *Caerimoniae piae* ſi ad hanc metam collineant, recte dicuntur ſalutares. Is vero *cultus* externus, qui non eſt ſignum vel effectus *cultus interni*, *nullus* eſt. Etenim qui ſimpliciter ad *oſtentationem* qualicunque de cauſa ſpectat, (qualis eſt *hypocriticus*) nec non *cultus inanis*, (quem *automaticum* dicere poſſis) ac *cultus ſceleratus*, qui in *vitiis* ad *honorem*, ut ſibi perſuadent male ſani, *divinum* admiſſis conſiſtit, non ſunt digni nomine venerabili, cujus ſpecie fallunt.

Cultus, quem *Chriſto devoti* comprobant, *publicus* praeſtat *cultui gentilium publico*, non ſolum doctrinarum veritate & praeſtantia, ſed & *ordine*,

&, ut vulgo ajunt, ipſa *methodo*, dum erudiuntur mentes, atque corda moventur, & omni ſtudio duo reprimuntur errata capitalia, *ſuperſtitio* & negligens *Dei animus in vita regenda.*

Nulla pars cultus *interni*, vel *externi*, Deo adhiberi poteſt ſine incremento verarum voluptatum.

Ex quo apparet, quam omni ex parte amabilis ſit religio. Aberrant a conſilio divino, ſi qui faciant docendo, ut non ametur.

SECTIO VII.

Virtus.

§. CXCIV. A beatitate divina, perpetuo illo ſummoque Dei gaudio, felicitas, hominum generi deſtinata, infinite diſtat. *Illa* cujuscunque doloris intervenientis, diminutionis, incrementi, vel *ſucceſſionis*, expers, non poteſt non enaſci *ex cognitione perfectiſſima, quam Deus habet de pleniſſima attributorum ac decretorum ſuorum harmonia. Haec* finita ſit oportet, partim, quia *naturae finitae* attributa eſt, partim, quoniam non potuit non eum habere ambitum, eosve limites, qui reſpondeant conſilio, quod Deus in partium hujus univerſi gradatione & compoſitione habuit.

Ex utraque limitum felicitatis humanae cauſa cognoſcitur: cur ea ſit diminutionis, acceſſionis, ac converſionis capax, atque ad id, quod ipſi praefixum eſt, faſtigium non ſimul evehatur, ſed gradatim, & eo demum, quem pro ſua ſapientia providus mortalium pater definivit, ordine ad illud aſcendat.

Pars

Pars ejus naſcitur *a cauſis naturalibus: (interiori hominis conſtitutione, & nexu cum caeteris rebus ad mundum pertinentibus:)* (§. 130.) pars, praeter beneficia, quae Deus ſingulis provide diſpenſat, pendet a *perpetuo conſenſu actionum liberarum cum regulis*, (§. 183.) quas Sect. 3, 4, 5, 6. delineavimus. De *ultima parte* hic agitur.

§. CXCV. Ad curſum vitae felicis conficiendum, actionum cum regulis, quas expoſuimus, conſpirantium, aut pugnantium, alternae vices non ſufficiunt. Conſtans ſit actionum cum illis regulis harmonia oportet. Ut nemo ſanum vocaverit, cujus furori aliquot dilucida intervalla interponuntur: ita longe abeſt a felicitatis ſuae termino, qui raro, aut per intervalla, ſapit. Omnis repugnantia etiam minima in regendis actionibus gignit effectus malos, ſcilicet privationem bonorum, & dolores, praecipue ex *poenitentia*, proinde obeſt felicitati. Eo jucundior eſt vita, quo pauciores & quo leviores *poenitendi* cauſae interveniunt. Vita itaque ſibi ſemper in bono eligendo conſentanea, (*ſyſtematica*, *conſtans*, *aequabilis*) dum ſubmoveret cauſas omnes, cur hominem ſui ipſius poeniteat, foret jucundiſſima.

Sola, quae ex bonis phyſicis naſcitur, ſuavitas calamitatum interventu intendi poteſt. Alia eſt conditio illius jucunditatis, qua mentem conſcientia recte factorum perfundit. Haec non intenditur dolore ex poenitentia, qui ſemper eſt dolor verus, isque acer, quotiescunque recordatione rerum prave geſtarum inſtauratur.

§. CXCVI. Studendum itaque eſt perpetuae

actionum harmoniae. (§. 195.) Haec vero effici nequit: niſi a) *decreta animi* ſint *recta*, hoc eſt, conſentiant cum regulis, ad curſum vitae felicis regendum divinitus conſtitutis: (§. 29.) ac niſi b) momenta, (§. 2.) ex quibus illa decreta profluunt, ſint optima, ſeu nobiliſſima: tandem, niſi c) haec momenta adeo ſint infixa animo, ut vim praeſentiſſimam habeant, hunc impellendi ad id eligendum, quod, quoniam naturae humanae convenit, vere & unice bonum eſt. (§. 42.)

§. CXCVII. De regulis, ad quas *ſingulae actiones* accommodandae ſunt, expoſuimus. Supereſt 1) ut *momenta* earundem actionum alia aliis *meliora* explicemus, & 2) *modum* inveſtigemus efficiendi, ut his mens absque incerta longaque volutatione, celeriter commoveatur.

Enimvero in formandis hominum moribus multum refert, non ſolum quid fiat, ſed & quo animo. Ex momentis naſcuntur decreta voluntatis. Tales ſunt animorum motus, qualia ſunt principia, a quibus ducuntur. Elateres vero ſeu momenta alia ſunt *abſolute bona*, quoniam omni loco & tempore poſſunt movere animum ad recte faciendum, alia *ſub quibusdam conditionibus* habent efficaciam flectendi ad bonum animi, & quandoque malo propoſito inſerviunt.

Igitur praeſtantia *momentorum abſolute bonorum* ex eo eſt aeſtimanda, quod animus his obſequens *nulli erroris periculo* exponitur, ac majori vi atque alacrius malorum illecebris reſiſtit.

Ut quaelibet momenta a praeſenſione vel clara cognitione effectuum actionis ſuſcipiendae aut omittendae gignuntur: ita differentia momentorum *abſolutorum & hypotheticorum* oritur ex *duplici effectorum*

rum bonorum vel malorum genere, quae ex *liberis hominum actionibus* manant. Haec (§. 39.) diximus, vel eſſe *adventitia* vel *neceſſaria*; illa pendere *a cauſis naturalibus extra hominis poteſtatem poſitis, contingentibus, mutabilibus*, (e. c. *opes, proſperum ſucceſſum curſus maritimi, operis periculoſi* &c.) *praeſertim ab alienis judiciis & actionibus*, (veluti *laudes, auxilia, remunerationes*); haec ab ipſa actionis natura proficiſci, & divelli non poſſe; (§. 161.) (*veluti verorum bonorum privatio ſequitur malitiam.*) Effectus neceſſarius bonae actionis, *praeter vitationem malorum ex mala actione manantium*, eſt duplex, a) animi ſe ipſo contenti ſerenitas, quae naſcitur ex perſpecta actionis harmonia cum natura noſtra; (§. 41.) b) voluptas puriſſima, quae oritur ex cognito actionis bonae conſenſu cum finibus, proinde cum voluntate Numinis ſapientiſſimi. (§. 177.)

Primum momentorum genus, quod ab effectibus *adventitiis* ducitur, non eſt vituperabile, quia eſt naturale, quod autem eſt ſecundum naturam, id reprehendi nequit. (§. 43.) Quapropter actio a tali momento ſolummodo profecta temere *vitiis* annumeratur. Etiam bona incerta & caduca, (§. 63. 123.) quae a fortuna, (§. 90.) aut alienae benevolentiae impetu pendent, ſunt optabilia, quia felicitatem augere poſſunt.

Verum haec momenta non ſemper vim ſuam exercent. Vis ipſorum, ut ita dicam, eſt *hypothetica*. *Bonorum incertorum* cogitatio duntaxat fit *momentum voluntatis*, quatenus videntur ſperabilia; eorum vero conſequendorum ſi nulla ſpes ſit, nihil habent nervorum, neque animum inflammant ad ea efficienda, quae fieri oportebat; potius his momentis adſuetus to-

 tusque

tusque vacans animus, aberrandi periculum ſaepe incurrit, rapiturque ad ea, quae fugere debebat, & in *vitia propenſionis dominantis* (§. 80.) immergitur. Laudis v. c. & emolumenti cupiditas per ſe non eſt contra naturam, (§. 105.) ergo nec momentum eſt malum, quod ab eo deſiderio ad id, quod fieri oportet, agendum ducitur. Sed ſi adſueveris, in ſingulis actibus ſuſcipiendis non alium ſentire impulſum, niſi ab hac cogitatione, *quae inde laus? quae gratiae relatio? quis quaeſtus?* mens refrigeſcit, ubi haec haberi nequeunt; & ſola horum commodorum cupiditate innutrita paulatim ad id dilabitur, quod fieri non decet. Ut *bellum Cimbricum* conficeret *Marius*, *duxit exercitum*, *Marium duxit ambitio*, (inquit *Seneca*) bona illa quidem, ſed quae paulo poſt *ex cive egregio* effecit hoſtem publicae tranquillitatis.

Concludimus, *prius* momentorum genus longe praeſtare *poſteriori*, quia illud ſemper mentem ad recte faciendum impellit, hoc non ſemper. Quamobrem illud ut diſtinguamus, vocabimus *nobile* vel *optimum.*

§. CXCVIII. Parum juvat, noſſe & probare momenta optima (§. 197.) ac ſententias nobiles, hoc eſt, eas, quae actionem naturae conſentaneam, nullis licet comitatam praemiis externis, nudam, non honoratam, imo contemtam ac calamitoſam ſuopte pretio aeſtimant. Quid juvat, hoc in genere recte ſentire & loqui, ſed perverſe *agere?* Semina bonae mentis ad fructum pervenire debent, ut dicere poſſis cum Ajace: *Spectemur agendo.*

Quod fit, cum mens adſuevit facultati boni mali-

lique notas in re praeſente celerrime diſcernendi, verique boni delectu connitendi ad perceptionem voluptatis, quam omnis actio cum regulis conſentiens per ſe, & praeterea comprobationis divinae cogitatio, in mentem infundit.

§. CXCIX. Hac ex conſuetudine agendi exſurgit globus quidam virium moralium, & robur mentis ſummum, quod appellatur *virtus.* Haec enim eſt *robur mentis poſitum in facilitate diſtinguendi malum a bono, atque in firmo ſtudio, bonum ob convenientiam ſuam cum natura humana & voluntate ſummi Numinis efficiendi.*

Ex qua definitione colligimus: 1) virtutem non eſſe poſitam in ſola recti intelligentia, neque in actionibus bono, ut ajunt, animo, ſed adverſus naturae ordinem, ſuſceptis, neque in ſubito recte faciendi impetu, ac brevi quadam obſtinatione animi, ſed in conſtanti & perpetua alacritate recte judicandi & agendi.

Perſpicuum eſt, 2) eorum doctrinam longe a vero abeſſe, qui virtutem ponunt in conformatione actionum ad eas regulas, quas quaelibet ſocietas de actionibus aut laude cohoneſtandis, aut vituperatione dedecorandis (de rebus honeſtis & turpibus) conſtituit. Nihil hac virtutis interpretatione vulgatius, nihil nocentius. Diſcrimen enim boni & mali non opinione hominum fluxa & mutabili, (§. 44.) nec quacunque utilitatis tranſitoriae ſpecie, nec *civilibus*, multo minus iis legibus, quas impotentis dominationis miniſtras & adjutrices calliditas ſuggeſſit, ſed natura conſtat, (§. 29.) quae mutari nequit. Non turpitudines, ſed opiniones de turpitudine ac de virtute, ſecundum loca & tempora diſcrepant. Virtutem natura de-

 finit,

finit. Nota igitur, qua diſcernitur a vitio, eſt immutabilis.

3) Una eſt virtus. Gradu tamen differre poteſt. (§. 211.) Gradus eſt poſitus in celeriori diſtinctione mali & boni, hujusque electione faciliori atque ardentiori, in diverſa firmitate in decretis rectis exequendis, & in majori vel minori actionum ſerie, quae non ſolum conveniunt cum regulis, ſed & *momentis optimis* animantur. Quae vulgo enumerantur virtutes, (v. c. *homileticae*, *cardinales* &c.) non ſunt, niſi unius virtutis effectus in diverſis actionum liberarum generibus, quarum regulas expoſuimus. *Cardinales* dicuntur *prudentia*, (§. 90.) *fortitudo* (§. 86.) *temperantia*. (§. 67. 68. 150) *juſtitia*. (§. 266.) Una eſt arbor, ſed multi ejus rami frugiferi.

4) Nimis vage ac perplexe naturam virtutis ponit Aristoteles in *mediocritate*, ſeu ſtatu hominis id, quod in quaque re nimium, parumve eſt, evitantis. Id medium vocat aequalem ab utraque extremitate diſtantiam; addens, uti in circulo reperire centrum, ſit difficile, praeterquam intelligenti, ſic & medium tenere in actionibus regendis, eſſe arduum.

Hac nota non explicatur notio virtutis, (quam magis in *decretis rectis*, quam *momentorum nobilitate ſemper actuoſa* ponere videtur) ſed magis ambigua efficitur. Neque enim tam declarat, quid ſit virtus, quam quid ea non ſit, nempe neutrum ex duobus vitiis oppoſitis. Ipſa extremorum oppoſitio adeo ipſum ſollicitavit, ut *juſtitiae* opponeret *jactantiam*. At inter *bonum* & *malum* non datur medium. Nimium *bonus*, v. c. *pius*, nemo eſſe poteſt. Virtus vero cum ſit vis continua dignoſcendi a malo bonum, & hoc efficiendi, num poteſt conſiſtere in medio?

§. CC.

§. CC. 5) Neque iis aſſentimur, qui negant *verae virtuti* convenire ſtudium hominis, idcirco ſecundum regulas agentis, ut *recte factorun conſcientia* exhilaretur. Natura nos ad hujus voluptatis conſequendae deſiderationem ducit. (§. 53. 54.) Praecepta vivendi oportet ad naturam accommodari, non ea exigere, quae impleri nequeunt, quia ponunt, naturam exui oportere.

6) Cum *ſapientia* ſit ſcientia quosvis fines cum ſupremo fine, h. e. *felicitate* connectendi: perſpicuum ſit, *ſine ſapientia* virtutem cogitari non poſſe.

7) Inter virtutem, (cum ſine *optimis* agendi momentis ſit nulla) (§. 197.) & *vitioſitatem*, quae eſt poſita *in promta & perpetua mentis alacritate contra naturam agendi*, interjectum eſt genus quoddam actionum & vitae medium, cui neutrum nomen convenit.

8) Uti ſunt gradus virtutis, ita & vitioſitatis.

§. CCI. Quaenam vero ſunt commoda virtutis? virtutis, quae neque triſti auſteritate animos deformet, neque mollibus laetitiis labefactet, quae & in dolorum gurgitem abrepta ſe ipſam conſoletur, & nulla fortunae inſolentia ſe efferat, quae ſtatim reſpuat quodvis nefas, quaeque non adſpernetur, ſed non toto impetu connixa captet recte factorum praemia adventitia, quae denique ſua ipſius mercede contenta, ſemper actuoſa, ſemper ſibi ſimilis, totum ita occupet animum, ut ipſum nunquam ſui poeniteat? Rectene Brutus exclamavit, rem ſibi viſam eſſe virtutem, nunc autem ſibi patere, nihil eam eſſe, niſi nomen inane?

Ratio, quae ex natura rerum argumentatur, & experientia, quae ex effectu manifeſto cauſam cognoſcere docet, in eo conſentiunt; & *pulchram*

eſſe virtutem, & a *felicitate humana non diſſociabilem*, ac recte cum JUVENALI dici:

> *Semita certe*
> *Tranquillae per virtutem patet unica vitae.*

§. CCII. *Pulchra eſt virtus.* Nam in hac ineſt harmonia variorum actuum, ex quibus vita, tanquam totum quoddam boni plenum componitur, quod ab animo contemplatoris, nec diu nec valde intento, absque defatigatione, clare, & jucunde cognoſci poteſt. Hujusmodi harmonia manifeſta, laetiſſima quemvis voluptate permulcens, efficit *notionem pulchri*, atque adeo illius pulchri, quod in virtute ineſt, quodque *morale* dicimus, ut a caeteris pulchri (phyſici, intellectualis) generibus diſtinguatur.

Ubi virtus, ibi vita ſibi ſemper conſentanea, quicquid negotiorum & difficultatum inciderit. Hanc actionum concordiam videre juvat, ac ſimul nobiliſſima contemplari agendi momenta, quorum vi illa vitae conſtantia obtinetur.

Per ſe placet *imago viri boni:* id eſt, viri Deo fidi, benevolentia erga homines ſincera calentis, ſibi nunquam, aliis facile, erratorum dantis veniam, quem non poeniteat gratis eſſe probum, cujus conſtantiam non frangat metus, non relaxet mollitudo, non dehoneſtet aviditas, non abſorbeat gloriae, honorum, aut dominationis aeſtus, qui *velut in ignibus aurum*, ſic *tempore duro* ſpectatus, didicerit, malle omnia perdere, quam animi ſui tranquillitatem & decus non tueri. Ita diſpoſiti ſunt veluti nervi animi, ut tali imagine affecti, extemplo quaſi ſonum, quem natura cupit, reddant, hoc eſt, ſenſum voluptatis, ea, quae ex *pulchro phyſi-*

co

eo percipitur, majoris, in qualibet mente attenta excitent. (§. 47.)

Ineſt in virtute praeter amabilitatem, admirabilitas quaedam, & vis ſui reverentiam injiciens contemplatoribus. Haec non naſcitur demum ex diſtincta & operoſa cogitatione utilium & egregiorum virtutis effectuum. Statim ut hujus quaſi facies menti obverſatur; ſenſus internus effigie roboris virium, quae in virtute inſunt, jucunde afficitur, ac veneratio, nullius interventu argumentationis mentem penetrat. Camillus, Roma, quam in bello demeruerat, in pace expulſus, vix audit laborare patriam, atque exul, publica quam ſua fortuna moeſtior, ardet cupiditate eam liberandi, ſpretoque quovis diſcrimine fortis, animoſus, & alacer jacentem erigit. Quam id dulce viro, qui fecit! quam venerabile ei, qui legit!

Quantam haec reverentia vim in animis habeat: *inimicorum* angor demonſtrat, quos aeque, ac ſpectatores aequos, recte factorum pulchritudo ferit. Adverſarii cum ſentiunt, occulto quodam impetu ſe adigi ad eundem hominem reverendum, quem odio proſequuntur, hanc animi fluctuantis luctam diu ferre nequeunt. Hinc aut exuunt odium, aut ſi, ut hoc faciant, a ſe impetrare nequeunt, vim reverentiae erga merita commentis & ſuſpicionibus labefactare conantur. A malis propterea, vel certe ignobilibus, (§. 197.) momentis proficiſci fingunt facinora, quae eleganti ſpecie ſua faſcinent oculos. *Hiſtrioniam* vocant, quae virtus videatur, eo digniorem contemtu & odio, quo magis *inani ſplendore* fallat. (§. 293.) Ex vitae ſuae poſtſceniis judicant de aliorum hominum ſenſibus.

§. CCIII.

§. CCIII. *Virtus nunquam eſt infelix: nec quisquam, qui ea pollet, miſer.*

Nam virtus non creat *veros* dolores, (§. 9.) ſed eos avertit, lenit, tollit, &, ut cum veteri quodam loquar, eſt *perpetua voluptatis exercitatio.* Ergo non obeſt felicitati. Deinde non eſt *miſer*, niſi quem recte perpenſa ſtatus ſui mali origine & perpetuitate ſui poenitet. Verum qui pectus habet generoſo incoctum honeſto, ideoque munitius adverſus acres mali illecebras, ſuaveſque *Sirenum* cantus, illum, in quocunque ſit ſtatu poſitus, ſeu agat, ſeu non agat, ſui poenitere nequit. Tandem miſeria eſt deſperatio felicitatis. (§. 12.) Virtus ſemper alit ſpem ſtatus melioris, *etſi fractus illabatur orbis.* Itaque a virtute ſemper abeſt miſeria.

Huic aſſerto qui objiciunt, bonis male, & improbis optime eſſe ſolere; illi ſonos inanes fundunt; ipſorumque errorem (§. 182.) confutavimus. Neque enim cogitant, poſſe hominem in doloribus quoque felicem, & in ſummis laetitiis miſerum praedicari. (§. 21. 89.) *Epictetus* tametſi erat pauper, corpore mancus, ſervus, tamen ſecundum praeceptum ſuum *ſuſtinendo* res adverſas, & ſapienter *abſtinendo* a rebus praeter fas jucundis, majores habuit laetandi cauſas, quam *Xerxes*, cum hic praemium proponeret, ſi quis novum voluptatis genus ſibi adhuc ignotum reperiret.

Cum fortuna, ludum inſolentem ludere pertinax, conſiliis viri boni (§. 202.) deeſt, dolet ille, ſed explicata fronte dolet. *Proſperitatis* enim, in *bonorum externorum* poſſeſſione & amplificatione poſitae, (§. 21.) defectum ſupplet ac ſuperat mentis, priſtina recordantis gaudia, ac futura ſperantis, tranquillitas, & conſtans, isque admodum

dum dulcis, *roboris ſui interni* ſenſus.

Alia eſt vitioſorum conditio. In horum vita diſſona ſunt omnia. Carent liquidis voluptatibus, quas vera vitae conſtantia in mentem diffundit. Non fruuntur bonis ſuis, ipſisque tam deſunt, quae habent, quam quae non habent. Malis, quae ſibi conſciverunt, cognitis poenitet ipſos ſui, ſed non reſipiſcunt, nec fiunt tam ſani, quam ſe futuros profitentur, quamdiu ſunt ſolliciti. Vitiis ſe implicant, ut vitia ſua celent. Remediis mali praeſentis repertis redeunt ad ingenium. Recte *Juvenalis*: *Nemo malus felix.*

Ut fortuna velit, ſine virtute nemo ante obitum beatus.

§. CCIV. *Si pulchra* (§. 202.) *& felix* (§. 203.) eſt virtus; merito inquiritur, quae remedia ipſam aſſequendi experientia & ratio ſuppeditent. Tribus partibus abſolvitur virtutis notio: (§. 199.) a) judiciis ſanis de bono maloque, b) momentis nobilibus, (§. 297.) c) promto horum momentorum uſu in iis lubenter eligendis & exequendis, quae naturae conveniunt.

Tradidimus notas, quibus judicia ſana & corrupta de bono maloque dignoſcantur. Vidimus quoque cauſas illius inertiae & languoris, qui veram & diſtinctam boni cognitionem ſaepe comitatur. (§. 78.) Reſtat, ut inveſtigemus, quonam modo *facilitatem conſtantem* aſſequamur, recte de bono maloque *judicandi*, & bonum cognitum lubenter ac firme *amplectendi.*

Vetus controverſia eſt, virtus utrum doceri poſſit? Quamvis ea non in ſola recti intelligentia, ſed praecipue in actione conſiſtat: tamen regulae & quaedam quaſi encheireſes tradi poſſunt, quibus opus

opus habet, qui huic mentis robori conſequendo, conſervando, & augendo dat operam.

§. CCV. Virtus eſt habitus animi bonus acquiſitus. Omnis promtitudo ſive corporis, ſive animi, continua *exercitatione* naturaliter comparatur. Quod raro fit, aegre ſuſcipitur, & difficulter peragitur. Opus itaque eſt exercitatione aſſidua, ut duplici alacritate potiamur, altera, bonum *dignoſcendi*, altera, *idem appetendi & efficiendi.*

Quod ad *primam* attinet, nunquam celeritas verum bonum a falſo diſtinguendi acquiri poteſt: niſi ea, quae corrumpunt hujus judicii ſanitatem, avertantur, vel, quae corruperunt, tollantur. Ad haec inprimis pertinet perverſitas *educationis*, ſive *privatae* ſive *publicae.*

Vidimus, (§. 35.) quantopere praejudicatae opiniones *gentilitiae*, & *toti cuidam nationi communes*, vel educatoribus *propriae*, eam boni cognitionem, quam ſuggerunt ſenſus moralis & inſtinctus, inflectere ſoleant ad falſas & noxias vitae regulas axiomatum inſtar aſſumendas. Agnoſcimus itaque vim permagnam educationis & *coecae fidei* in ea aetate, quae duce eget. Quis negaverit, hoc modo effici, ut v. c. ſuperſtitio domeſtica, vel contemtus odiumque ſacrorum, ab iis, quibus adſueſcunt tenelli, diverſorum, absque ulla eorum cognitione, nedum dijudicatione diligenti, in animos cereos inſinuetur? Quem latet, eundem eſſe fontem moris corruptiſſimi, ut *puteris ſapiens*, *coelum vituperandi*, id eſt, famam acutioris ingenii captandi ex religionis verae irriſione? Odium gentis in gentem, malae & bonae affectiones ad *plura ejusdem familiae genera* propagatae, (v. c. apud Romanos familiarum *Appiae* & *Valeriae*) ſuperbia nationis, conte-

temtus laudabilium vitae inſtitutorum, quibus nullum in ſocietate, in qua vivis, pretium ſtatuitur, & ſimilia errata publica, unde niſi a vitioſa educatione?

Neque vero iis aſſentimur, qui nimium tribuunt educationi, utque refellant viros, qui *corpori*, proinde *aëri*, *alimentis*, *ſanguini* morum differentiam adſcribunt, eosdem eſſe homines omnes, & ſola vi *educationis* variari contendunt. Ingenio enim naturali & nativa indole (§. 79.) homines quique differunt. At vis educationis, ingenito inſtinctu *obſervandi & imitandi* (§ 35.) nitens, proportionem propenſionum quodammodo mutare, & alias aliis oppoſitis temperare poteſt, vel ex propenſione haud dominante efficere dominantem. A praeceptis, exemplis, crebra incitatione, exorta ſentiendi & agendi conſuetudo paulatim radices agit.

Enimvero conſuetudo vicem rationis in puerulis tenet, & rationi ipſi, deinceps in aetate confirmata veritatem quaerenti, nullam fere vim, nullum imperium, relinquit. Ut motus corporis, qui ex voluntario factus eſt automaticus, difficulter mutatur: ita & anima eo tempore, quo primum regulas judicandi & agendi cognoſcere, colligere, & ſibi familiares reddere coepit, ſemel corrupta, errores infixos, & inveteratas cupiditates, ex fundo quaſi ſuo aegre extirpat. Mutationes animorum repentinae raro ſunt diuturnae, niſi conſpectus aut perpeſſio mali magni, paene intolerandi, vix aut nunquam reparabilis, horrorem fontis, a quo illud manavit, menti incuſſerit.

§. CCVI. Si ad depravanda ingenia magna vis eſt *educationis:* (§. 205.) quidni ad eadem recte formanda? Nam qui malunt experiri, quid natura poſſit, quam periculum incurrere, ne praejudicatae opi-

opiniones pravaeque propenſiones per diſciplinam in pectus demittantur: illi vel felicem vitam ponunt in genere vivendi animali, vel certe remedium facto naturae contrarium praecipiunt. Haec idcirco parentibus impreſſit amorem erga liberos, ut hi ab illis diſcerent ſapere & fari. Alienum eſſe a naturae conſilio, homines inter feras educari, patet ex eo, quod id genus abjecta proles uſu rationis caret. Sed dum mater, inſtinctu naturae incitata, alit ſobolem ſuam, & eam fari docet, vel idem facit nutrix; nonne verbis, vultu, factis in tenellam mentem boni malique principia inſinuant? (§. 35.) Quamobrem huc redit quaeſtio, num praeſtet viam monſtrare adhuc caligantibus, an pati, ut per errores diſcant bene ratiocinari, & regere inſtinctus doceantur ſuis ipſorum periculis & incommodis?

Praeſtat, ut puto, habere ducem in tenebris. Hunc vero ducem non in ſolo animo, ſed & in *corpore* curam adhibere oportet.

Alimenta, aër, motus ac quietis ratio, conſuetudo, mutant ſtatum corporis, & tempore efficiunt perpetuum: corporis conditio mutat ſtatum mentis, ac multum valet ad formationem ſtabilem ingenii & indolis. Ab illis cauſis contracta e. c. corporis pigritia diſponit mentem ad fugam laboris, & cunctationem in capiendis aut efficiendis conſiliis. Anxietas inveterata paulatim generat timiditatem, diffidentiam adverſus alios, & ſuſpicacem animum. Praevalens humorum acrimonia ſenſim progignit amarulentiam animi. Magna nervorum infirmitas efficit vitia phantaſiae ac memoriae, proinde depravat judicia, quae ab utriusque facultatis ſanitate pendent. Taceo intemperantiam libidinis, multasque animorum perturbationes, a corporis conditione prognatas, quibus ſi non avertendis, certe minuendis tempeſtiva edu-

ca-

catoris providentia remedium adhibere potuiſſet. In exemplum propono *nimis mollem educationem phyſicam*, quae non ſolum vitiat corpus, atque ejus vigorem labefactat, ſed & mentem adſuefacit illis vitae praeceptis rejiciendis, quibus absque labore, moleſtia, diuturna doloris patientia, obtemperari nequit, quaeque vigorem ad audendum, conſtantiam in labore & perferendis acerbitatibus, fortitudinem in periculis deſpiciendis exigunt. Animus mollitia imbutus videt pretia nobilis audaciae ac laboris impigri, ſed reluctantem nervorum corporis ſui debilitatem perſentiſcens, aut nunquam, aut admodum difficulter & languide ea, quae fieri oportet, invitus aggreditur.

Ex quo apparet, quemadmodum v. c. *diſciplina domeſtica maſcula* debeat praeparare animos ad *militarem*. Minos & Lycurgus ad fortitudinem, patriae cauſa quaevis diſcrimina ſpernentem, cives conformaturi, a robore corporis curando fecerunt initium. Laboribus maresque feminasque erudiverunt; illos praeſertim *venando*, *currendo*, *eſuriendo*, *ſitiendo*, *algendo*, *aeſtuando*

Verum maſcula educatio differt ab ea, quae rigorem inducit animo, & teneritatem cordis aufert. Ab hoc certe vitio ſibi non caverunt *Spartiatae*, cum, ut refert Cicero, *pueros ad aram ſic verberarent, ut multus e viſceribus ſanguis exiret, nonnunquam etiam ad necem, quorum non modo nemo exclamaret unquam, ſed ne ingemiſceret quidem.*

§. CCVII. Eodem, quo cura in corpore adhibetur, tempore haud negligendus eſt animus. Praeter diligentem *ingenii* cultum, formanda eſt *indoles*, impreſſis puerulo ſenſibus rectis & nobilibus.

Quamvis *ingenium* eruditum non neceſſario efficiat

ciat mentem boni malique intelligentem; cum in hoc diſcernendo coecutire, aliarum vero rerum ſcientiam habere poſſis: (§. 74.) tamen ipſa veri indagandi & perſpiciendi adſuefactio poteſt avertere multos eosque perniciofos vitae errores, quibus mentes plane rudes facilius implicantur. Ita, ut hoc utar, ſuperſtitione & ſervili avitarum opinionum cultu profligato obſtruitur fons haud exiguus inhumanitatis.

Quocirca in *formandis ingeniis* ad perſpicientiam veri, & rerum utilium cognitionem, educatores, inſtar bonorum medicorum, meminiſſe oportet, miniſtros naturae ſe eſſe, non dominos, & in eo eniti debere, ut adjuvent naturam, ejusque aberrationibus tempeſtive occurrant, aut cito medeantur. Ordinatim illa ac juſto tempore procedit in perficiendis aliis poſt alias intelligendi viribus, eſtque inter has ſingulas quaedam *proportio* (quidam *quaſi commenſus*) *in ſingulis hominibus*, quam ſi ars negligat, vitiatur ingenium. Nimia v. c. cura puerulos ante diem veritatum abſtruſarum cognitione imbuendi nocet, cum mentem adhuc teneram ab ea, *quae ſenſibus acquiritur*, cognitione abducit. *Memoria* nimis onerata vocibus rerumque minutularum farragine extinguit igniculos judicii ac prudentiae &c.

Formator indolis ante omnia viderit, ut fontes *falſorum praeceptorum* de bono & malo obſtruat; deinde ut mentem praeceptis veris inſtructam ad faciliorem boni malique dijudicationem *in re praeſenti* faciendam diſponat. Tres cauſas errorum *moralium* qui ſemel mentibus tenellis infixi ſaepe plus valent arte medica, ſupra (§. 34. ſeqq.) indicavimus. Prima quippe aetas falſis vel obſervationibus, vel concluſionibus, vel coeca fide in errores noxios inducitur. Vidimus, (§. 35.) quantum v. c. valeat in

ani-

animis hominum *prima idearum conſociatio.* Haec vis ſi tanta eſt in erroribus ſuſcipiendis; quidni eam adhibuerit educator in veris judiciis in eorum, quos curat, animos inſinuandis? In republica *Romana* aures infantum infinita libertatis aeſtimatione perpetuo circumſonabant: notio civis *Romani & hominis, qui regnaret, ſed non regnaretur*, notio libertatis amiſſae & mortis, eodem tempore mentes illapſae altas radices agebant. Hinc illa quaſi ingenita fortitudo militis Romani, cui mors non videretur cadere in praelio; ſed *capi & ſervire.*

Magna pars errorum puerilium de bono & malo oritur ab exemplis. Quod ne fiat, removendi ſunt a pravis conſortiis, tanquam *officina vitiorum.* Sique hoc effici non poſſit, certe praemuniantur neceſſe eſt, ut inter corruptos ſapere auſint. Praemuniuntur autem, cum vel a) docentur, boni naturam & magnitudinem non aeſtimare *ex judiciis alienis, ex commodis externis, ex lucro, ex praemiorum ſpe, aut eorum, quae acceperunt, pondere;* vel b) cum ad intelligentiam notarum, quibus bonum a malo diſcernitur, ipſis illis notis in conſpectu poſitis manuducuntur.

a) Si e. c. ſpe quaeſtus pecuniarii ad recte faciendum perpetuo incitari ſoleant mentes inſtar cerae flexibiles: quid facilius, quam ipſas adſuefieri huic praecepto generali; id nunquam eſſe faciendum, ex quo nihil emolumenti ſperes?

Ut vero b) bonum & malum ſuis oculis dignoſcere, ac regulas vitae ſibi condere adſueſcant: ingenita *obſervandi cupiditas* alenda eſt, incitanda, regenda.

§. CCVIII. Regitur ipſis ingenitum obſervandi ſtudium, dum in *re praeſenti* ac quaſi ludendo docentur, effectus actionum propriarum & alienarum atten-

dere, ex iis *ordinem naturae immutabilem*, *& huic conformes vitae regulas* conficere, *notas boni malique cognoſcere*, ac vitare *fallacias*, quae in talibus obſervationibus & concluſionibus obrepere ſolent. Has regulas altius infigent animo quisque ſuo juvenes, quod earum veritatem, quam viderunt, ſenſerunt, intellexerunt, non tam credunt aliis, quam ſibi. Idcirco *Spartae* patres ſervos ebrios liberis ſuis exhibebant: ut hi abhorrerent vitium, cujus effectus propudioſos ſuis uſurparent oculis.

Praeceptionibus autem minus explicatis aut intellectis memoriam infantum onerare, vel ratiociniis (a priori) coacervatis, magnaque cum gravitate inculcatis impuberum mentes, diuturnae attentionis raro capaces, fatigare, quanquam frequens ſit via, plerumque nocet. Infirma aetas declinat praecepta & averſatur, quorum veritatem & utilitatem aut non experitur, aut difficulter comprehendit.

Similiter poenarum terrore perpetuo rudes implere animos, hunc uſum praeſtat: ut praecepta vitae habeant pro malo intolerando, pro ſarcina gravi, quam abjiciunt, cum primum poſſunt.

Tandem vis adhibita plerumque non corrigit tenellam ſobolem, ſed aut callidiorem, aut timidam, aut ferocem efficit. Expedit vero nonnunquam, cogi eos, qui miteſcere nolunt. Doceat ipſos educatorum indignatio, revereri eos, qui ſunt ſuperiores viribus & meritis. Dediſcant magiſtrorum & bonorum condiſcipulorum contemtu moniti, diſplicere illis, quorum favore frui, eſt res plena jucunditatis. Senſus poenae parce ac tempeſtive inflictae faciat, ut mature intelligant, quanti ipſorum interſit, eos non vellicare, quibus ſatis ſit virium efficiendi, ut impune haud laceſſantur &c.

§. CCIX.

§. CCIX. Adultiores (qui cum fuerant pars domus, eſſe coeperunt pars reipublicae) ipſi, dum vivunt, in eo elaborare debent, ut *perpetua exercitatione* majorem ſibi recte de bono & malo judicandi facilitatem comparent. Idcirco neceſſe eſt, 1). ut opiniones veteres, a teneris & velut cum lacte nutricis ſuſceptas, recognoſcant, (§. 17.) falſas exuant, veras confirment, & ſic demum certas menti imprimant. Hoc modo ſe armabunt adverſus nimiam ſui vel in aliis fiduciam, quarum illa nimis acuit libertatis ſtimulum, haec eum nimis frangit. In primis *auctoritas nimia aliorum* parit manentes vitae errores, cum a multitudine judiciorum verorum, quae *fecerunt* alii, concluditur indubitata veritas judiciorum omnium, quae unquam *in poſterum* facere poſſunt.

Deinde 2) commendanda eſt diligens actorum diurnorum reputatio; (quod conſilium, ex diſciplina Pythagorae hauſtum, dederunt Stoïci). Illi adjungenda eſt majoris cujusdam eventuum epochae recognitio. Quae quidem cura huic uſui erit; ut vel errores quisque ſuos deprehenſos emendare poſſit, vel cum recte ſe judicaſſe videt, eadem ſpecie iterum oblata, bonum a malo celerius dignoſcat.

3) Judicia aliena de *ſuis* & *alienis* actionibus merito quisque curat. Seu ſana ſint, ſeu inepta, hanc utilitatem afferent, ne plus, quam par eſt, tibi in regendo vitae curſu fidere diſcas, neve diffidere nimis.

4) Fructuoſa quoque eſt eorum lectio & auditio, qui de praeceptis vitae exponunt, & in utramque partem diſputant. Qui *vivos* negligat, ſaltim mortuos adeat boni conſilii auctores.

5) Habere inſuper amicum ſincerum, a quo be-

nigne monearis, uti rara eſt fortuna, ita magnum recte judicandi adjumentum.

6) Neque is, quem juvat ſapere, negliget, inimicis, ad ſua ipſorum vitia pervidenda plerumque lippis, & ad aliena lynceis, uti magiſtris.

§. CCX. Hactenus de altera virtutis parte vidimus. (§. 205.) Altera eſt poſita in alacritate perpetua bonum cognitum efficiendi, & cum priori continetur vinculo indiſſolubili.

Quem in finem danda eſt opera, ut cauſae imbecillitatis, quae tranſitum mentis a *cognitione* ad *actionem* impedit, (§. 77.) quantum ejus fieri poteſt, vel avertantur, vel tollantur.

Cauſae ſunt variae. Principalis eſt *vis inſtinctuum*, quibus obluctari, in primo aetatis fervore difficile eſt, & poſtquam mala conſuetudo vim inſtinctus cujusdam corroboraverit, difficillimum. Obſervavimus, (§. 5.) inſtinctus regi & poſſe & oportere ratione. Quod ab hac ante annos ac debitum ingenii cultum effici nequit, id prudentis ac fidi cura ſuppleat magiſtri. Sed qua hic arte, quo ordine, rem aggredietur?

Viam monſtravit natura: id quod exemplis utcunque declarabimus. Inſtinctu *efficacitatis* (§. 62.) abutuntur impuberes, ut jucunda varietate occupationum ſe oblectent: ſed uti eam, qua ſe fatigari ſentiunt contentionem animi fugiunt, ita & ſtati laboris, qui corpore peragitur, (§. 62.), continuationem. Quamobrem primum admoveantur brevi neque injucundo labori, mox, exſtimulato *inſtinctu honoris*, adſuefiant longiori & moleſto. Conſuetudo laborandi progignit laboris dulcedinem, qua in mores perducta fit, ut laboris privatio idem, quod in voluptariis oblectationum intervalla aut ceſſatio, creet faſtidium ſui.

In

Incaleſcens inſtinctu libertatis (§. 142.) animus in eo aetatis flexu, in quo *cognitio* incipit fieri *rationalis*, & impuberes majorem virium fiduciam capiunt, facile tranſit in petulantiam contra alios dicendi, ac pervicaciam tuendi, quod ſemel ſenſerint aut dixerint, quam vulgo appellant *ſpiritum contradictionis*. Non plane ſubigendus eſt ille naturae impetus, quo haec adverſus ſervilem credulitatem aut ſubjectionem humilem homines armavit. Cui bono enim impuberes rationum intelligendarum cupidi, truci imperio aut ſeveritate *Pythagoraea*, ſemper ſilere cogantur, ac duplicem capere moleſtiam, alteram ex re, quae jubetur, alteram ex juſſu? Verum cum in ſocietatibus ſpecialibus (§. 125.) ea quoque facienda ſint imperata, quorum utilitatem ignores: adſuefaciendi ſunt pueri, non tam vi & poenis, quam vel ratiociniis vel contemtu, cujus propter ingenitum honoris ſtudium ſunt impatientes, pariter ac conſtantia in iis, quae decreta ſunt, tuendis; ut ſuperiores imperio vel auctoritate revereri, & ſilere potius ac parere, quam diſputando rixari diſcant.

A nimia vi ſtimuli libertatis ducitur quoque impetus effrenis illis ſuccenſendi ac reſiſtendi, qui impediunt, quo minus id, quod impatienter volunt, impuberes aſſequantur. Hinc multa ei aetati jucunda, ardenter expetita, etiam non noxia, anhelantibus vel rogantibus neganda ſunt, ut mature adſueſcant non intoleranter ferre, conſiliorum ſuorum exitus caſu aut adverſante aliorum voluntate impediri.

Hac ſimilique diligentia adhibita educatores debent obſtare morborum initiis, quorum cauſas ſect. 3, 4, 5. aperuimus, &, ut rem quodammodo illuſtrem, videre, ne joci in dicacitatem, corporum

certationes in petulantiam, petulantia in malignitatem, aemulatio in livorem, defenſio in vindictam lentam in primis & occultam, ac crudelitatem, voluptatum cura in ſocordiam, pigritiam, aut intemperantiam libidinis, reverentia erga ſuperiores in metum, metus in verſutiam eos fallendi, transmutentur.

Adſuefaciendi praecipue ſunt impuberes *momentis nobilibus.* Hinc bonis exemplis propoſitis incitanda eſt ipſorum ad *imitandum* proclivitas, ut benevolentiae ſincerae, ſine alia ſpe emolumenti, experimenta crebro faciant; dumque ea faciunt, rogandi ſunt, ut quid ſentiant, obſervent ac profiteantur. Sic quam ſuave ſit *benefacere*, non praeceptoribus, ſed ſenſui ſuo credere incipient. Si tanta eſt vis illius dulcedinis, quam male agendi conſuetudo parit, ut hanc a teneris ſuſceptam aegre repudient ſenes: longe conſtantior erit vis illius jucunditatis, quam *boni propter ſe & propter Dei voluntatem expetendi* exercitatio parit. Quamobrem ante omnia mentes tenellae imbuendae ſunt, *non metu ſervili*, ſed *amore Numinis*, ſeu, ut ait *Tacitus*, ejus *ſecreti, quod ſola reverentia videmus.*

§. CCXI. Adultiores ut *recte agendi* facultatem conſequantur, vel non amittant; neceſſe eſt, ſtudeant *cognitioni ſui ipſius*, inprimis indolis nativae, (§. 79.) & propenſionis, ſi qua laborent, dominantis, quae momentum palmarium plerisque actionibus praebet.

Multa & diuturna eſt capienda *exercitatio* ad talem propenſionem ſubigendam, hoc eſt, ad difficultatem ſuperandam, id eligendi, quod quoniam propenſioni dominanti aut indoli nativae repugnat, acerbitate ſua mentis inclinationem remoratur. Sola

la vis argumentationum non ſufficit. (§. 78.) Adſuefacienda eſt mens, ut cum cognitione boni diſtincta *& rationali* conjungat vim *inſtinctuum naturalium*, (§. 52.) & cognitionem, quam vocant, *ſenſitivam*, eo effectu, ut *videre* verum bonum, & eo *moveri*, intervallo, quam fieri poteſt, breviſſimo diſtent.

Quocirca adſueſcat animus, *guſtare* ſuavitatem, quae non ſolum ex ſingulis actibus, naturae, atque adeo *voluntati divinae*, conſentaneis, ſed & in primis eam, quae ex *rythmo vitae* naſcitur. Ita fiet *meditatione & actiones*, hoc eſt vigore *momentorum meliorum* (§. 197.) indies inſtaurato & excitato; ut, eodem bonorum genere rurſus propoſito, voluntas prono ad id amplectendum impetu feratur, ac pugna animi, videntis meliora & deſiderantis contraria, evitetur.

Ex *majori aut minori momentorum nobiliorum vigore* cognoſci poteſt ratio *diverſi diverſorum in virtute progreſſus*. Valet hic, quod de cauſa, cur idem labor imperatori ſit levis, qui militi gravis, dixit Xenophon: *ipſe honos laborem leviorem facit imperatorium.*

§. CCXII. Praeter has exercitationes ſunt aliae, quas, a veteribus quibusdam commendatas, praeterimus, quia vel ſuperſtitionem redolent, vel haud magnum momentum ad progreſſum in virtute habere videntur.

Ea vero, quae expoſuimus, virtutis acquirendae adjumenta, non excludit, ſed confirmat, iisque optima ſuperaddit ea revelata religio, quae interiores animorum receſſus perſcrutans, vulnera infligit conſcientiae, & ſanat. (§. 182.)

PARS II.

NOTIONEM LEGUM NATURALIUM, ET MODUM, EAS AD FACTA APPLICANDI, EXPONIT.

SECTIO I.

Obligationis & legum naturalium definitio, origo, perfectio, diviſiones.

§. CCXIII. Ea eſt natura intelligentiae humanae, ut a ſingularibus ideis ad colligendas ex iis univerſales, & ab harum cognitione ad diſtincte perſpiciendam veritatum, aliarum ex aliis nexarum, ſeriem, gradatim adſcendat. Nos quidem in explicando vitae felicis curſu hactenus eundem tenere ordinem ſtuduimus, quem natura, magiſtra optima, ſervat in modo, quo & acquirunt homines cognitionem regularum bene vivendi, & quo felicitatis amplioris procedente aetate gradatim fiunt participes. His, ut ſperamus, in aprico poſitis; partim ſeries concluſionum, quae ſuperſunt, quasque, ut ajunt, *a priori*, id eſt, ex ipſa definitionum ac principiorum natura, demonſtrari oportet, lucidiorem habebit explicatum: partim *re intellecta*, facilius *verba* declarari poterunt, quibus utuntur philoſophi, ut preſſius loquantur.

Adde, nunc facilius nos ſcrutari poſſe *notionum* ab-

abſtractarum de rebus *moralibus* originem, confuſas vocabulorum artis interpretationes explanare, & quemadmodum *variae diviſiones*, quas invenerunt docti homines, ex fonte naturae ſint hauſtae, exponere, poſtquam quid ſit bene & feliciter vivere, argumentis ab experientia ductis, in luce collocavimus. Initium ejus rei faciemus ab indicanda earum *notionum* & *diviſionum* origine, quae in doctrina de *arte vivendi* ac de *jure generis humani* primum locum habere ſolent.

§. CCXIV. Una ad felicitatem patet via, in qua monſtranda hactenus verſati ſumus. Eam mutare, ſuperat vires hominis, ſed deſerere, eſt in ejus libertate poſitum. (§. 22.) Seu eam teneat, ſeu ab ea deflectat; effectus, utrumque hoc vitae genus conſequentes, boni aut mali, ſunt divinitus ordinati, ab utroque vitae genere naturaliter haud ſeparabiles, adeoque *neceſſarii*. Haec *neceſſitas* ortus effectuum bonorum aut malorum ex actionibus liberis, dici poteſt *phyſica*.

Effectus etiam adventitii (*contingentes*) (§. 39.) eatenus poſſent appellari *neceſſarii*, quatenus concurrentibus cum actione aliqua cauſis externis ſemper conſequuntur. V. c. Laus actionis regulis conſentaneae non eſt hujus effectus *neceſſarius*, quia fieri poteſt, ut ignoretur actio, vel non attendatur, vel male explicetur a malignis contemplatoribus: ſed poſita conſideratione attenta facti laudabilis, aeque neceſſe eſt, contemplatori probo id factum approbari, ac neceſſarium eſt gaudium ejus, qui ſeſe recte feciſſe ſibi eſt conſcius. (§. 41.)

Vocatur neceſſitas *moralis*, quatenus conſideratur *tanquam originem ſuam ducens ex actionibus liberis* ſeu *moralibus*. Has enim aut ſuſcipere aut omit-

mittere, integrum homini eſt: ſed ſi ſuſceptae aut omiſſae ſint, certos effectus ſequi, phyſice neceſſarium eſt.

Ex his perſpicuum fit; neceſſitatem moralem ſemper eſſe *conditionatam* hoc ſenſu, ut ſi *felicitati convenienter* agere, ac dolorem *ex poenitentia* naſcentem vitare velis, neceſſaria ſit *haec*, & non alia actionum *rectio*, quia propter nexum naturalem actionis cujusque, tanquam cauſae cum ſuo effectu, *poſſibile non eſt*, ut metam attingas per *rectionem contrariam*.

Eſt itaque *homini moraliter neceſſarium* id, cujus *contrario electo poſſibile non eſt*, *oriri effectum* (ſive mutationem ſtatus) *felicitati hominis convenientem*. Eſt *unicum* veluti *poſſibile* inter duo propoſita, quod *ſalva felicitate* eligi poteſt.

Ipſa definitio *neceſſitatis moralis* docet, eam duntaxat pertinere *ad entia intelligentia*, & horum *mores*; nec tollere libertatem electionis inter duo oppoſita; porro eam oriri vel ex penuria virium efficiendi, ut electo contrario aeque ſis felix, vel ex ejusdem contrarii pugna cum natura entis intelligentis; tandem eam diſtingui a neceſſitate agendi phyſica libertatem (§. 50.) excludente.

Inſuper manifeſtum eſt, in quo inſit ſapientia, in eo ſemper ineſſe neceſſitatem moralem, ac vice converſa hanc non poſſe cogitari niſi de ea natura intelligente, quae ſit capax ſapientiae.

§. CCXV. Neceſſitas moralis, quam, qui agit, cognoſcere poteſt, dicitur *obligatio*. Actio libera quatenus conſideratur tanquam ea, ad quam ſuſcipiendam aut omittendam homo obligatur, nomine *officii* appellatur. *Verum officium* eſt *id*, *cujus effectus neceſſarius eſt adeptio veri boni*. Quod parit *bonum*

num opinatum eſt *falſum.* Actio officio oppoſita dicitur *vitioſa* (*peccatum.*)

Notio obligationis ex tribus conſtat partibus: 1) ponit, hominem, qui obligari dicitur, eligere, ſive inter duos ſtatus futuros alterum alteri praeferre poſſe. 2) Ponit nexum inter actionem liberam ac felicitatem ejus, qui illam ſuſcipit aut omittit. Exigit 3) ut hoc vinculum is, qui in eo eſt, ut agat, cognoſcere, & hac viva cognitione ad id eligendum moveri poſſit, quod inter propoſita unicum ipſi convenit.

Ex qua definitione apparet, a) omnem motum animi *moraliter neceſſarium* convenire *rationi*: huic enim congruere dicitur, quicquid ejus ope intelligi poteſt eſſe verum & bonum.

Ex definitione data perſpicuum fit b), *magnitudinem obligationis* eſſe aeſtimandam ex *gradu bonorum*, quorum complexu *neceſſitas moralis* efficitur, & ex *gradu virium perſpiciendi* nexum inter ſuſceptionem actionis propoſitae & eorundem bonorum adeptionem.

§. CCXVI. Neque vitioſa ob eam cauſam videri debet haec definitio, quod non faciat mentionem *legislatoris.*

Legislator dicitur conſtitutor regularum (praeceptorum agendi) obedientibus utilium & his absque laeſione praeſcriptarum. *Conſtituere* agendi regulas ſignificat, poſſe & velle efficere, ut bona quaedam & mala regularum conſtitutarum obſervationem aut violationem conſequantur. Differt tum a *domino* jubente, qui in ſuum commodum dat praeſcripta, tum ab eo, qui per vim & injuriam vel praecepta ſibi jucunda, obedientibus vero noxia, vel & his ſalutaria invitis obtrudit.

Uti

Uti theorematum Geometricorum veritas intelligi poteſt, licet ad auctorem omnis veri haud aſcendat demonſtratio: ita & perſuaſum habere poſſumus, nos obligari, licet eum, per quem factum eſt, ut obligemur, ignoremus aut non cogitemus.

Definimus obligationem *exiſtentem*, non autem *modum*, quo *exiſtât*. Tradimus notas, quibus *ſtatus hominis, cum obligatur*, ab *eo ſtatu, cum non obligatur*, dignoſci poſſit. Undecunque haec proficiſcatur utilium vel noxiorum effectuum cum actione colligatio: ſufficit, toties exiſtere obligationem, quoties ille nexus exiſtit, &, antequam agas, praevideri poteſt.

Id quidem ſufficere, nos docet ſenſus internus. Omnis *actionis liberae praeteritae*, quam cum inſtinctu primario ad felicitatem pugnare intuemur, nos *neceſſario poenitet.* (§. 41.) Haec poenitentia, opprobrii, quo nos ipſi punimus, plena, *ſenſum* demonſtrat innatum *obligationis.* (§. 47.)

Neque eſt, quod objicias, ideam obligationis eſſe nullam ſine *idea obedientiae.*

Obedientia eſt accommodatio actionum ad leges ob metum, fiduciam, aut venerationem erga earum latorem aut vindicem. Non dicimus, eum parere legi, qui vinculis conſtrictus hanc violare non poſſet, etiamſi vellet. Igitur cur obediendum eſt? 1) Ne a vindice legis puniamur? Metus poenae naſcitur ex ſtudio felicitatis ingenito. 2) Ne careamus bonis, quae abſque legis obſervatione capi nequeunt? Spes probabilis cujusque boni ſub ſtudio felicitatis continetur. 3) Ut, quantopere legislatorem veneremur, factis demonſtremus? Veneratio ſemper eſt conjuncta cum fuga ſenſus moleſti neceſſario profluentis ex indignatione ejus, quem reveremur. Sic momenta, quibus obediens efficitur animus, omnia,

ſive

ſive ab amore, ſive a metu, orta expendas: *extremo* redeunt ad inſtinctum primarium (*eſſentialem*) felicitatis. (§. 12.) Obedimus Deo, dum huic inſtinctui convenienter agimus. (§. 183.)

§. CCXVII. Poſita obligatione, ponuntur regulae morales, (§. 24.) ſeu enuntiata, quae indicant nexum actionis cum felicitate. Poſitis regulis moralibus actionum humanarum, quas homines cognoſcere poſſunt, ponitur *obligatio* (§. 215.)

Uti *lex* latius dicta ſignificat comprehenſionem regularum, ſine quibus genus aliquod effectuum produci nequit: ita complexus *regularum moralium ſimilium* (h. e. *cognatarum*, ſeu ad idem actionum liberarum genus regendum pertinentium) dicitur *lex moralis*. (Quales v. c. ſunt (§. 158.) traditae.) Leges morales, quas ratio ex naturae humanae contemplatione colligere poteſt, appellantur *leges morales naturales*.

Recte itaque ſe habent hae duae concluſiones: una, actionem felicitati agentis eſſe conſentaneam, vel ex naturae humanae contemplatione, (*a priori*) vel experientia (*a poſteriori*) conſtat, ergo illa actio legi naturali eſt conformis: altera, quoties actio quaedam dicitur legi naturae conſentanea, toties probari debet, ipſam cum felicitate humana eſſe connexam, & hanc convenientiam ab agente intelligi poſſe.

Diximus, actionem totam conſiderari debere, ut bona dici poſſit. Quocirca inquirendum eſt a) in *momenta*, ex *quibus decretum agendi efficitur*, b) *decretum ipſum*, c) hujus *executionem* (§. 2.) In *decreto* examinanda veniunt & *finis*, ad quem tendit actio, & *remedia*, quibus is, qui decrevit agere, utitur, num ſint *per ſe bona*, hoc eſt ea, quae non

non ſolum fini aſſequendo *ſufficiant*, ſed & quae per ſe abſque cogitatione propoſiti, cui adhibentur, conſiderata cum lege N. conſentiant.

Quicquid ſpectatur tanquam accurate conveniens cum regulis moralibus, vulgo *rectum* dicitur: idem & appellatur *bonum*, quatenus conſideratur tanquam cauſa efficiens verarum voluptatum.

§. CCXVIII. *Leges naturales ſunt Divinae.* Nam uti ſingulae regulae morales, quas ratio ex natura humana colligit, a Deo oriuntur, ita & earum complexus, qui appellatur lex naturae. (§. 24.) Deus itaque eſt *legislator*, hoc eſt, ſapiens & auctor & explicator neceſſitatis eorum effectuum, quos actionum cum legibus naturalibus convenientia aut pugna parit. (§. 116.)

Hae *leges* differunt a *conſiliis*. Nam praecepta vivendi non perinde indicavit ſummum Numen, atque is, qui dat conſilium, monſtrat viam, non facit. Sic diſpoſuit naturam hominis, ut boni malique effectus ex actionibus naſci debeant, quos & praevidere poſſint homines, & ex iis certas agendi regulas colligere.

Effectus boni, quos Deus cum actionibus bonis (§. 217.) conjunxit, ſunt *praemia divina*; mali ex malis actibus ſecundum diſpoſitionem divinam naſcentes, appellantur *poenae divinae*. Quilibet enim effectus naturae humanae contrarius ex actione libera legi adverſa ortus, *poena* eſt (ſignificatu latiori.) Sic mores quemque ſui ulciſcuntur. Atque nulla *execratio* eſt hac horridior, ut ille, cui male illa cupis, alia aliis peccata cumulet.

Poenae & praemia divina dicuntur naturalia, quae ex naturali rerum nexu in hominem derivantur & cognoſcuntur. Poenae & praemia appellantur *ſu-*

per-

pernaturalia, quae viribus ſupernaturalibus homini patefiunt, vel quae a Deo, naturae vires ad hominem puniendum ſpeciatim dirigente, homini infliguntur.

Nullus actus liber, regulis a Deo conſtitutis contrarius, eſt impunitus. Nullus actus iisdem conſentaneus eſt ſine praemio. Poena certiſſima & *neceſſaria* cujusvis actionis legi naturali contrariae eſt, *Deo diſplicere*, & *ſimulac in ſe quisque deſcendat*, *ſibi ipſi*.

§. CCXIX. Quaeſtio, *quo jure* Deus leges naturales dederit? ſeu quodnam ſit fundamentum *poteſtatis divinae legis ferendi*? redit ad hanc: quo jure eam, quam condidit, hominis naturam fecerit? hoc eſt, quo jure ipſi non ſimul plenam felicitatis poſſeſſionem impertiverit, ſed gradatim, frequenti multorum dolorum interventu, nec ſubmota omni poenitendi cauſa ac ſenſu?

Quaeſtio, *quo jure*? proprie mutuam hominum neceſſitudinem & aequalitatem ſpectat. Majeſtas divina (§. 184.) exigit, ut non tam quaeramus, quid nobis debeat Deus, quam quid ſibi.

Nihil Deus, niſi quod perfectionibus ſuis non repugnaret, poterat conferre hominibus; his ſalvis, quod potuit impertire, illud impertivit. In tanta entium intelligentium varietate, demenſum quibusque, ideoque & hominum generi convenientem felicitatis gradum *pro ſumma ſapientia ſua* deſignavit. Conditiones, quibus poterat homini ea felicitas concedi, vidit, easque ſyſtemati, quod in mundo fabricando ſibi propoſuit, ſapientiſſimo accommodavit. Harum conditionum complexus eſt lex naturae. Ergo *potuit* eam legem dare, tanquam effectum *ſummae* & *ſapientiae ſuae* & *bonitatis*.

Nihil per hanc legem *mali* affertur hominibus.

Neque illi obtemperari, ſui commodi cauſa poſtulat Deus, (beatiſſimus an per res creatas poteſt fieri beatior?) ſed pro ſumma *bonitate ſua* (§. 178.) fructus *obedientiae* (§. 181.) vult percipere obedientes. (§. 183.)

Si dicas, Deum dandi has leges *poteſtatem* non habuiſſe: ponas neceſſe eſt; laeſam earum conſtitutione eſſe libertatem hominis, vel eam, quam habuit, cum naſceretur, vel eam, quam acquiſivit. Neutra vero *laeſa* eſt. Igitur Deus hoc quoque ſignificatu, ut humano more loquamur, habuit poteſtatem leges naturales condendi.

Hae enim ſi violarent libertatem hominis: illa violatio eſſet poſita in ea naturae humanae & rerum univerſarum diſpoſitione, qua efficeretur, ut cupiditatibus hominum indomitis vel deeſſet proſper, vel acerbus ſuccederet effectus. Hoc poſito, admitti deberet, hominem unumquemque jure poſtulaſſe, vel ut Deus deſcriptionem totius univerſi non ſuae ipſius ſapientiae, ſed hominum arbitrio attemperaſſet, vel ut naturam hominis feciſſet plane aliam. Unde hoc jus, haec libertas hominis? unde obligatio divina ad lubitum hominis, quid ſummae bonitati conveniat, ignorantis, ſe conformandi? Et cui bono? Nonne ut idem homo, qui, leges boni ſibi deſtinati indices, & adverſus id, quod ipſi malum eſt, monitores, tolli cupiat, fieret miſerior? Fortunata impotentia hominis! non adipiſcentis felicitatem, vivendo, ut velit, ſed cum vult, ut debet. *Deo parere libertas eſt.*

Naturam divinam, & notionem obligationis (§. 215.) ac legum naturalium, (§. 217.) cognitam non habent, qui *Hobbeſium* ſecuti, poteſtatem legum dandarum divinam repetunt a *potentia ſumma, cui reſiſti non poſſit.*

§. CCXX.

§. CCXX. Leges naturales cum ſint *divinae:* (§. 218.) ſequitur, eas eſſe 1) *aeternas*, 2) *immutabiles*, quoniam in decretis divinis nec *ſucceſſio* cogitari poteſt, nec *mutatio*, 3) *bonas*, ſiquidem Deus nihil decernere poteſt, niſi quod ſummae bonitati convenit, (§. 178.) 4) *naturae humanae accommodatas*, & *attributis divinis non repugnantes:* quia in *decretis* & *operibus* ſuis Deus cum ſemet ipſo pugnare nequit. (§. 174.)

§. CXXXI. *Harmonia variorum ad bonum aliquod efficiendum conſpirantium* eſt id, *quod perfectionis nomine comprehenditur.* Proinde 5) intelligitur; leges naturales eſſe *perfectas*, hoc eſt, pleniſſime & inter ſe, & cum fine ſuo, ſcilicet felicitate hominum generi deſtinata, & cum attributis divinis, *conſentire.*

Quamobrem concludimus, 6) fieri non poſſe, ut exiſtimentur plane *arbitrariae*: (§. 176.) ſi *merum*, quod appellant, *arbitrium* ſignificet ordinationem ſine cognitione ordinis, ſine intelligentia nexus, qui intercedit inter perfectiones (conſenſum attributorum) rem quandam ordinantis, & ſcopum, quem ſibi ordinando praefixit. Poſito arbitrio mero ponitur impetus voluntatis ſine ratione. Seu hanc exiſtere neges, ſeu ignorari ſumas: neutrum eſt conſequens perfectionibus divinis, quas ſupra (§. 172. 174.) adſtruximus.

7) *Libertas divina dicitur, cum ſumma ſapientia vide & atque agit optima ſine ullis impedimentis internis aut externis.* Unde haud male colligere videmur; Deum has, quas condidit, leges naturales conſtituiſſe, quia eſt ſapientiſſimus, & alias condere non potuiſſe, tametſi ſit liberrimus.

§. CCXXII. *Leges Naturales ſunt certae.*

Ea veritas homini certa eſt, aut fieri poteſt, cui *quod eſt contrarium, eſſe non poſſibile, (repugnans) homo perſpicit, aut perſpicere valet.* Hanc perſpicientiam ſtatim excipit *lumen perſuaſionis.* Hoc mens tam celeriter perfunditur, ut *cognitio* veri, & *perſuaſio* de veritate illius cognitionis, nullo diſtent intervallo. Atque ejus lucis tanta vis eſt, ut ſi mens dubitare, vel acutius indagare velit, num ſit verum, quod cognovit verum eſſe, aciem ſuam hebeſcere ſentiat, ac ſuborta quadam quaſi vertigine poenas *continuatae indagationis* luat. Hunc mentis, in dubitatione ultra ſe progredi non poſſe ſentientis, ſtatum lucidum appellamus *ſenſum veri.*

Quam certam firmamque perſuaſioem ut homo poſſit obtinere; ſumma quaedam omnis veri principia ac ſtamina in intimis quaſi fibris animi ſunt infixa. His efficitur, ut quamprimum mens convenientiam alicujus ideae cum his principiis, ſeu lente *per ratiocinia*, ſeu ope ſenſus interni celerius, *absque ullo*, *cujus ſibi conſcia eſſe poſſit*, *ratiocinio* intuetur, luci, quam in ſuo quaſi fundo oriri ſentit, reſiſtere nequeat, neque aſſenſum cohibere. Talia *veri moralis* ſtamina continet *ſenſus moralis.* (§. 46.)

Lex naturae eſt comprehenſio regularum naturalium felicitatis. Has eſſe (*per ſe*) *certas*, aſſeruimus. (§. 27. 28.) Singulae vero conſpirant inter ſe, & univerſae ad eundem ſcopum, nempe felicitatem generis humani. Igitur & earum complexio (ſive catena) *certa* ſit oportet.

Adde, ſi lex naturae eſſet *incerta*, non poſſe non effectus illius convenientiae aut pugnae actionum humanarum cum lege eſſe incertos, & nunc hominem efficere felicem, nunc miſerum. Id quod non ſo-

ſolum pugnaret cum perfectione ſummi legislatoris, qui nihil niſi *certum* cogitare aut efficere poteſt, (§. 183.) ſed etiam *eventus divinitus ordinatos* transmutaret *in fortuitos*. Nihil vero evenit, aut evenire in mundo poteſt, quod, quantum ad Deum, dici fortuitum poſſit. (§. 175.)

Tandem ſi ſtatuas, eſſe eam legem incertam, ſumere poſſes, effectus actionum liberarum bonos malosque eſſe quidem per ſe certos, (§. 62.) ſed ab homine neque ſenſu, neque rationis viribus, tanquam certos intelligi poſſe. At vero hominibus contingit facultas, ex conſtanti obſervatione nexus inter actiones & earum effectus colligendi ſeriem regularum de modo unice poſſibili efficiendi, ut per definitam quandam actionum ſuarum rectionem ſuae quisque inſerviant felicitati. Ergo cadit in homines certa legum Naturae cognitio. (§. 40, 41. 217.)

§. CCXXIII. *Leges naturales ſunt evidentes.* Evidentiae vocabulum primum pro *gradu maximo lucis* accipitur, quem mens in ſe ipſa oriri ſentit, cum veritatem aliquam, pluriumque idearum invicem collatarum aut conjunctionem aut differentiam cognoſcit, hoc eſt, diſtinguit & ſibi indubitatam apparere ſentit. Hoc ſenſu omnis *certa cognitio* ſimul eſt *evidens*: ſummusque certitudinis gradus appellatur *evidentia mathematica.*

Deinde eadem vox intelligitur de *celeritate*, qua mens illam cognitionis lucem aſſequitur. Gradus major minorve tarditatis in hac luce aſſumenda partim a rebus proficiſci poteſt, quarum cognitioni adipiſcendae mens vacat, partim a differentia ingeniorum nativa, vel ea, quam educatio aut adſuefactio longinqua efformarunt.

Legi naturali tribuimus evidentiam hoc ſignificatu, ut regulas ea comprehenſas unusquisque, ſenſu, quem *communem* vocant, praeditus, ſive ſtatim *vi ſenſus moralis* agnoſcere, ſive, debita animi attentione adhibita, ope rationis intelligere valeat.

Lex naturae ſi hoc ſignificatu non eſſet evidens: ejus aut ignorantia vinci, aut certa cognitio acquiri poſſet a nemine, vel duntaxat a pauciſſimis, iisque acutiſſimis. Hoc poſito, aut nullum, aut fallax homini praeberet *agendi* momentum, exceptis paucis ſagacioribus, proinde vel nullam, vel ad paucos reſtrictam gigneret obligationem. (§. 214.) Ergo non foret *lex moralis*, (§. 217.) niſi minimae partis hominum.

Id vero non conſentiret cum conſilio legislatoris optimo, qui non aliquos, ſed omnes *lege naturali obligare* voluit, quia *per eam voluit proſpicere omnibus*.

Atque poſita hac tanta hujus legis obſcuritate, Deus remedio minus apto uſus fuiſſet, ad viam felicitatis his, qui eam ingredi debent, monſtrandam. Id quod affirmari, vetat notio *ſummae ſapientiae. Evidentem itaque oportet eſſe legem naturae, quia eſt divina.* (§. 188.)

§. CCXXIV. *At enim*, inquis, *non ſunt* certae *leges naturae, quoniam ab iis, qui in illarum ſtudio verſantur aut ſapere creduntur, in utramque partem diſputantur; neque ſunt* evidentes, *quoniam ignorantur a magna hominum multitudine, falſaeque pro veris aſſumuntur non a paucis, ſed a Gentibus, nec brevi tempore mentes inficiunt, ſed longinquo ſaeculorum intervallo propagantur, celebrantur, ac mordicus tenentur.*

Facto

Facto licet conceſſo, recte tamen negatur concluſio. Uti non valet argumentatio, veritatem quandam ideo non eſſe evidentem, quod non cognoſcatur ab omnibus: uti non ſequitur, non exiſtere *certas veri falſique notas*, quoniam a quibusdam, imo a multis, pernicioſe erretur: ita ex ignorantia aut falſa cognitione quarundam regularum vivendi naturalium, qua laborant aliqui aut multi, non poteſt colligi legis naturalis tam perplexa obſcuritas, ut aciem hominibus communem *certamque cognitionem* fugere dicatur.

Judicia de bono & malo, quae vi *ſenſus moralis* fiunt, patentiora, fateor, ſunt illis, quae mentem diu intentam in obſervationem nexus inter effectus bonos maloſque actionum propiores & remotiores poſtulant. Unde major difficultas recte & prompte judicandi in vita negotiorum complicatorum plena occcurrit, quam in ea, quae ad ſimplicitatem naturae propius accedit. Plures ſunt cauſae difficultatis veras a falſis regulas ſecernendi, praecipue educatio, ac mala conſuetudo, quae negligentiam ulterius inquirendi gignit & efficit, ut animus, dum ſentit malarum actionum ſuarum effectus, horum cauſas ignoret. Ad haec, ipſa hominum conſociatio, quae debebat eſſe veritatis velut per traducem propagandae remedium, ſaepe diffundit contagionem errorum; (§. 35.) quibus ſemel ſuſceptis alii ob pigritiam corrigi nolunt, alii, quia metuunt invidiam, alii, quia nefas putant de eo dubitare, quod diu ac fere omnes pro vero habuerunt.

Acumen tam eſſe obtuſum hominis natura, ut etiamſi velit, non poſſit ſalutaria accurate diſtinguere a noxiis, hiſtoria ingenii humani refellit. Quis negaverit lucidos eſſe ſolis radios, etſi clauſis oculis viſum non afficiant?

Neque eſt, cur nullam putes in *ſenſu morali* fiduciam poni poſſe, quoniam tanta ejus vis non ſemper appareat, ut errores amoveat omnes. Ignis ille lucens obſcurari poteſt falſis judiciis, quorum originem indicavimus, perinde ac quidam inſtinctus naturae, hujusque veluti ignis ardens, aliquando ſuffocatur nimis aucta vi inſtinctus oppoſiti. (§. 51.)

Vis hujus ſenſus in ipſis, quae a diſſentientibus contra illum allegantur, exemplis pellucet.

Repugnat ille v. c. quo minus malignitatis imago nobis placere poſſit, facitque, ut in contemtum, faſtidium, odium ejus vitii vi quadam occulta rapiamur. Ad refellendum hoc factum, praeter multa alia argumenta, teſtes proferuntur Barbari, quorum fuerit mos, laudare liberos, qui parentes decrepitos necarent, ſuisque comeſtos ſepelirent corporibus. Sit ita. Ideone *malignitatem* probarunt? Forte primi ejus moris auctores triſtes, & repugnante ſenſu caritatis erga illos, quibus vitam debebant, horum precibus adducti ſuſtulerunt affectos vitae taedio, atque hoc negare malignum, facere autem moeſtum, ſed pium judicarunt.

Denique difficultas leges naturales in diſciplinae formam redigendi non probat, eas ipſas eſſe tenebris obductas. Complures *eruditorum* hoc in genere controverſiae, ſi *inanes de vocabulis lites* detraxeris, magis de *methodo docendi*, *de definitionibus & regulis vitioſe conceptis*, *aut minus accurate probatis*, de *origine morborum moralium*, de *eorum veluti ſede*, deque *remediis corrigendi & praeveniendi mala*, quam de legibus ipſis ventilantur. Exemplo ſit vetus de *ſummo bono* controverſia. Rem planam, antiquorum obſcuratam diſſidiis magis complicatam red-

didit

didit *Scholaſticorum* ſubtilitas. Aperiantur variae *illius vocabuli* notiones, quo vel denotatur ens ſumme felix & bonum, vel ens, quod eſt cauſa ſummi boni hominibus deſtinati, vel ipſe ſtatus ſupremae felicitatis, finisque bonorum, ſeu ultimum illud, quo ſpectare debent univerſi hominum appetitus. His notionibus accurate evolutis lis evaneſcet.

Reliquae controverſiae *de re*, ſeu de *regulis vitae ipſis*, potius attentionis in effectibus actionum indagandis defectum, variis ex cauſis ortum, aut majorem celebritatis cujusdam ex ingenii acumine aucupandae cupiditatem, quam diligentem & religioſam naturae inveſtigationem indicant; nonnunquam & penuriam libertatis in iis, quae quisque ſentiat, enuntiandis demonſtrare videntur.

§. CCXXV. *At enim*, inquis, *poſita legum naturalium perſpicuitate, ſenſus boni, quod ex ſingulis oritur, vim ſuam exſereret in mentibus commovendis, ut iisdem legibus parerent. Verum haec vivax perſuaſio eſt admodum difficilis. Etenim, ut verbis utar* HORATII:

Cum ventum ad verum eſt, ſenſus moresque repugnant.

Confirmare haec lux veri videtur hiſtoria. Nam (*ut inquit* MANILIUS)

Unus erat Pylades, unus, qui mallet Oreſtes
Ipſe mori. Lis una fuit per foedera mortis;
Alter quod raperet fatum, non cederet alter. ——
At quanta eſt ſcelerum moles per ſecula cuncta!
Quantum onus invidiae non excuſabile terris!

Si dulce eſt, pergis, *non facere, quae lex jubet, facere*

cere autem neceſſarium; vel nimis hebes eſt ingenium hominis, quod in re tanti momenti coccutit, vel nimis tenebricoſa & elanguida lex naturae, quam velut ſibi repugnantem natura faſtidit.

Error hominis ſibi pulchre eſſe putantis, cum legem violat, & male, cum eam ſervat, vel *ſtabilis* eſt, vel momento temporis tranſit. *Stabilis* oritur partim ex praejudicatis opinionibus, ab ineunte aetate ſuſceptis, ex *brevibus ſententiis*, ac *proverbiis vitioſe conceptis*, eadem, qua axiomata, vi apud vulgus pollentibus, partim ex conſuetudine agendi. Haec enim ſupprimit facultatem obſervandi mala, quae ex violatione legis proveniunt. Hujusmodi autem error non magis probat inertiam & languorem legum naturalium, quam perſuaſio aegroti, ſibi cum morti proximus eſt, melius eſſe putantis, evincit, nulla dari ſigna manifeſta morbi deſperati & mortis inſtantis.

Error ſubitus mentem faſcinat eo momento, quo haec eligit & agit. Cauſam talis impetus perverſi proximam ſupra (§. 77.) poſuimus in *vi quaſi attrahente* voluptatis, cui mens *adſueta* eſt, vel illius voluptatis, quae *magnitudine ſua & propinquitate* adeo tenebris involvit *momenta* (ſive rationes agendi) contraria, ut mens his fixe intuendis vacare, vel plane non vel haud diu poſſit. Idem de aſſueta doloris cujusdam fuga valet. Homo v. c. deditus otio & inertiae habitum ſibi comparavit, cujusvis laboris aliquanto diuturnioris moleſtiam cane pejus & angue fugiendi. Igitur negotio oblato utcunque diffuſo aegre afficitur, idque ſtatim declinat, & ejus auctorem, tanquam otii ſui hoſtem, odit.

Inclinatio voluntatis, ex falſa voluptatis & doloris dimenſione orta, probat imbecillitatem libertatis in defigenda attentione, (§. 76.) neuti-

quam

quam id refellit, quod defendimus, lumen ac vim legum.

§. CCXXVI. Aſſeruiſſe nobis videmur ſapientiam promulgationis legum naturalium. Propter evidentiam ſuam, hoc eſt, propter vires ingenii humani certam earum intelligentiam adipiſcendi, recte *cordi hominis inſcriptae* dicuntur.

Inſtrumenta, quae Deus homini praebuit ad hanc cognitionem adipiſcendam, ſupra (Sect. 2.) recenſuimus; ſenſum moralem, inſtinctus, ſocietatem, intellectum & rationem.

Res objecta, quae voluntatem legislatoris aeterni declarat, eſt *natura hominis.*

Id, quod facit, ut hae leges exiſtant, hoc eſt, vim obligandi habeant, eſt *voluntas Dei*, per ipſam naturae humanae conſtitutionem patefacta. (§.177.) Ludit voce *legis* Hobbesius, cum legem naturae eſſe per ſe legem negat, ſed fieri contendit, ſimulac ſacro codice approbetur.

§. CCXXVII. *Nulla harum legum datur, aut dari poteſt, pugna, nullus conflictus* (*colliſio*). Nam ſi eas ſibi repugnare diceres, pugnam in divino intellectu ſumeres, quae cogitari nequit.

Collidi dicuntur *duae leges, quibus ſimul ſatisfieri nequit.* Poſito earum conflictu ſtatuendum foret, Deum vel non ſimul praevidiſſe quoscunque eventus, ut regulas iis omnibus accommodatas, proinde ſine exceptione bonas, praeſcribere potuerit, vel evidentiae promulgationis aliquid deeſſe. Neutrum dici poteſt. (§. 222, 223.) Ergo dari legum naturae *verum* conflictum, recte negatur. (§. 241.)

Qua in re hae leges differunt ab humanis. Nam qui

qui has condunt, illi ob intellectus ſui limites, non ſimul omnia, quae evenire poſſunt, intuentur. Quo fit, ut non ſemper accurate cogitantes, nec ſatis preſſe loquentes, dictis ſuis deinceps extendendis aut reſtringendis vitium legis, *quod humana parum cavit natura*, nova lege corrigere cogantur.

Sic v. c. leges: *vitam tuam tuere*, *&* *mori pro patria haud recuſa*, idcirco collidi videntur, quia non terminate enuntiantur. (§. 277.)

Quocirca ſi quis ponatur conflictus legum, quae naturales dicuntur, is non ineſt in re, ſed in cognitione eorum, qui regulas ſub legum naturalium nomine concipiunt, vel in verbis, quibus eas enuntiant.

§. CCXXVIII. Obligatio, quae ex notione legis naturalis intelligitur, *ad univerſos* pertinet *homines*. Si totum genus humanum conſpiret, ne quidem unus homo de communi omnibus obligatione eximi poſſit, hoc effectu, ut dum eas leges violet, ſit felix, dum ſervet, miſer. Naturae enim accommodatae ſunt, proinde mutari nequeunt, niſi illa mutetur, quod non eſt ſitum in rerum creatarum univerſarum, nedum generis humani poteſtate.

Neque huic aſſerto obſtat legum diviſio in *abſolutas* & *hypotheticas*. Illae regunt *ſtatum omnibus hominibus communem*, hae *quibusdam proprium*; (veluti *leges vivendi*, quas natura praeſcribit *militibus*, *civibus*, *principibus*.)

Enimvero leges *hypotheticae* 1) nunquam repugnant abſolutis; potius 2) ex his deduci poſſunt, hoc eſt, ipſarum obligatio nititur veritate legum abſolutarum; 3) ex iisdem naſcitur obligatio omnibus communis, quibus idem ſtatus, ad quem regendum pertinent, eſt communis, idemque bonum eſt

pro-

propoſitum, ad quod efficiendum tendunt.

§. CCXXIX. Leges naturae conſtituunt & indicant nexum vel *actionis* vel *omiſſionis* cujusdam cum effectu bono, hoc eſt eo, qui ad orbem felicitatis homini deſignatum pertinet. Priorem actionem *praecipere* dicuntur, *vetare* eam, quae nocet. Quamobrem in *praecipientes* & *probibentes* dividuntur. Utriusque tamen generis par eſt obligatio.

Permiſſae ſeu *licitae* dicuntur actiones aut omisſiones, cum quibus legislator *vel* nullos omnino effectus bonos malosque, vim mentis commovendae habentes, *vel* definitum quoddam boni malique genus, non conjunxit, aut ſe conjunxiſſe haud evidenter ſignificavit. Priores permitti dicuntur *plene*, poſteriores, *minus plene*. Ita non ſemper ea approbat legislator, quae tolerat, ut malum gravius evitetur. Neque impunitas efficit, ut nullum effectum malum ea habeat actio, quae a magiſtratu non vindicatur.

Si exemplum actionis daretur, cujus naturalis cum felicitate copulatio aut eſſet nulla, aut ab homine non poſſet perſpici: recte ea diceretur lege naturali *plene* permiſſa. (indifferens.)

Actionum minus plene permiſſarum complura ſunt genera. *Licitum* eſſe v. c. dicunt JCti, quod bello inter populos aut actione in foro vindicare, legibus non eſt conſentaneum; veluti cum *licere* tradunt, petenti ac merenti negari beneficium, non hoc ſibi volunt, cum tali duritie animi nulla eſſe mala conjuncta, ſed hoc indicant, ea mala, quae a *coactu humano*, ſive a vi (§. 129.) proveniunt, non poſſe citra majus ſocietatis incommodum adhiberi, ad illud inhumanitatis genus avertendum, corrigendum, tollendum.

SECTIO

SECTIO II.

Ethicae Philoſophicae definitio & perfectio.

§. CCXXX. Tanto impenſius oportet eſſe ſtudium veritatis cujusque exquirendae, & a tenebris atque erroribus liberandae; quanto perniciosior eſt ejus ignoratio. Hujusmodi eſt legum naturae, quae viam felicitatis explicant, levis, nimis anguſta, falſa, dubia, languida cognitio. Quamobrem bene de genere humano meruerunt philoſophi, qui ad aſſequendam & tradendam pleniorem & efficaciorem rei tam ſalubris & neceſſariae ſcientiam, omnes ingenii exculti vires adhibuerunt.

§. CCXXXI. Artes ac diſciplinae omnes, quae in pretio eſſe merentur, merito commendantur ab eo, quod varia bonorum genera nos doceant noſſe & efficere, quibus vitam noſtram & alienam vel liberemus moleſtia, vel jucunditatis ac ſpei bonae pleniorem reddamus. Non negligenda itaque erat ars totius vitae regendae, hoc eſt, ars tot diverſa, quae homini occurrunt, bonorum & malorum genera dignoſcendi & dimetiendi, atque animum hac boni malique diſtinctione ita formandi, ut diſcat vivere, nec metuat mori.

Hanc vivendi artem tradit ea pars philoſophiae, quae *moralis*, ſeu Ethica dicitur, quia *mores* ac vitam regere docet. Singulas illa naturae leges, & colligationem omnium, repetit a naturali, hoc eſt, aeterno, certo, & immutabili ordine felicitatis humanae: & hunc ordinem explicatura, docet ante

omnia

omnia hominem, cognoſcere ſe ipſum.

Eſt itaque *diſciplina, quae originem legum naturalium ex felicitate generis humani, earum nexum, modumque iis convenienter agendi, diſtincte explicat.*

Leges naturae praecipiunt ſtudium & *cognitionis verae* conſequendae, quid ſit dictatis naturalibus convenienter agere, & *alacritatis* (*promptitudinis*) comparandae, conſervandae, & augendae in regendis ſecundum eam cognitionem actionibus. (§. 196.) Igitur utriusque ſtudii regulae ſub *philoſophiae moralis* definitione continentur.

§. CCXXXII. Finis *Ethicae Philoſophicae* eſt, ut verum bonum a falſo facilius & accuratius dignoſcatur, ac voluntas ad illud amplectendum, & ad hoc fugiendum, celerius ac firmius inclinetur. (§. 231.)

Fructus itaque hujus diſciplinae, quo vincit vulgarem morum doctrinam, (v. c. in *ſententiis acutis*, *paradigmatibus*, *fabulis*, *haud cohaerente vel haud demonſtrata virtutis expoſitione*, conſiſtentem) poſitus eſt in pluribus & majoribus ſubſidiis ignorationi praeceptorum vitae utilium, errori in iis *ſtatuendis & applicandis*, atque in iisdem *exequendis* languori, medelam adhibendi.

Perfectio ipſius eſt *conſenſus cum ſcopo*, *ad quem collineat*, hoc eſt, *ſapienti vitae rectione*. Qui conſenſus quo eſt major: eo illa eſt perfectior. Quo plura omittit, quae ad beate vivendum faciunt, eo magis decreſcit ipſius perfectio. Haec nulla eſt, cum fini ſuo Ethica repugnat.

Patet ex dictis, perfectionem aliam hujus diſciplinae eſſe propriam, (§. 238.) aliam cum reliquis diſciplinis communem. (§. 233 - 237.) In diſciplinis omnibus eo enitendum eſt, ut veritas, foecunditas,

tas, gravitas enuntiatorum, & ſimplicitas principiorum, atque ordo in concluſionibus connectendis, adjuvent & intelligendi & intellecta retinendi facultatem. Praeter haec, proprium eſt Ethicae, ut ad voluntatem flectendam, ſeu ut vulgo dicitur, ad cor movendum praecipue ſpectet. (§. 238.)

§. CCXXXIII. De *partibus*, ex quibus conſtat hujus diſciplinae perfectio, diſtribute dicturi, *primum* animadvertimus, eos, qui hoc ſtadium decurrunt, in id incumbere debere, ut *vera* vitae praecepta tradant. Vera autem ſunt ea ſola, quae cum natura, proinde cum felicitate hominis conſentire, (§. 42.) evidenter cognoſci poteſt. Quamobrem eliminanda ſunt, non ea omnia, quae ſumma cum difficultate fieri poſſunt, ſed quae fieri omnino non poſſunt, vel quae *emtas majori dolore voluptates* gignerent, vel quae dolores ſine ulla ſpe probabili majoris oblectationis per eosdem conſequendae crearent. (§. 61.)

Falſa, ut hoc utar, docet *Ethica cum laxior, tum triſtis, auſtera, & ultra fas rigidior. Illa* tum omittit officia, quae homini in praeſens ſuavia intercipiunt, tum *commodis contenta externis* momenta nobiliora (§. 197.) recte agendi negligit.

Haec negans homini, quae concedi ſalva felicitate poſſunt, inflammat ſemper dolendi, & diminuit ac fere ad nihilum redigit gaudendi ſtudium, perinde ac ſi deſperata vitae ſuavioris uſura hoc unum eſſet relictum homini, ſe contra aſperum dolendi ſenſum ipſa doloris perpetuitate *ac duritia adſcititia* armare. Reddit itaque, ut cum illuſtri quodam Philoſopho loquar, *exiſtentiam hominis inſipidam*, facitque, ut potius vitam utcunque trahas, quam ea ſecundum voluntatem divinam fruaris.

§. CCXXXIV.

§. CCXXXIV. Praecepta vera (§. 233.) eo modo ſunt explicanda, ut *certa* eorum intelligentia imbui poſſint, qui animum intendunt. Laborandum eſt, ut haec certa perſuaſio, fundamento nitens firmo ac ſolido, *evidentiae Mathematicae* accedat.

Ob eam cauſam *ſingulae notiones* accurate figi & preſſe enuntiari debent: ac quae ſemel terminatae ſunt ſingularum vocum ſignificationes, (v. c. *laeſionis*, *offenſionis*, *damni*, *incommodi*, *juris*, *aequitatis*) eas firmiter retineri oportet.

Judiciorum veritas a probationibus certis duci debet: *argumentationum* firmitas a judiciis antea probatis. Cum exigantur *probationes indubiae*, perſpicuum eſt, non ſufficere *hypotheſes gratis ſumtas*, hoc eſt, regulas, quas neque experientia indubitata, neque ratiocinatio a veris ducta rerum notionibus & principiis, confirmant.

Nec minus planum eſt, ad probationem non ſufficere ſolam quorundam auctoritatem, qui in praeceptis vitae tradendis laudabiliter verſati ſunt, ne quidem illam, quae *conſenſu ſapientum* aut *populorum* nititur. Num enim Deus futuri hominum ſtatus ab aeterno ſcientiſſimus notitiam certam regularum vitae ſuſpenderit a commercio gentium, a relationibus peregrinatorum, a librorum multitudine, & lectionis aſſiduitate? Cum etiamnunc partes orbis ignotae aperiantur: quis certus eſſe poſſet, vera tradi officia, ſi ut ſcias, quid ſit rectum, inquirere debeas, num idem videatur *hominibus vel populis* omnibus? Allegari merentur, qui pleroſque mortales acumine ſuperarunt: non tanquam legislatores, ſed tanquam accurati obſervatores indolis humanae & teſtes eventuum, ex quorum conſtantia vivendi regulae conficiuntur. (§. 43.)

§. CCXXXV. Praeſtare autem videtur, ut in probatione horum praeceptorum incipias a *manuductione ad ſenſum internum attendendum*, & *ad effectus actionum obſervandos*, quorum fidem faciunt ſenſus externi & experientia; ac deſinas in iis, quae a veritatibus primis, illisque petuntur, quae alibi evictae pro indubitatis ſumuntur. Uti *pſychologia*, quam recentiores philoſophi vocant *empiricam*, praecedere ſolet eam, quae *rationalis* dicitur: ita perutile videtur, Ethicam *experimentalem* (ſi vocem *phyſicis* familiarem huc transferre licet) praemitti illi, quae quoniam argumentationes *a priori*, ut ajunt, contexit, *rationalis* appellari posſit. Scire hominis non eſt, ut Plato putavit, *meminiſſe*, ſed *obſervare*.

Huic ſcopo inſervit *hiſtoria*: quae tantum *Ethicae* roboris praeſtat, quantum haec illi reddit lucis & dignitatis.

Animus *obſervationibus praeparatus* facilius invenit ratiocinia, ab aliis inventa cupidius audit, certiusque intelligit, & cognitioni ſuae novum perſuaſionis gradum addi, impenſius gaudet, tandem ea, quae legit & audit, ad ſuum ipſius ſtatum applicare lubentius conatur.

Hac via inſuper effici poteſt, ut qui *primo aetatis vere* ſe huic dant diſciplinae, non prius *diſputare*, quam *intelligere*, nec *demonſtrare* citius, quem *ſentire*, incipiant, neque tam *loqui* diſcant, quam *agere*.

§. CCXXXVI. *Secundo*, uti a minutiis acutis omnino abſtinendum, ita nullum vitae regendae praeceptum *foecundum* eſt omittendum. *Foecundum concluſionum ſeu ferax*, appello illud, ex *quo diſtincte cognito mens complures concluſiones facile eruit.*

Qui

Qui v. c. officia ex religione naſcentia vel univerſa vel ex parte omittunt, quive exiguo hujus vitae curriculo felicitatem terminantes, de praeceptis alteri vitae profuturis non cogitant, aut qui praecepta praetereunt neceſſaria in vita negotioſa, & in primis ea, quae in ſocietate majori eorum, qui reliquis praeſunt, vitam regunt: illi nobiliorem Ethicae partem intactam relinquunt.

§. CCXXXVII. *Tertio*, praecepta *pauca*, hoc eſt, nulla alia, niſi ad demonſtrandas concluſiones neceſſaria, tradi oportet, & quidem *eo ordine*, ut ipſorum ſeries, ac quemadmodum alia ex aliis naſcantur, facile queat perſpici.

Paucis legibus natura maximos & plurimos effectus aſſequi ſolet. Ars naturam ſecuta nunquam aberrat. Hinc cavendum eſt, ne *polemicae* tricis potius, quam *dogmatum* perſpicientia informentur, aut partitionibus infinitis, problematibus, diſputationibus ſubtilioribus, quam utilioribus, diſtrahantur animi. Brevitas ipſa dictorum lumen auget. Cognitio rerum, quae tractantur, philoſophica quo fit uberior & lucidior: eo minora, teſte *hiſtoria litteraria*, fiunt volumina, quibus doctrinarum principia continentur.

Natura nihil hiulcum aut divulſum admittit; ſed rerum, quas produxit, omnium admirabilis eſt copulatio. Eſt & in vi, (relatione) quam habent actiones ad felicitatem agentis, ordo naturalis certus & immutabilis. (§. 40.) Ethica eſt naturae, homines ſua ipſorum commoda docentis, & ad ea diligenda invitantis, expreſſa effigies. Igitur eo melior eſt ordo doctrinarum moralium, quo propius ars in eo exponendo occupata ad *ſimplicitatem naturae* accedit. Hac enim via & erroribus facilius occurritur, &

rerum, quae docentur, cognitio clarior & efficacior acquiritur, ac de factis vel ſuis vel alienis, bonis aut malis, promtius & certius judicandi facultas comparatur.

Quanto fructu praeſtet talis Ethica, (*Syſtematica*) illis doctrinis, quae inſtar inſularum nullo ponte junctarum haud cohaerent; hiſtoriae philoſophicae utcunque peritum latet neminem. In primis ex quo illa ad *Mathematicum rigorem* inflecti coepit: & pauciores in disquiſitionem veniunt, quos vocant, *caſus conſcientiae*, & qui veniunt, cum olim viderentur inexplicabiles, facilius ſolvuntur. Infinitae enim quaeſtiones de bono & malo in vita hominum occurrunt propter infinitas differentias, quas tempora, loca, perſonae efficiunt. Quocirca artis eſt, ita connectere vitae praeceptiones, ut has intelligenti facile ſit, factum, quod proponitur, ad ſuam quodque regulam referre.

§. CCXXXVIII. *Quarto*, cum fructus Ethicae non in ſola contemplatione veri, ſed praecipue in actione ſit poſitus: (§. 152. 232.) eo modo tradenda videntur praecepta ſingula, ut effectus actionum bonos & malos quisque habeat ante oculos, atque adeo regularum utilitatem non ſolum intelligere, ſed & *ſentire* poſſit. Hic *ſenſus obligationis* (§. 216.) omnem doctrinarum veluti chorum perpetuo comitetur. Ejus enim ſenſus, in alteram quaſi naturam paulatim traducti, vi occulta & magna efficitur, ut mens robur capiat ſapientiae plenum & virtutis.

§. CCXXXIX. Concludimus ex dictis, baſin, qua Ethicae perfectio (§. 232.) nititur, eſſe convenientiam praeceptorum cum natura, ex qua conve-

venientia quid ſit verum, quidve falſum in hac diſciplina, aeſtimari debet. Recte Juvenalis,

Nunquam aliud natura, aliud ſapientia dicit.

Gradus perfectionis, quae in Ethica ineſſe poteſt, augetur, quo dilucidius, certius, preſſius, *ſingula praecepta vera*, & quo copulatius, atque ad movendam voluntatem aptius *univerſa*, enuntiantur.

Ex quo diſciplina morum e tenebris ſubtilitatis Scholaſticae in lucem revocari coepit; nihilne recentiorum diligentiae ſuperfuit, quam ut eam, qua antiqui cenſentur, perfectionem patefacerent?

Quaeſtio, ut videtur, eo redit; num in hac diſciplina libri veteres, qui ad aetatem noſtram pervenerunt, adeo occuparint omnia, & natura in conſervandis ingenii humani viribus ſucceſſu temporis adeo extiterit effoeta, ut 1) nulli errores ſuperfuerint profligandi, aut exterminati ſint? ut 2) nihil lucis accedere potuerit, aut acceſſerit in *notis* verorum officiorum *definiendis*, inque tractandis iis praecipue officiis, quibus civem non ſolum *erga civem*, ſed & erga quemvis hominem fungi oportet? ut 3) nullae *falſarum vitae regularum* refutationes, nullae *verarum* probationes, ſint repertae meliores? ut 5) in ipſa praeceptorum quaſi coagmentatione ordo naturae magis conſentaneus non potuerit reperiri, neque ſit repertus? ut 6) arctiſſima copulatio, qua timor ſummi Numinis continetur cum officiis, quae homo erga hominem ſervare debet, non patuerit evidentius, & univerſe, 7) in momentis, voluntatem ad mala fugienda, & bona vera expetenda flectentibus, verbo, in obſervatione

naturae, nihil ſit recentiori aetate cognitum, quod nobis non aperuerint, imo quod non melius perſpexerint, veteres Philoſophi?

§. CCXL. Doctrinam de officiis, ea, quam ratio contexit, ſublimiorem, Christo acceptam referimus. Haec vero non reſpuit praecepta vitae naturalia, tamquam cognitu inutilia, neque ea abjicit, tamquam factu minus neceſſaria, ſed illorum cognitionem ac ſtudium exigit, inculcat, & *majori momentorum numero ac pondere* confirmat.

Hae morum diſciplinae ſibi repugnare nequeunt, ut pote eum habentes auctorem, qui ſibi refragari nequit. Inſuper ad eandem metam collineant. Qui inter utramque diſciplinam putant pugnam intercedere: aut ignorant veras naturae leges, aut cum doctrinis Christi opiniones interpretum commiſcent.

Fuerit diu haec philoſophiae pars Theologiae Scholaſticae ancilla, & ſero in libertatem reſtituta, maneat ejusdem quandoque adverſaria. Nunquam fuit vera, aut eſſe poteſt, cum opponitur religioni. (§. 212.)

SECTIO III.

Concentus univerſorum hominis officiorum.

§. CCXLI. Summa eſt *legum naturalium*, proinde & *officiorum*, quae illis ſtatuuntur, conſenſio. Ethica ſequitur naturam. (§. 239.) Igitur in enuntiandis & connectendis vi-

vitae praeceptionibus eo enitendum, ne quis pugnae aut conflictui detur locus.

Accedit, exceptionibus ſolere regularum perſpicuitatem minui, ac diſputationibus perplexis feneſtram aperiri. Ipſae regulae, quae de ſolvendo officiorum conflictu tradi ſolent, ſaepenumero perobſcurae ſunt, & cum in rem praeſentem ventum eſt, ad factum applicatu perdifficiles.

§. CCXLII. Cui difficultati ut occurratur; operae pretium eſt, aliquod quaſi *punctum viſus fixum* requiri: ex quo quemadmodum praecepta alia cum aliis copulentur, perviderí poſſit. Ob eam cauſam in eo elaborari ſolet a plerisque hujus diſciplinae doctoribus: ut *enuntiatio* quaedam *generalis, evidens, vera, ſolo rationis, & absque ullo revelationis ſubſidio*, inveniatur, quae *fines boni & mali* regat. Talis eſt, quae notas certas ac perpetuas officii cujusque naturalis uno quaſi ſub aſpectu ponat, quibus *officia naturalia* ab iis, quae non *ſunt natura cognita*, vel *ab actibus* legi naturae adverſis, accurate diſcernantur.

Principium, in quo *fundamentum Ethicae* ponitur, (*fundamentale*) dici poteſt ejusmodi enuntiatum, *quod notam ultimam & certam officiorum naturalium continet*, ſive, quo admiſſo aut evicto, officia naturalia omnia dignoſci & probari posſunt.

§. CCXLIII. Multae & perplexae de tali enuntiato recte ſtatuendo controverſiae non evincunt, id reperiri non poſſe, aut repertum exiguae eſſe utilitatis.

Diverſae ſententiae partim oriuntur a diverſo ſignificatu, quem *appellationi legum naturalium* multi

ſubjiciunt ſcriptores Ethici, partim ab horum feſtinatione, dum id enuntiatum, quod multis officiis demonſtrandis inſervit, habent pro eo, quod ſufficiat omnibus.

Enuntiatio, cujus baſi tota legum naturalium diſciplina ſuperſtruitur, debet eſſe a) *vera*, b) *evidens*, c) *absque auctoritate revelationis divinae probari poſſe*, & d) *rationem ultimam continere, ex qua clare & certo cognoſci poſſit, num ea agendi regula, quae pro vera habetur, vera ſit, hominemque vere obſtringat, an ſecus.* (§. 242.)

Res itaque minus explicari videtur, ſi vel *voluntatem Dei*, vel *dictamen rectae rationis*, vel *ordinem naturae*, pro principio cognitionis legum naturalium afferas in medium. Nam de eo non quaeritur, *num faciendum ſit, quod Deum velle ratio nos docet*, ſed *quid ſit illud, quod Deus fieri velit? quid illud, quod ratio intelligat, homini convenire?* Nec tam quaeritur, num vita ſapientis debeat eſſe conformis *naturae ordini*, id quod inculcarunt veteres, & magno conſenſu profitentur recentiores, ſed *quis ſit naturae ordo*, cui ars vivendi ſit accommodanda? qua enuntiatione generali, brevi, foecunda, effici poſſit, ut differentia ordinis vere naturalis ab opinato, (nam & in morbis aeque animi ac corporis quendam ordinem ineſſe videri poſſet) accurate ac facile dignoſcatur.

§. CCXLIV. Multa id genus enuntiata, a quibus doctrinarum moralium demonſtrationes vulgo ducuntur, verbis magis, quam re diſſident.

Neque vero deſunt, quae quamvis non videantur differre, tamen maxime diſcrepant. Si v. c. ſtatuerunt veteres, *ſequere naturam*; & recentiores docent, *perfice te:* (quae enuntiatio aliquanto aper-

apertius rem explicare videtur, quam illa *vetuſtior: ſequere naturae ordinem*) non dixerunt idem, *licet dixiſſe videantur. Dogma* enim, *perfice te*, ſignificat: ſic dirige actiones liberas, ut cum *natura tua*, ſive cum *actionibus naturalibus*, conſentiant. In hac harmonia, quam *Parte* I. expoſuimus, ponitur *perfectio hominis moralis*.

Nihilo ſecius differunt haec enunciata. Veteres enim, ſecundum quos, *naturae ſuae convenienter vivere*, eſt *optime vivere*, ſolent *naturam divinam* ab *humana* non ſeparare, praecepta de religione vel nulla, vel minus recte ſtatuere, eventus humanos *fato* ſubjicere, & ex eo, quod immutabili naturae decreto perpetuus acerbitatum concurſus hujus vitae ſuavitates ſuperare videretur, colligere officium, obdurandi mentem adverſus grata quaeque & acerba, tandem non manendi in vita, cum primum vivere pigeat.

Ab his doctrinis longiſſime abſunt recentiores, qui ſtudium perfectionis inculcant.

§. CCXLV. Qui hoc extremum vitae praeceptum: *fruere voluptatibus*, *easque auge*: poſuerunt veteres: illi maximopere diſtant ab iis, qui nobiscum praecepta naturalia redigi poſſe ſtatuunt ad hoc ultimum, quo nos natura ducit; *ſtude felicitati.*

Qui dogma priori loco allatum propugnarunt, illi aut in ſolis, quae *corpore* capiuntur, voluptatibus ſubſiſtunt, aut ſi his neque unicum, neque primum locum attribuant, ſed animi oblectationibus praecipuas partes deferant, vel ſuum tamen *dolori* pretium non ſtatuunt, vel ſapientem acquieſcere in ſola meditatione jubent, ipſumque propterea plane a procuratione negotiorum publicorum dimovent, vel *egregios religionis fructus* rerum expetendarum

numero non adſcribunt, vel *ſublimes negligunt animi voluptates*, quae ex *harmonia actionum* naſcuntur, vel veras gaudendi cauſas exiguo hujus vitae ſpatio terminant.

Sed qui ad felicitatis curam revocant omnia: illi & voluptates *veras a falſis*, & illarum *gradus* accuratius diſtinguunt, tum & Theologiae naturalis fundamentis innituntur, nec curſum vitae felicis morte finiunt, ſed poſt obitum perpetuari docent. Ex quibus colligunt, ſic vivendum eſſe, ut animus corpori ſuperſtes ad altiorem vitae beatae gradum, ab eo, quem in prima vitae periodo adeptus eſt, adſcendere, & bonis ſibi deſtinatis, eo, quem providentia divina praefinivit, ordine potiri poſſit.

§. CCXLVI. Utraeque praeceptiones (§. 244, 245.) una, *perfice te*, altera, *da operam conſequendae & augendae felicitati*, ſive, *actiones liberas ſic dirige, ut firmam ſpem continui in felicitate progreſſus fovere poſſis*, non repugnant ſibi, ſed illa huic eſt ſubjecta. Cur enim in eo enitendum eſt, *ut harmonia actionum liberarum cum natura conſervetur*? (§. 244.) Quoniam *ex illa ſtatus naſcitur plenus verarum voluptatum, cujus nunquam nos poenitere poteſt.* Igitur nos eſſe obligatos, ut *perfectioni noſtrae ſtudeamus*, demum cognoſci & demonſtrari poteſt *ex ſtudio inſito felicitatis.* (§. 216.)

At vero poſita obligatione ſervandi harmoniam actionum, (*perfectionem*) quaeritur ulterius, qua *nota* actiones conſentientes cum natura ab iis diſtinguantur, quae huic repugnant? *Conſenſu cum finibus Dei*, inquis. Enimvero praeterquam quod conſiliorum divinorum particularium exigua nobis notitia contigit, praeterquam quod faciendum eſt id omne, quod quis Deum velle v. c. *ſpeciali revelatione* novit,

li-

licet ignoret, quem in finem ſibi aliquod officium divinitus injungatur: hos fines, quibus convenienter agendum eſſe traditur, unde cognoſcimus? Nonne ex *natura?* (§. 177.) *ex conſenſu cum felicitate hominis?* (§. 215.) Ne in orbem redeat reſponſio; propius quoddam merito requiritur principium, ex quo, quae actio cum *natura*, proinde cum *felicitate* finibus divinis conformi, (§. 180.) conveniat, quaeve pugnet, clarius intelligi, & certo dijudicari poſſit.

§. CCXLVII. Feliciter vivi non poſſe, vidimus, (*Sect.* 3—7.) niſi vires quisque ſuas, ſive ſecum natas ſive acquiſitas, (*ingenii*, *indolis*, *corporis*, *vel in bonorum externorum poſſeſſione*, *auxilii divini & humani fiducia*, *conſiſtentes*) *conſervare* & *augere*, iisque recte *uti* ſtudeat. Recte utitur autem is, qui *bonorum*, id eſt, cauſarum veras voluptates ſibi aliisque hominibus, gignentium, *ſummam* auget, diminuit vero multitudinem & efficientiam earum cauſarum, ex quibus veros ſibi aliisque dolores generari novit. Hoc virium uſu homo Dei eas largientis beneficium, & infinitam ſapientiam ac bonitatem ſumme veneratur. (§. 216.) Ad hanc metam collineant *leges naturae.* (§. 217.) Sic vivere hominem jubentes, *monſtrant viam breviſſimam felicitatis.*

Quamobrem cum quaeritur praeceptum generale, a quo *omnia officia naturalia*, atque adeo omnes regulae ſpeciales de actionum bonarum & malarum differentia ducantur, hoc poſſe ſtatui videtur:

Ita conſerva, auge, & adhibe vires tuas, ut tantum boni, quantum potes, efficiendo, voluntati divinae reſpondeas.

Fructus vitae *huic praecepto conſonae* non eſt *ars nihil dolendi*, *nihil cupiendi*, *nihil gaudendi*, neque

de-

deteſtatio hujus vitae ob deſiderium melioris, ſed *ſerenitas mentis*, *iis vacantis doloribus*, *qui ex poenitentia naſcuntur*, *& ex deſperatione.*

§. CCXLVIII. Admiſſo hoc praecepto, exiſtimamus eximium officiorum naturalium concentum apertius patere. Hunc nulla pugna, nullo conflictu dividi, diligens conſideratio ac collatio *triplicis*, quod vulgo afferri ſolet, *officiorum generis* planum faciet.

Officia *erga Deum*, a quibus merito incipimus, ſunt *complexus actionum religioſarum*, *ad quas ob earum copulationem cum felicitate* (§. 190.) *obligamur.* (Sive *officia*, *quae naſcuntur ex ſtudii Deum plenius cognoſcendi ipſumque colendi nexu cum felicitate generis humani.*) Haec nunquam cum officiis *erga ſe ipſos & alios* contendunt, ut cum ſimul praeſtari non poſſint, illa his ſint praeponenda. Nam aut non ſunt vera erga Deum officia, quae cum caeteris contendere perhibentur, aut ſi ſunt vera officia, cum felicitate noſtra conglutinantur; (§. 185.) & propterea cum officiis hominis tum erga ſe ipſum, (§. 249.) tum erga ſocietatem, (§. 250.) congruunt.

Ne deſit exemplum; cum *pacta jurata dolo elicita in honorem Dei ſine exceptione ſervanda eſſe*, a quibusdam affirmatur, & idem negatur ab aliis: non colliduntur *officia erga Deum cum officiis erga ſe ipſum*, ſed error, in vera notione *honoris divini* admiſſus, gignit conflictum opinionum, & inanem falſorum officiorum imaginem.

§. CCXLIX. *Officia hominis erga ſe ipſum* ſunt *actionum liberarum genera*, *ab iis*, *quibus Deus colitur*. *& alii homines juvantur*, *diverſa*, *homini moraliter neceſſaria*, *ut vel in ſolitudine*, *vel in ſocietate ſtatum*

ſuum

ſuum meliorem (hoc eſt, *verorum bonorum feraciorem*) *reddere poſſit.* (§. 57.)

Horum officiorum alia aliis non obſiſtunt.

Dantur enim gradus verarum voluptatum, (§. 7.) quarum congerie, dolores intervenientes ſuperante, componitur felicitas: (§. 12.) ergo & dantur gradus *bonorum.* (§. 10.) Qui bona minora praefert majoribus, revera optionem non fecit inter duo bona, ſed inter id bonum, cujus electi ipſum nunquam poenitere potuiſſet, quodque ob eam cauſam *unice* bonum erat, & illud, quod hujus *unici* boni adeptionem ſubmovet. Hoc electo non poteſt non ſequi poenitentia, idque propterea indignum eſt boni nomine.

Scilicet in *comparatione* ſeu contentione *bonorum*, quae natura haud repugnante expetunt homines, haec regula tenenda eſt: ea, quae in bonis ducenda ſunt, quatenus verorum bonorum adipiſcendorum ſunt inſtrumenta, cedunt illis, propter quae demum recte expetuntur. Commoda externa corporis & animi cauſa expeti decet, corporis commoda propter animum. Itaque ſtudium augendi habilitates corporis eatenus eſt bonum, quatenus adminiculatur officio augendi cultum animi. Corpori enim ita proſpiciendum, ne perfectio animi vel negligatur vel impediatur. Quod cum fieret, homo non augeret *vires ſuas*, ſed ſe redderet *imbecilliorem.* (§. 247.) Similiter officia, quae *ſtatui*, quem vulgo dicunt, *externo* conſulunt, (opibus, fautoribus &c. comparandis inſerviunt) deſinunt eſſe officia, ſi *ſtatui interno* hominis repugnent, hoc eſt, corporis aut animi vires frangant aut debilitent.

§. CCL. *Officia erga ſocietatem*, ſunt *officia* ſeu *genera actionum liberarum, quae eo ſpectant, ut quies alio-*

aliorum hominum non turbetur, *ſed ſtatus eorum melior* (§. 229.) *efficiatur.* Expoſita ſunt *Sectione* 4. & 5. Actiones quibus alios reddimus meliores, proſperiores, feliciores, ſunt cum felicitate noſtra connexae, (§. 156.) proinde officia (§. 215.)

Ex hac definitione patet, ea, quae mortuis deberi vulgo dicuntur, *minus proprie* vocari *officia erga mortuos* Nam ſi notio officii, quod homo homini debere dicitur, ponit, 1) alterum alterius ope indigere, 2) poſſe alterius auxilio fieri feliciorem: apparet, mortuos non eſſe ea in conditione poſitos, ut officia proprie dicta ipſis praeſtari poſſe, *ratio* intelligat. Id vero ſibi, id & ſecum viventibus quisque debet, ut mortuorum ſepulturam non negligat, ne evileſcat pretium hominis; ut defunctorum memoriae non gaudeat inſultare, ne quem non metuas, aut a quo nihil ſperes, eum vilipendere adſueſcas; potius ut defunctorum meritis habeat honorem, ut ad bene merendum vivi excitentur; nec minus ut eam fidem praeſtet mortuis, quam his, dum ſupereſſent, obligare licuit. Nam licet defunctis nullum ex injuria & perfidia incommodum importetur: tamen ſocietati nocet diffidentia, ex eo naſcens inter vivos, quod fides mortuis data habeatur ludibrio. Perſpicuum vero eſt, mortuis non deberi, quod vivis noxium ipſi, ſi reviviſcerent, improbare deberent, quo numero eſt luxurioſa & exitioſa funerum ambitio, pernicioſus ſepulturae locus cura *mandati ſupremi*, ulciſcendi adverſarios, propagandi odia ad poſteros &c.

Caeterum officia erga alios nunquam colliduntur cum iis, quae ſibi quisque ipſi debet. Cum praecipitur, *plus* aliquando amandos eſſe alios, quam nosmet ipſos: (§. 166.) revera amor erga alios, ſuperans gradum ejus amoris, quo nos ipſos proſequimur,

mur, (§. 96.) neque praeſcribitur, neque exigi poteſt. Vitam aliorum noſtrae praeponere poſſumus, felicitatem non poſſumus. (§. 169.) Qui pro aliis ſuſcipit moleſtias, vel mortis adit periculum, is poſita, quam (§. 68.) expoſuimus, conditione id facit, quod ſibi ipſi debet. (§. 249.) Si enim malum noſtrum ſit reparabile, alienum vero, niſi nos aliud incommodi ſubeamus, irreparabile, ſe amat, qui jacturam ſuam negligit. *Si in mari jactura facienda ſit*, inquit *Cicero de officiis*, *equine pretioſi potius jacturam facias, an ſervuli vilis? Hic alio res familiaris, alio ducit humanitas.*

Neque ex differentia officiorum erga ſocietatem, quam *Sect.* 4. expediemus, oritur eorum contentio, uti (§. 277.) aſſeremus.

§. CCLI. Repudianda eſt Mandevillii opinatio, exiſtimantis, fugam vitiorum & florem ſocietatis ſibi repugnare, illis vero ingruentibus proſperitatem publicam augeri.

Primum fallitur in definienda notione vitiorum. Ex iis, quae magis opinione hominum, quam re vitioſa ſunt, mala non oriuntur. At ex veris vitiis mala naſcantur neceſſe eſt: ideo enim dicuntur vitia, quod per ea verum detrimentum accipitur. Deinde ſi ſibi nocent vitioſi, extremo in ſocietatem *ſpecialem* haec noxa redundare debet, quoniam gangraena partis tandem totum corpus conſumit.

At vero, inquis, virtus *populis* tam parum prodeſt, & tam ſaepe nocet: ut is *qui oderit vitia*, *ſocietatem odiſſe* videatur. Fuerit injuſtus in peregrinos judex, prodeſt ſocietati, opes exteris debitas ipſius in finibus conſervari. Ecquid refert *ſocietatis*, *metu an virtutis ſtudio* leges ſerventur? Virtus timidior, ne

offi-

officii fines migret, non audet tentare, quod vitioſa cupiditas confidenter peragit. Saepe avaritia aut vanitas homines excivit ad facinora ſplendida, certe publice utilia: veluti exemplum *ſuperſtitionis* ob *avaritiam oppugnatae* in libro de *Nat. Deor.* praebet Cicero: *qui noſtri quidem publicani*, ait, *cum eſſent agri in Boeotia Deorum immortalium excepti lege Cenſoria, negarunt immortales eſſe ullos, qui aliquando homines fuiſſent.*

Verum non deeſt, quod ad haec argumenta refellenda dicatur. Si ſemel v. c. cives & magiſtratus religionem animi exuerint; & flocci putent, jus vel ſuae vel publici emolumenti cauſa violare: num ſeſe intra exiguos unius injuriae terminos continebunt? Frenis ſemel laxatis v. c. magiſtratus in peregrinos injuſti non erubeſcent, jus inter cives quoque pervertere; quo facto fundamentum civitatis, in juris inter cives aequabilitate poſitum, concutietur. Si religio ſit irriſui, & virtutis pudeat cives horumque rectores: quid tandem, ſpe praemiorum vel impunitatis propoſita, non audebit procax licentia? Non erant allegandi ſoli, effectus vitiorum quibusdam hominibus non vitioſis utiles, omiſſis illis, qui ſocietatem lente emaciant. v. c. *Luxus immoderatus* aucto nummorum circuitu multis alimenta praebet: ſed ſimul fraudibus magnisque incommodis, vel ab inertia, vel a pecuniae conficiendae cupiditate profectis implet civitatem. (§. 150.) Ambitio effrenis ſi quando populum diſcrimine expedivit: quot non contra periculis regna & populos liberos implicavit, quot inſtitutis ſumtuoſis & inutilibus, quot malis ab obſtinatione & affectata erroris omnis immunitate ortis. Virtus, vera virtus, eſt fructuoſa cuilibet parti, ergo & toti ſocati.

§. CCLII.

§. CCLII. Quae hactenus diſputavimus; clare docent; admirabili Numinis ſapientia arcte copulata *eſſe*, quae vulgo recenſeri ſolent, *tria officiorum naturalium genera*. Non poteſt homo amare hominem, quin ſe amet, (§. 156.) nec ſe amare ipſum; niſi Deum adoret. (§. 187.)

§. CCLIII. Quartum officiorum *genus erga res inanimatas* aut *animatas rationis expertes* ſtatui; neceſſe non eſt. Animantia eo, quo homines, modo perfici non poſſunt, quia non videntur habere ſenſum perfectionis hominum ſtudio acquiſitae; ſed hac duntaxat apta ad majorem hominum utilitatem efficiuntur. Atque an exigi poteſt ab hominibus; adeo verſari in *hiſtoria naturali*; ut, quid cuique animalium generi proſit, intelligant? Ea, quae animantibus deberi dicuntur, continentur ſub *tribus* officiis, quae expoſuimus. Sic enim utendum eſt rebus, quarum poſſeſſione & uſu Deus breve hoc aevum, quod homo exigit, jucundius reddi voluit, ut ea poſſeſſio, isque uſus, proſit & toti ſocietati & ſingulis.

Omnis rerum inanimatarum & animantium uſus huic conſilio divino contrarius; demonſtrat animum ſuis & alienis commodis minus intentum, ac Dei haud reverentem; dum *Dei dona* flocci facit. Princeps v. c. venatui nimis deditus non tam animantibus nocet; quam ſibi & civibus. Vaſtans agros hoſtilis exercitus, *ſpes ſuas*, ut ait *Virgilius*, *urit*. Qua necat hoſtes inedia, eadem ipſe perit. A petulantia & duritie adverſus bruta animantia initium ſumit crudelitas; creſcit uſu longinquo; & in hominibus excruciandis deſinit. Unde in puerulis huic malo naſcenti ſtatim adhibenda eſt curatio;

tio. Adverſus inveterationem ſero medicina paratur.

SECTIO IV.

De officiis erga ſocietatem, & notis quibus duplex eorum genus internoſcitur.

§. CCLIV. Quod *de egregio officiorum univerſorum* conſenſu (§. 212.) docuimus, particulatim valet de his, quae hominem homini praeſtare oportet. Congruunt *ſingula*. *Sect.* 4 & 5. expoſita, *cum ſingulis*, & *univerſa* conſentiunt ad hoc enuntiatum, illi, quod (§. 347.) attulimus, ſubjectum:

Nati formatique ad ſocietatem homines, quanto ſtudioſius abſtinuerint ab injuriis, quantoque plura bona aliis conciliaverint, tanto magis ſibi ipſis ſatisfaciunt, tantoque majora ex ſocietate commoda capere poſſunt.

§. CCLV. Cum vero magna pars hominum ſuae felicitatis nervos inconſulte incidat, dum damnis (§. 129.) & incommodis inferendis (§. 131.) alios prohibent frui bonis, quae habent, ac novis potiri: merito quaeritur, quaenam veluti repagula huic malo natura oppoſuerit?

Sola deformitas facti ignobilis, maligni, crudelis, verbo cujuscunque *laeſionis*, ſola cogitatio mali, quod ex injuria in alios confeſtim, & in facientem olim atque oblique redundat, ſola *juſtitiae divinae* contemplatio, non ſemper eam vim habent, ut homines a *damnis* inferendis avocent.

Vis

Vis & *metus* violentae aggreſſionis eorum *quatuor bonorum*, quae natura cuique ſemper cara & omnibus in ſocietate ſancta eſſe voluit, (§. 129.) efficacius movere poſſunt proclives in nefas animos, ut abſtineant ab inferenda injuria, aut illatam reparent.

At vero violentiam omnem odit natura, niſi ſit neceſſaria. Quantopere enim interſit generis humani, violentiam reprimi, vel immanis ille ultionis aeſtus, & paene dixerim furor, tot malorum in ſocietate ferax, evincit. Quamobrem quaeritur, quando utile generi humano ſit, vi metuque officia armari? quando exitioſum?

Utile eſt, cum *quies* ſive *pax communis*, quae eſt ſocietatis humanae baſis, (§. 129.) eo remedio ſubmoto, interiret, ac diſſociaretur omnis humana conſortio. Pernicioſum, cum idem ſtatus pacatus, conceſſa vim adhibendi licentia, everteretur.

§. CCLVI. Natura itaque ipſa nos ducit *ad diviſionem officiorum hominis erga hominem* in *perfecta & imperfecta.* (*plena* ſeu *minus plena*)

Illa ſunt *officia ſocialia, ad quae praeſtanda debitorem ab illo, cui debentur, per vim cogi, ſecundum leges ſocietatis licet, ut ejusdem quies* (pax, tranquillitas) *conſervetur.*

Haec contra ſunt *officia*, quae *excludunt coactum, tanquam pugnantem cum conſervatione communis ſociorum quietis.* (*ſecuritatis, pacis.*) Ad vinculum, quod homini cum Deo intercedit, hanc partitionem non pertinere, per ſe intelligitur.

Ex definitionibus datis apparet, aeque intereſſe *ſocietatis humanae*, (§. 100.) ut non omnia officia ſint perfecta, ac ne ſint nulla. Igitur natura, quae ni-

nihil, niſi quod ſocietati humanae prodeſt, praecipit, diſtinguit haec duo officiorum genera, & confundi prohibet, quamvis utrique ſatisfieri oportere praecipiat.

§. CCLVII. Sola difficultas ſupereſt de *notis*, quarum ope dignoſci poſſit, ad utrum genus *ſingula hominis erga hominem officia* pertineant. Hanc *notam* non praebet *ſenſus doloris*, quo nos perfundit officii cujusdam nobis debiti neglectus aut violatio: quoniam quantitas doloris, *quae ad vim adhibendam ſufficiat vel non ſufficiat*, ad regulam certam *omnibus communem* revocari nequit. Multo v. c. acerbius eſt ei, qui multis beneficiorum nominibus ſibi quenquam obſtrinxerit, frigidum eum videre, ſibique haud obſcure iniquum, quam damnum, idque haud exiguum feciſſe hominis ignoti, aut ſecum haud conjuncti, injuria. Nec tamen ei licet, per vim compellere hominem improbum, ut officium gratae mentis praeſtet.

Similiter nodus non ſolvitur, cum officium *imperfectum* dicitur, *quo praeſtito alii fiant perfectiores*, & *perfectum*, *quo intermiſſo*, *vel violato reddantur imperfectiores*. Si v. c. quisque cujuslibet detrimenti reparationem, quod malo aliorum exemplo, vel indulgentia educatorum, corruptus cepit, poſtulare, ac per vim ideo ſibi praeſtare poſſet, quod is, qui obſequio vel exemplo nocuit, contra officium ſuum venerit: noti, ignoti, propinqui, familiares infinitis implicarentur litibus, & ſaepe fraterno maderent ſanguine terrae.

Denique non valet argumentatio: quoties de violatione officii cujusdam is, cui hoc debetur, plene judicare poteſt, toties eſt perfectum. Enimvero poteſt id judicium eſſe & facile & ſumme veriſimile: & ta-

tamen intereſt generis humani, vim non adhiberi. (e. c. *fatetur* aliquis, ſe alteri deeſſe *ultionis aut livoris cauſa, vel ut aegre faciat ejus familiae & amicis*) Vice converſa accidere poteſt, ut ſint rationes probabiles ab *aequitate ductae*, excuſandi neglectum officii perfecti, nec tamen ob eam cauſam deſinat eſſe perfectum.

§. CCLVIII. Nobis quidem dicendum videtur, *officia hominis erga hominem omnia eſſe imperfecta, exceptis duobus generibus.* Horum alterum oritur *ex conſenſu paciſcentis in coactum, ubi non impleverit vel violaverit conventionem.* (§ 130.) Alterum *conſiſtit in obligatione nobiſcum nata non violandi alterius vitam & corpus, libertatem, poſſeſſionem absque cujusquam laeſione apprehenſam, & dominium.* (§. 129.)

In utroque genere intereſt ſocietatis humanae, *vim adhiberi licere. Primum*, quoniam fide pactorum ſublata, multa & eximia generi humano commoda ſubducuntur, quae ex fiducia mutui auxilii, & rerum, quibus indigemus, commutatione promanant, in primis vero, quia res uſusve rei ac pars libertatis noſtrae paciſcendo deſinunt ad nos pertinere, & ad eum, quicum pacti ſumus, tranſit; ergo non ſervare fidem, eſt alteri ſuum eripere. *Poſteriore in genere*, ſi non liceret vim adhibere, id per ſocietatem amitteret, quod non *per illam*, ſed *a natura* accepit, tantumque *mali ex ſocietate* referret, ut haec, ſed & probo & tranquillo cuique foret ſupplicium, ſolitudo ſolatium. (§. 130.) Conſentaneum itaque eſt felicitati generis humani, ut *haec duo officiorum genera* ſint *perfecta*, ſive *plena*: hoc eſt, ut lege naturae diſtinguantur a caeteris, & vim illorum violatoribus opponere liceat. Quousque?

que? Ne qui laedendi (§. 129.) habent conſilium, conatum perficiant, quive laeſerunt, negata ſatisfactione laedere pergant.

At enim, inquis, vis etiamſi ad vim repellendam adhibeatur, affert malum. Damus; ſed non majus quam quod ille facit, qui vulnerat, ut ſanet. Alterutrum eveniat neceſſe eſt; vel ut doleat, qui injuriam fecit, vel ut ille, qui accepit. Intereſt ſocietatis humanae, hujus, cui facta eſt aut imminet injuria, dolori aut finiendo aut avertendo naturam dediſſe remedium: ſic enim aut tolli poteſt de communitate hominum vis nefaria, aut redigi ad minimum. Male v. c. illi conſulunt ſocietati, qui negant homini licere hominem occidere, a quo in praeſens vitae periculum adducitur.

§. CCLIX. Reliqua officia ſocialia (§. 250) eo ſpectant, *ut alter alteri ultro proſit*, ac ſunt *imperfecta.* Nam 1) quaedam ſunt hujusmodi, ut coactus ne quidem poſſit eum habere exitum, quem, qui vim adhibet, deſiderat. Huc pertinent officia omnia, quae ab interna animi perſuaſione & a benevolentia unice pendent, ita quidem, ut aliud agi, aliud ſimulari, frausque occultari poſſit. Officium v. c. eſt alterius, *errantem in viam reducere*, alterius, *meliora docenti auſcultare.* Vis ac minae nunquam ſeriam perſuaſionem efficiunt, ſed *ſimulationem aſſenſus & mendacia.* Plerumque gignunt *odium perpetuum & ejus, qui cogit, & rei*, ac deſtinatum conſilium, id nunquam examinandi, ſed tanquam falſum ſtatim repudiandi, quod voce vultuque imperioſo, adhibitis minis, ſuppliciis, pro vero haberi jubetur.

De reliquis 2) obſervandum, etiamſi coactu poſſit effici, ut quod ultro facere debebas, id invitus peragas; tamen eandem *violentiam* plus eſſe illaturam

ram in ſocietatem mali, quam neglectum officii ipſius, quod ut ſervetur, vis ac minae adhibentur. Poſito enim, coactum eſſe licitum; quis foret vindictae modus, qui violentiae fines? Fugerent congreſſus, & ab arctiori conjunctione abhorrerent homines, metuentes, ne ob doloſam aut culpoſam violationem aut intermiſſionem qualiscunque officii perpetuis vexationibus exponerentur.

Hae non poſſent vitari ob frequentiam praetextuum inculpandi alios, ac propter difficultatem & *evitandi ſuſpiciones quascunque*. & *probandi*, alienum a *dolo* fuiſſe animum, *culpaeque*, cujus arguitur, *immunem*. [V. c. Si dicatur, *injuſtum* eſſe, qui non fuerit *apertus*, *taciturnus*, *gratus beneficiorum aeſtimator*; *criminoſum eſſe*, *qui crimen alienum haud impediverit*, vel *injuſtum eſſe populum*, *qui quietis ſuae amans patitur*, *populum vicinum bello injuſto premi.*] Deinde ſi quaevis *officia ſocialia eſſent perfecta*; lites plerumque inextricabiles orirentur ex difficili aeſtimatione tum *culpae* in officii violatione commiſſae, tum detrimenti inde accepti, tum ſatisfactionis ei, qui violatus fuiſſe dicitur, debitae. Ita fieri non poſſet, quin *defenſionis*, quam natura permittit, & *ultionis*, quam abominatur, *fines* perpetuo confunderentur. Pugnis, damnis, caedibus, nunquam obtentus deeſſet probabilis.

§. CCLX. Certius eſſe poteſt judicium *laeſi* de violatione *officiorum perfectorum* ea mente factum, ut, quod ſuum eſt, ſervet aut recuperet. (§. 258.) Talia facta ſunt manifeſtiora; *probatio laeſionis* ad ſummum probabilitatis gradum (*qui in cauſis decidendis ſufficit.*) facilius adducitur, & excuſationes frivolae apertius confutari poſſunt. Solus caſus excuſat, &

& quaedam imprudentia tam levis, ut pro caſu habeatur. In his officiis nulla opus eſt comparatione, cui plus debeas ex pluribus: (§. 164.) neque, dum ſervantur, inquirendum eſt, quid inde utilitatis vel detrimenti perveniat ad eos, quibus ſatisfecimus, vel ad alios. Solvit v. c. debitor pretium conventum creditori: hic ſeu eo utatur ad ſcelus quoddam perpetrandum, ſeu pecuniam acceptam prodige ſit diſſipaturus, debitoris non eſt vel inveſtigare vel curare.

Ex quibus efficitur, ſecundum leges naturae licitam quidem eſſe vim ad damnum (§. 129.) avertendum, & ad ſatisfactionem ei, qui illud dedit, extorquendam, (§. 130.) ſed iisdem prohiberi *vim* eo ſpectantem, ut caetera officia impleantur. Liceat hominibus eſſe obſtinatis, duris, frigidis, ſtolide ſuperbis, avaris, parum religioſis amicitiae cultoribus. Satis poenae dant, quod tot tantasque ſibi intercipiunt voluptates, quae a calida caritate erga alios, ab aliorum mutuo favore, a gratia apud Deum, & a conſcientiae tranquillitate proficiſcuntur; quodque in praeſens laeti, dum faciunt, quod lubet, ipſa hac laetitia graves *poenitendi* cauſas colligunt.

§. CCLXI. Actiones cum officiis perfectis & imperfectis conſentientes appellantur *honeſtae*. Ipſa vox *honeſti* apud Latinos aliquid aeſtimabile & *honore* dignum innuit.

Cum a natura ita ſit proviſum, ut honeſtum nunquam contendere poſſit cum utili: (§. 166.) apparet, hoc ſenſu recte dici: *ſola bona, quae honeſta.*

Cumque omne bonum jucunditatem efficiat: (§. 10.) patet, bonum quodque honeſtum ſimul eſſe *jucundum*. Vere dicitur, aucto officiorum im-

imperfectorum numero augeri vera gaudia; Maximas natura voluptates conjunxit cum maximis officiis. Quantas oportet percepiſſe *Scipionem Aemilianum*, [ſi de ipſo *Vellejus Paterculus* non dixit nimium:) *qui nihil in vita niſi laudandum aut fecit aut dixit ac ſenſit!*

Studium perpetui actionum concentus in officiis erga alios implendis dicitur *honeſtas*. Felices! qui in hoc ſtudio ſunt eo progreſſi, ut gaudeant prodeſſe, quantum poſſunt, omnibus, nocere nemini, non quia lex jubet, ſed quoniam aliter facere non poſſunt.

SECTIO V.

Juſtitia.

§. CCLXII. Notioni *officii perfecti*, quam expoſuimus, reſpondet notio *juris proprie dicti*. Tuum eſt abſtinere a damno (§. 129.) dando, alteri jus eſt poſtulare, ut abſtineas, &, ſi nolis, vi vim repellere. (§. 130.)

Haud parum intereſt, originem notionis, quae vocabulo *juris* ſubjici ſolet, accuratius indagari. Sunt homini vires nocendi aut opitulandi aliis hominibus. Illas coercet natura & adhiberi vetat, has exerceri permittit ac jubet. Facultas viribus ſuis, absque violatione officiorum erga ſocietatem, utendi *ad id efficiendum, quod lubet*, latiori ſignificatu *jus* appellatur. (*Sive libertas agendi regulis de eo, quod homini praeſtare hominis intereſt, non reſtricta*). Strictiori ſignificatu juris (*perfecti*) notio tria complectitur: 1) poſſe quidem, ſed nolle nos

privari uno de IV. bonis (§. 129. 263.) enumeratis, 2) alios homines obligatos eſſe, ne nos in eorum bonorum poſſeſſione & uſu libero impediant, deinde ut faciant promiſſa, cui ſi non pareant obligationi, 3) licere *laeſis*, ut ſuis aut conjunctis multorum viribus cogant laedentem, ut ab eorum bonorum violatione abſtineat, reparetque damnum, quod dedit.

Ex quo efficitur, ſub juris nomine non venire *uſum quemvis arbitrarium virium naturalium.* Quibus ſuppetunt vires, illis poterit jus deeſſe, & quibus non deeſt jus, illis poſſunt deeſſe vires, illud perducendi ad exitum. (veluti *infantibus*, *aegrotis*, *vulneratis.*) Nec *quaelibet libertas alios ad aliquid patiendum vel agendum oblique* (v. c. *negato conſortio familiari aut beneficio*) *cogendi*, hoc nomine venit, ſed ea, *quae vim adhibendo, ut faciat alter, quod debet, ſtatui quieto* (*ſecuritati*) *generis humani haud repugnat.* (§ 256.) Igitur definiri poteſt, jus (*ſtricte dictum*) eſſe *facultatem lege conceſſam vi cogendi alios, ut officia ſua perfecta ſervent.* (§. 258. cf. §. 273. 304.) *Facultas* ſive *qualitas moralis perfecta perſonae competens, ad aliquid juſte poſſidendum & agendum*, dicitur H Grotio.

Factum ab uſu juris profectum appellatur *juſtum. Factum juri alterius contrarium* vocatur *injuria*, ſeu *laeſio.* (§. 129.)

§. CCLXIII. Ex ea, quam dedimus, juris definitione (§. 261.) perſpicitur; 1) jus *proprie dictum* non habere locum, niſi inter homines diverſos, ſive in ſpeciali, ſive in ea, qua univerſa gens humana continetur, ſocietate viventes.

2) Inde colligitur, notione juris duas facultates comprehendi, unam *repellendi* vim alienam, ne, quod au-

audet, efficiat, alteram cogendi alios, ut quod ultro facere aut pati debebant, id inviti faciant (v. c. *ſolvant*) & patiantur, (v. c. *nos uti ſervitute ipſorum fundo impoſita.*)

3) Nec minus perſpicuum fit, illam facultatem, tanquam firmamentum pacis communis, ſocietati humanae prodeſſe; (§ 129. 130.)

4) Patet, falli eos, qui *jus in viribus* ponunt. Non prius, quam tranquillitas ſeu pax ſocietatis humanae uſum virium ad alios cogendos permittit, notio juris initium ſumit.

5) Docet nos definitio juris, *eosdem eſſe fontes, & eadem genera, jurium atque officiorum perfectorum.*

Iidem ſunt fontes. Alter eſt neceſſitas violentae defenſionis adverſus eos, qui *vitam & corporis incolumitatem, libertatem, poſſeſſionem absque cujusquam injuria apprehenſam & dominium*, aggrediuntur. Alter eſt eorum, qui pacta faciunt, conſenſus in coactum, ſi promiſſis ſtare detrectaverint. (§. 130.)

Eadem ſunt genera jurium & officiorum perfectorum. Haec uti ſunt quadripartita; (§. 258.) ita & *quatuor ſunt jurium genera*, ad quae univerſa jurisprudentia cum naturalis, tum civilis, commode revocari poteſt: & quidem jus adverſus vim defendendi

1) Vitae & corporis incolumitatem & integritatem.
2) Libertatem externam,
3) Rerum poſſeſſionem juſte apprehenſam & dominium;
4) Jus violenter cogendi promiſſorem, ut pactum ſervet.

Sub *libertate*, (§. 142.) quam ſecundo loco poſuimus,

con-

continentur facultas nondum occupata capiendi, poteſtas res acquiſitas in alios transferendi, ſeque aliis obligandi; denique facultas defendendi liberum ad alios homines acceſſum adverſus eos, qui hunc *honore* laeſo, ſeu laeſa, quam vocant, *ſimplici exiſtimatione*, praecludere conantur.

Uti jura, ita & damna (§. 229.) ſeu laeſiones (§. 262.) in quatuor genera recte dividuntur.

Quemadmodum officia, ita & jura alia ſunt cum *homine nata*, alia facto licito demum acquiruntur, quae *adventitia* vel *acquiſita* dicuntur. Ad priora pertinent jus defendendi corpus ac libertatem: ad poſteriora referimus jura in res, aut poſſidendi aut dominii acquirendi animo apprehenſas, & ea jura, quae ex conventionibus ſive in res alienas ſive in perſonas naſcuntur.

Jura cum hominibus nata ſunt ea, quae ex notione hominis per ſe colliguntur, proinde ab homine ad hominem non ſunt *derivata*. Sunt igitur omnibus peraeque communia, paremque ipſorum menſuram a natura acceperunt ſinguli. Quae quidem *quantitatis jurium inter homines diverſos convenientia* cum dicatur *aequalitas*: patet, quantum ad jura ſecum nata, omnes eſſe aequales. Jurium, qua diſtinguuntur homines, *inaequalitas* oritur vel ex *factis propriis licitis*, v. c. ex *occupatione juſta*, vel ex alienis, ſive *licitis*, ut ſunt *conventa*, ſive *illicitis*, veluti *ex vi nefaria*, (§. 129.) cui conſequens eſt jus vel avertendi damnum inſtans, vel dati reparationem exigendi.

Ex quo porro intelligitur, *aequalitatem hominum nativam* non eſſe poſitam in *jure omnium in omnia*, ut putavit Hobbesius. Natura ut ſingulos a ſingulis phyſica conditione *ſeparavit*; ita *ſingulorum quatuor*, quae recenſuimus (§. 129.) *bona diſtinxit.*

Ex

Ex hac demum *ſeparatione* naſcitur juris notio. Utque ſingulis ſua jura aſſererentur, eorum violatoribus oppoſuit natura permiſſum, tantam vim adhibendi, quanta quisque ad illorum defenſionem indiget.

Cum Jcti praecipiunt: *ſuum cuique:* voce *ſui* comprehendunt *complexum jurium.* Itaque ex fonte naturae hauſta eſt diviſio Jctis familiaris, cum *ſuum hominis* dividunt in *ſuum cum homine natum* & *acquiſitum:* hoc vero in id, quod *juſte occupatum* eſt, (quale eſt jus in rem, quae nullius erat, apprehenſam) vel *translatum,* (*ab homine in hominem derivatum*) veluti jus ſatisfactionem ob laeſionem, ſolutionem a debitore, factum aliquod aut facti cujusdam vel juris omiſſionem a promiſſore poſtulandi.

§. CCLXIV. Notiones *juris & officii perfecti* divelli nequeunt. (§. 263.) Unde intelliguntur hae regulae concluſionum foecundiſſimae: *poſito jure alterius, ponitur alterius officium perfectum, & vice conve rſa.*

Veras eſſe has regulas, perſpicuum fit ex definitione *juris proprie dicti.* (§. 262.) Hoc enim eſt poſitum in facultate agendi & cogendi alterum, vel ut non reſiſtat nobis ea, quam natura dedit, facultate agendi utentibus, vel ut aliquid det aut faciat. Jus itaque ponere, & ab eo removere facultatem cogendi, eſt juris (*ſtricte dicti*) notionem evertere.

Sume, haec enuntiata non eſſe univerſe vera. Simul ponetur vis juſta injuriae reſiſtendi, & vis juſta eam inferendi. Haec vero ſibi repugnant. Ergo illae enuntiationes ſunt ſine exceptione verae.

§ CCLXV. Explicata notione *juris & officii perfecti,* facilior eſt expoſitio ejus notionis, quae *juſtitiae* nomine comprehenditur. Latiorem huic voci ſen-

ſum

ſum ſubjecit Aristoteles, cum duo ejus genera ſtatuit, alterum *juſtitiae univerſalis*, alterum *particularis*.

Intereſt vero ob multos effectus exitioſos, quos vagus loquendi uſus hac in re parit, non fluctuare hanc notionem, ſed accurata definitione terminari. JCtis, cum proprie loquuntur, eſt *convenientia actionum cum legibus, officia perfecta praeſcribentibus.*

Ex quo patet, unam eſſe juſtitiam, neque eam, *proprio* ſignificatu acceptam in *expletricem* & *attributricem* dividi poſſe.

§. CCLXVI. *Si actiones internae* cum legibus *officia perfecta* conſtituentibus conſentiunt; *juſtitia* dicitur *interna*; ſi *externae*, ab his *externa* appellatur.

Definitio, quam JCti veteres tradunt: *conſtans & perpetua voluntas ſuum cuique tribuendi*, ad juſtitiam *internam* convenit, non autem ad *externam*, cujus in *foro* & *inter populos* habetur ratio, & ne ad *internam* quidem, niſi ea animi affectio ad tantum gradum eſcenderit, ut inter *virtutis effectus* referri poſſit.

Hoc ſenſu admitti poteſt, multum differre, utrum *juſta*, an & *juſte*, hoc eſt *animo juſtitiam amante*, agere dicaris. Quem enim ſola timiditas impellit, ſuum ut cuique tribuat, is facit, quae *juſta ſunt*, non autem *juſte*, quoniam *momentis nobilibus*, (§. 197.) ſine quibus nulla eſt virtus, haud impulſus fecit, quod fieri oportuit.

§. CCLXVII. Manifeſtum eſt ex notione juſtitiae, vehementer falli Carneadem, qui ipſam, ut vires eloquentiae oſtentaret, *ſtultitiae* nomine infamavit. Fallit eos, qui cum ſubtilis ingenii viro facere videntur, ambigua *utilitatis* notio.

Uti-

Utile *lato ſignificatu intellectum* eſt, quicquid cuilibet propoſito bono aut malo efficiendo inſervit. Sed cum *proprie* loquimur, id dicitur utile, quod eſt remedium bonum ad finem bonum aſſequendum: eſt vero ſubſidium bonum, cujus cum felicitate copulati eum, a quo fuit adhibitum, non poteſt poenitere. (§. 10. 30.)

Homines univerſi vitam felicem appetunt. Sub hac continetur quies. (*pax*, *ſecuritas*) (§. 129.) Sine juſtitia nullus eſt ſtatus quietus. (§. 258. 263.) Ergo qui juſtitiam colit, ille fini ſuo ſupremo convenienter, proinde ſapienter agit.

Praeterea cur appetitur ſocietas? quia plus boni, quam ſolitudo, offert. At ſine vita minus turbulenta nulla cogitari poteſt felicitatis per ſocietatem acceſſio. Qua acceſſione remota, tollitur momentum vivendi cum hominibus. (§. 130.) Quamobrem ſublata juſtitia, ſtatum pacatum conſervante, diſtrahitur vitae communitas. Itaque ſibi ipſi repugnat, qui commoda ſocietatis captans juſtitiam violat ac ridet.

At vero idemne de *ſingulis ſine exceptione* affirmari poteſt, iisque *valentioribus?* Hi deſiperent, inquis, niſi ſic ſentirent: *illud quidem juſtum eſt, ſed hoc expedit, vincat utilitas!* Leges naturales, juris rigidi cultum hominibus injungentes,

Efficiunt animos humiles formidine Divûm,
Depreſſosque premunt ad terram.

Haec vulgo. Verum natura *omnibus benigna* res ita ordinavit, ut & potentiorum neceſſario interſit, juſtitiam colere, ne potentiae ſuae retinacula tollant.

Ex iis, quae (§. 166.) attulimus, efficimus has concluſiones:

I. *Jus violare, nec toti ſocietati, nec ſingulis, unquam prodeſt.* II.

II. *Nihil eſt natura juſtum, quod idem & omnibus & ſingulis non ſit utile, pro juſto haberi.*

§. CCLXVIII. Neque eſt, quod objiciatur; publicis haec enuntiata monumentis refelli; ſaepe ad culmina rerum creſcere injuſtos; juſtitiam, qua infirmi inter ſe indigeant, validioribus eſſe rem minus neceſſariam, ſed onus grave, moleſtum, quo impediantur, magna audere.

Damus, humilitatem (§. 147.) aut imbecillitatem ſaepe homines deterrere ab auſu iis reſiſtendi, a quibus opprimuntur. Sed ex hoc proſpero ſucceſſu quid emolumenti capiunt injuſti? Opes, inquis, honores, imperium. Propter haec bona ais, potentior quisque colit juſtitiam; commodorum ſpe ſublata, immunes a poenae metu illam quidni negligant? Verum haec emolumenta non per ſe *bonorum* numero ſunt, ſed quatenus ex eorum poſſeſſione haud naſcuntur *cauſae verorum dolorum*, quorum acerbitas *praeſentem*, quam afferunt, *voluptatem* vincit. (§. 64.)

An autem efficere poſſunt, qui jus in viribus habent, ut ſint vere certi, ſe omni loco & tempore aeque potentes fore? Ut vacent metu vindictae ſimilisque injuriae ſibi ab aliis inferendae, quos exemplo malo ad fas nefasque miſcendum provocant? Ut impetus vehemens ac furor laeſum non abripiat? ſicarios & veneficos non armet aviditas pecuniae? Ut nunquam triſtes ſentiant, quam, male ſit homini, qui ſibi eſt conſcius ſtatum moralem ſuum, ex injuſtitia ortum, providi hominum patris voluntati adverſari? Haec ſi poſſent obtinere injuſti; non repugnaverim, quo minus, dum fortuna favet, felices praedicentur. At num felix dici poteſt, quem, cumprimum effectus *injuſtitiae* ſuae *intuetur*, ſui ipſius *neceſſario* poenitet? (§. 41. 54. 12.)

§. CCLXIX.

§. CCLXIX. Nec meliori ſucceſſu *contra De providentiam* diſputant, qui fortunatos injuriarum exitus nobis objiciunt. Saepe non prohibet Deus, homines quosdam injuſta pati, ne faciant.

Quae ſera videtur Numinis vindicta, ea nonnunquam non eſt ſera, ſed graviſſima. Rediturus ad frugem erat homo injuſtus, ſi citius vindicem Dei manum ſenſiſſet. Impunitus mala malis cumulare pergit. Sic magna quandoque poena eſt, non puniri. Ipſe *injuſtitiae ſucceſſus* poena eſt.

§. CCLXX. De regula (§. 267.) propoſita non excipimus populos. Ordo ejus felicitatis, quam definita actionum liberarum rectione aſſequi poſſunt homines, (§. 31.) idem multis, qui ſingulis, (§. 29.) a natura praeſtitutus eſt. Igitur illum nec vis magnae multitudinis communi devinctae imperio unita & conglobata mutare valet. (§. 228.)

Neque hujus ordinis veritas & conſtantia refellitur fide annalium. Maxime enim eventus eorum attendi debent, a quibus, quoniam ad gubernacula ſedent, proprie proficiſcitur injuria. (§. 268.) Quem fructum Alexander M. quod ſolidae felicitatis genus Attila, *ſidera iniqua gentibus*, ex proſperis retulerunt ſucceſſibus? Non vivunt tam jucundes tyranni, qui linguis & corporibus, quam boni Reges, qui animis dominantur.

Nec populus immunis eſt malorum effectuum injuſtitiae, ab iis, fortuna favente, admiſſae aut toleratae, quibus habenas commiſit. Saepe ſentit hos triſtes effectus, licet de injuſtitia ſua, tanquam earum, quibus premitur, aerumnarum *cauſa*, non cogitet. Dum jubente principe nocuit aliis gentibus: ſibi incautus inſtrumenta exitii fabricavit.

Q *Or-*

Orbem pene totum victor Romanus habebat, nec ſatiatus erat. Debellatur oriens. Accipit leges, inque vicem ſuperbo domitori reddit luxum ac ſervitutem.

Victus orbis novus ſtatim victorem ulciſcitur orbem.

Pro *gloria principis & gentis* ſinguli cives arma opesque alacriter conferunt, ut fines imperii extendantur. Voti damnati quem fructum colligunt? Ut ſint in poſterum deteriore conditione, quam qua fuerant, parique illis, quos princeps, omnium dominus, ſubjugavit.

SECTIO VI.

Aequitas.

§. CCLXXI. Vidimus utilitatem generis humani eſſe *matrem* juſti. At enim, inquis, *rigor juris* multum mali parit, & recte dicitur proverbio: *ſummum jus ſaepe ſumma injuria.* Digna eſt res, quae ulterius diſpiciatur. Exquirendi ſunt fines *juſti & aequi*, & utriusque conſpiratio ad hominum felicitatem.

§. CCLXXII. Intereſt hominis, calere caritatis erga homines (§. 103.) ſtudio. Accedit ſaepenumero, ut, niſi ab uſu juris cujusdam noſtri abſtineamus, id agamus, quod illi caritati, proinde ſocietatis ſaluti eſt contrarium. Quo poſito, neceſſe eſt, ut jus noſtrum dimittamus.

Benignitas intermiſſo juris (§. 262.) *uſu demonſtrata* vocatur *aequitas.* Igitur natura aequitatem junxit

junxit cum felicitate, tanquam *partem officiorum imperfectorum.*

Aequitati hoc ſignificatu acceptae (alia enim ejus vocis interpretatio (§. 279.) afferetur) munus eſt, 1) non exigere ab aliis, neque ea facere, quae pro libertate & jure tuo vel exigere vel facere poteras, & quidem 2) eo conſilio, ut ipſorum moleſtias ſubleves, vel eos non impedias in iis conandis aut impetrandis, quibus vel non potiri vel excidere, illis magnum importaret incommodum, tibi, ea non quaerenti vel dimittenti, exiguum.

Diverſus quodammodo, nec tamen ei contrarius, eſt intellectus vocis, cum de *latore & interprete legum*, in dandis & applicandis legibus humanitatis & aequalitatis ſtudioſo, adhibetur. (§. 314.)

§. CCLXXIII. Ex definitione (§. 272.) data apparet, quid interſit inter *juſtam* petitionem & *aequam*, quidque inter hominem *juſtum* & *aequum.*

Juſta poſtulatio comprehendit jus vi efficiendi, ut praeſtetur, quod poſtulatur; *aequa* vim excludit. Erat peculiari opus vocabulo, *facultatem* aliquid petendi denotante, cui reſponderet *officium imperfectum*, (§. 256) id, quod petitur, praeſtandi. Minus commode GROTIUS adhibuit vocem *meriti* & *aptitudinis.* Invaluit nomen *juris imperfecti;* ut indicetur facultas *absque vi adhibita, aut ejus comminatione*, id exigendi ab aliis, quod hi ſine violatione caritatis a natura praeceptae denegare nequeunt.

Violatio hujus juris dicitur *offenſio*, quae diſtinguitur a *laeſione*, (§. 129.) ne res diverſae eodem nomine appellatae temere commiſceantur.

Jure e. c. non petitur ab herede, quod hic no-

vit defunctum fuiſſe legaturum, niſi mors repentina interceſſiſſet. Sed ſi percarus defuncto fuit, cui legaturus erat, ſi hic non admodum lauta in re ſit poſitus, ſi hereditas ampla, ac heres defuncto valde obſtrictus, aequitatem violat heres, dum voluntatem defuncti negligit.

§. CCLXXIV. Eadem itaque ſunt momenta, quibus ad *aequitatis ſtudium* impellimur, atque illa, quibus ad quascunque actiones, a mutua benevolentia proficiſcentes, incitamur. *Pudor, honoris ſtudium, jucunditas ex facto ipſo naſcens, reverentia Dei* &c. (§. 102. ſeqq. 177.) Eadem ſunt communia *juſtitiae.* Unum haec habet amplius ſibi proprium, *metum coactus.*

Judicis non eſt, cum *ſententiam fert*, unum de adverſariis compellere, ut invitus aequitatem ſervet: ſed quamdiu conciliatoris officio fungitur, (quod in *Hollandia* magno cum fructu fit, antequam cauſa diſceptari incipit) ſepoſito juris rigore recte ſuadebit actori, ut datis penſionibus, remiſſo foenore, aliud pro alio ſolutum accipiendo, ſublevet debitorem, cui magis aſpera vis fati, quam ſua culpa nocuit.

§. CCLXXV. Quaeſtio, *quando exigit caritas*, ut *in aliorum utilitatem ab uſu juris noſtri abſtineamus*? habet hanc ſententiam: *quando eſt cum felicitate generis humani, proinde & noſtra, conjunctum, ut faciamus, quod absque metu coactus perpetiendi poterat omitti, aut non faciamus, quod cum nullius juri eſſet contrarium, facere licebat?*

Implicati ſocietati humanae, tanquam pars toti, non conſideremus, quid nobis in praeſens ſit gratum, ſed quid totius interſit ſocietatis, ad quam per-

pertinemus, a quocunque fieri, cujus eadem, quae noſtra, eſt conditio. Idem ſi & nos faciamus; non poteſt non illud nobis, ſi minus ſtatim jucundum, certe, ſecundum ordinem rerum naturalem, olim eſſe fructuoſum. (§. 166.) Minus erroris periculum incurrunt, qui de jactura, quae alieni commodi cauſa facienda eſt, judicaturi, ſententiam de cauſa ſua ferunt, tanquam de aliena.

Quae judicatio his, ut puto, regulis comprehendi poteſt: 1) cave tibi ab uſu juris tui aliis moleſto, ex quo nullum fructum, niſi gaudium malitiae plenum, capias. Creditor pignora vendit, non quia indiget pecunia, ſed ut gaudeat, debitorem, cui invidet vel ſuccenſet, redegiſſe ad incitas: 2) quoties lex, in ſocietate ſpeciali lata, jubet repelli actorem, qui, quod natura & *aequum & juſtum* eſt, petit; toties iniquus eſt, qui exceptione, quam ipſi dat lex civilis, utitur. V. c. ſententia ob neglectum dierum fatalium vim rei judicatae adepta habetur pro veritate, & liberat debitorem *ab actione*, non ab *obligatione naturali imperfecta*, ex unius forte *horae* incuria lucrum creditori pauperi exitioſum haud captandi.

Tandem, 3), quos impendiis tuis ſublevare, vel ut voti ſui fiant compotes, juvare debebas, (§. 159.) adverſus eos neque jus tuum perſequi, neque eorum eſſe competitorem & impeditorem in bonis conſequendis, quibus indigent, eſt conſentaneum aequitati. Ita nec femina beneficio legum, nec minor, poſtquam major factus eſt, utetur exceptione aetatis adverſus creditorem, quem ſi conſideret tanquam creditorem idcirco infortunatum, quod ſimilem pecuniae ſummam ab alio debitore non conſequatur, ſuis expedire opibus debebat. Similiter ſi duo idem munus ambiant *ſolius quaeſtus* cauſa, uter-

que ei obeundo pariter idoneus, ſed alter dives, mediocris fortunae alter, ille obſcure, hic ſplendide natus, uterque coelebs, ſed alter familiae ſuae parum, hic magnae, ſed parum opulentae, plurimum devinctus; aequus eſt ille, ſi huic ultro cedit locum.

§. CCLXXVI. Aequitas habet gradus, juſtitia *externa* nullos. Quo majus eſt detrimentum, quod alteri ab uſu juris tui inſtat; quo plures ſunt, ad quos iſtius detrimenti effectus manat; quo clarius is effectus a te praevideri poteſt; quo levior eſt & brevior ſenſus jacturae, quam juri tuo non inſiſtens facis; quo lucidius hujus jacturae levitatem potes cognoſcere: eo aequior eſt petitio, ne jure tuo utaris, & eo iniquior eſt moroſitas, pertinacia, aut aviditas, negantis ſe facturum, quod rogatur. Verbo, gradus, quos habet aequitas, conſtant ex magnitudine & ſtabilitate detrimenti, quod aliis inferimus, dum noſtro jure utimur, ex levitate jacturae, quam intermiſſo juris noſtri uſu facimus, ex claritate cognitionis, quantum mali eventurum ſit, ſi jus noſtrum vel urgeamus, vel dimittamus.

Nunquamne jacturae, eaeque acerbiſſimae & difficulter reparabiles, in aliorum hominum commodum fient? Omnino. Id vero non pertinet ad *aequitatem*, ſed nobilis & alti eſt animi: de qua excelſitate (§. 139.) egimus.

§. CCLXXVII. En, inquis, *ſi minus pugnam, certe conflictionem & concurſum legum, ſiquidem eadem lex, quae praeſcribit ſanctitatem jurium, prohibet horum uſum.*

Nullus eſt conflictus. Cum lex naturae exigit ſtudium aequitatis, tanquam remedium felicitatis huma-

manae augendae: hoc ita intelligendum eſt, non oportere quemquam cogi, ut ſit aequus, quia ex licentia talis coactus plus mali generi humano eſſet obventurum, quam ex duriſſimae iniquitatis toleratione & impunitate.

Igitur leges: altera, *juſtus eſto*, (hoc eſt, cave, ne cujusquam juribus (§. 162.) detrahas) *jure tuo utens nemini facis injuriam;* altera, *aequus eſto*, *hoc eſt, quamvis jure tuo utens nemini facias injuriam, ultro tamen a juris tui uſu quandoque* (§. 275.) *abſtine*, ſibi non *repugnant*, neque *colliduntur*, quia ſimul utrique praeceptioni ſatisfieri poteſt.

Neque eſt, quod obmoveas, v. c. judicem eodem facto poſſe juſtum eſſe & iniquum. Qui legem *dubiam* durius, quam par eſt, interpretatur, is ſimul *& iniquus eſt judex & injuſtus; qui manifeſtam*, ſed duram exercet, neque eſt *injuſtus* neque *iniquus*, quoniam aequitatis munus eſt, de *jure ſuo* decedere, non autem *de alieno*, tanquam de ſuo, ſtatuere, quod faceret judex, qui cum ſit miniſter legum, eas corrigere auderet.

§. CCLXXVIII. Ne qua pugnae inter *jus & aequum* colliſusve ſpecies oriatur, argumento, quod ab obligatione ad jus duci ſolet, caute utendum eſt. v. c. Ambigua eſt regula; *hoc te facere oportere natura praecipit, ergo id etiam vi adhibita te facere permittit, quicquid officio praeſtando inſervit.* Nam ea, *quae fieri oportere* dicuntur, non *uno modo* intelliguntur. Id univerſe verum eſt, *quod in ſocietate facere, plene teneor, in eo efficiendo vim mihi oppoſitam vi repellendi jus habeo.* Non licet autem argumentari: tenemur, ſocietatis amplificare commoda, ergo & jus perfectum habemus, violentis remediis ejus incommodis medendi. Facere, ne noceat homo

improbus, eſt officium civis. Ideone medico licet, *ſceleſtum civem aut tyrannum* aegrotum pro remedio morbi, quod expetit, necare? Similiter jus non habemus, vim adhibendi, ut accipiant alii, quod damus aut facimus, ut officium imperfectum praeſtemus. Ita duobus ſumtuoſe & acerbe litigantibus ſe invitis arbitrum nemo obtrudere debet. Munus aliis opitulandi nobis hac conditione impoſuit natura, ut quorum res agimus, eorum libertatem non convellamus.

Multo minus argumentari licet ab officio, quod *nobismet ipſis* debere dicimur, ad jus *cogendi alios*, ne commodis vel deſideriis noſtris obluctentur. Non auſim tueri veritatem hujus enuntiati: *ab eo nobis fieri injuriam, qui proſperitatis noſtrae ſtudium impediat.* Qui noluerit conſilium roganti dare, is deeſt proſperitati noſtrae, quae eſt pars felicitatis: an nos *laedit*? Cum *coelibatus* non conveniat omnibus: num caeteros mares *ſubducta uxorum, quas quaerant, copia* laedunt *polygami*? Certe argumentis egregiis evincitur, *marium polygamiam libidinoſam* nemini; *non libidinoſae promiſcuam licentiam* praeſertim Europae haud convenire. Sed id polygamiae genus eſſe totius generis maſculi *juribus perfectis* contrarium, non magis aſſeri poſſe videtur, quam ſi quis amatores laedi cenſeret, quorum amores feminae repudiant.

Potius tenendum eſt, qui ex obligatione naturali ſuis emolumentis conſulendi colligat jus, quamvis malitiam apertam iisdem commodis contrariam vi coercendi, eum revera obligationi ſuae haud convenienter agere. Eſt enim vinculum indiſſolubile inter felicitatem cujusvis hominis & *abſtinentiam a violenta* aggreſſione ejus, a quo non *laeditur*, ſed duntaxat *offenditur*. (§. 129. 273.) Ita v. c. tibi debes, ut magnas vitae tuae mo-

leſtias depellas; idque tibi debent alii, ut conceſſo rerum ſuarum *uſu ſibi innoxio* te adjuvent. Nihilominus tibi jus eſſe non videtur, compellere invitos ad id faciendum aut patiendum, *quod* (*ut vulgo dicitur*) *tibi prodeſt*, *&* *ipſis non nocet.* (§. 300.)

§. CCLXXIX. De *aequitatis*, quatenus a *juſtitia* diſcrepat, (*Latini* enim non ſemper diſtinguunt) *prima parte* diximus, per quam aliquis, dum de jure ſuo decedit, alterique debitum, ſive officium aliquod remittit, ſe eidem *quaſi aequat.* Sequitur *pars aequitatis altera*, cujus notionem prior aperit. Nempe & eos vulgo appellamus *aequos*, qui vel in *judiciis* de aliorum actionibus ſibi animia damnandi ſeveritate cavent, vel in *gratificationibus & beneficiis ſuis*, verbo, cum *officia minus plena* praeſtant, *aequabilitatem*, hoc eſt, *delectum & proportionem* inter plures, ſervant, ac, quantum quisque meretur, tantum ei largiuntur. Hoc modo coaequantur homines hominibus, licet magnis honorum, opum, natalium, potentiae intervallis diſtent. Sic ſecundum aequitatem judicant, qui cum plura nitent in aliorum indole, moribus, factis, monumentis ingenii, non offenduntur paucis maculis, quas humana parum cavit natura. Sic aequus eſt teſtator, qui non heredipetis, quos cum *vulturibus* confert Petronius, ſed iis ex cognatorum numero opes ſuas relinquit, qui norunt frui bonis, & aliis opitulari.

Quamobrem intellecta hoc ſenſu aequitas nihil eſt, niſi *ſtudium & judicia ſua & auxilia voluntaria* (h. e. *non promiſſa*, ſeu *nulli coactui ſubjecta*) *meritis alienis accommodandi.*

§. CCLXXX. Hoc ultimum quoque aequitatis genus cum felicitate generis humani arcte colligatur. Regnet ea in judiciis de factis deque meritis alienis, regnet in gratificationibus: firmior erit tum inter homines univerſos, tum inter cives concordia; mala, quae livor gignit, avertentur; obtuſiores erunt ſtimuli ad tempus placendi per inania, & acriores impulſus de ſocietate vere merendi.

SECTIO VII.

Actiones morales quemadmodum imputentur.

§. CCLXXXI. In eruendis, quae hactenus declaravimus, legum naturalium praeſcriptis, aſcendimus ab actionibus ſingularibus contemplandis ad regulas de *actionibus regendis* generales inveniendas, quibus, quid eſſet homini ſalutare, quidve noxium, comprehenderemus. Supereſt, ut regulis explicatis & inter ſe devinctis regrediamur ad facta ſingularia, artemque inquiramus, facti cujusque auctorem, & convenientiam aut pugnam cum illis, quae dedimus, praeceptis detegendi. Haec dijudicatio factorum ſingularium vulgo *imputationis* nomine venit.

Intereſt hominis, in hac doctrina certis inſiſtere veſtigiis: tum ut ſui ipſius judex *ſtatum ſuum futurum moralem* (hoc eſt, *ſtatum, qui ex rectione actionum liberarum naſcitur*) ſapienter ordinet, tum ne in *dijudicandis factis alienis* fallatur.

Error in facti alieni dijudicatione admiſſus gignit complures alios, cum erranti tum ſocietati admodum noxios. Parit ſuſpiciones falſas, quid boni

boni malive ab eo, de cujus facto minus recte judicatum eſt, in poſterum ſit exſpectandum: unde naſcitur falſa vel diffidentia vel fiducia. Generat falſas agendi regulas, dum vel concludis, factum alienum, quod probas, eſſe dignum imitatione, vel illud, quod improbaſti, fugiendum, diſſuadendum, reprimendum. A quo errore tanto ſtudioſius cavendum eſt, quo difficilius illae quaſi radices judiciorum evelluntur, quas opinio veritatis accurate examinatae & perſpectae in animo alte jecerunt.

§. CCLXXXII. In factum quoddam, num *conſentiat cum regulis*, *an pugnet*, inquirere, ſignificat, indagare 1) ejus facti veritatem, & 2) auctorem, hujusque 3) obligationem id factum peragendi, aut non peragendi.

Ex quo naſcitur duplex *imputationis* ſignificatus. Altera dicitur *phyſica*, ſeu *judicium, quo aliquis declaratur auctor actionis cujusdam liberae ſingularis*, ſive *facti.* Ad hanc *phyſicam* poteſt accedere altera; quae idem factum contemplatur, num ſit legi conforme an diſſentaneum, & quousque, ſeu quae relationem facti ad obligationem facientis enuntiat. Haec appellatur *imputatio moralis*, eſtque *judicium de auctore facti hujusque bonitate*, *aut perverſitate.* (*conſenſu aut pugna cum obligatione*, proinde *cum lege aliqua obligationem continente.*)

Quamvis idem ſit *effectus phyſicus* actionis, quae *phyſice*, quam quae *moraliter* imputatur: tamen *utriusque imputandi generis* effectus *morales* plurimum differunt. Idem eſt effectus phyſicus *homicidii inſidioſi*, atque *neceſſarii.* Quomodocumque ſublatus ſit homo, interiit, atque ſuis & ſocietati ereptus eſt. Sed ea mente aliquid *moraliter* imputatur, ut quid nobis, qui imputandi munere fungi-

gimur, vel aliis ſit faciendum, exinde colligamus; quid poſtea ſit ſperandum aut pertimeſcendum ab auctore facti? quomodo ea, quae illud conſequantur, bona, poſſint in uſum converti, vel mala effecta minui, emendari, auferri?

Moralitas, quam vocant *Scholaſtici*, eſt ea actionis liberae conditio (*qualitas*), ex qua cognoſci poteſt ratio obligationis, cur ejus auctor eam ſuſcipere aut omittere debuerit. Breviter definiri poteſt, eſſe *relationem actionis liberae ad legem aliquam cum felicitate agentis connexam* (*nexum actionis liberae cum obligatione agentis.*)

§. CCLXXXIII. Ex conſilio eorum diverſo, qui in actionibus alienis dijudicandis verſantur, nova cooritur hujus *judicationis* diviſio. Is enim, qui de facto alieno judicat, vel ſatis habet intellexiſſe, recte illud an contra ſe habeat, vel progreditur ultra, & aliquid boni aut mali ei conſciſcere conatur, cujus actionem vel probavit vel improbavit. Judicium, cujus nullus alius eſt effectus, niſi motus quidam *jucundus aut moleſtus* animi factum comprobantis, vel improbantis, ſine ſenſu *actuoſi* cujusdam favoris aut malevolentiae ad malum aliquod pro facto malo rependendum ſtudioſe nitentis, dici ſolet *imputatio inefficax*. Hunc in modum judicamus, cum e. c. facta veterum vel ignotorum ad leges exigimus. *Efficax* contra dicitur *actus imputandi*, qui eſt conjunctus cum conatu ſtrenuo efficiendi, ut ex fonte judicii noſtri aliquid mali aut boni ad eum, de quo judicavimus, redundet. Prior imputandi modus cuivis eſt a natura conceſſus: poſterior, prout *vel vi adhibita*, vel *ſine vi*, peragitur, cuivis permiſſus non eſt. Natura cuique impoſuit officium imperfectum, id agendi, ut mala, ex aliena actione orta

ta, corrigantur vel ſubmoveantur, bona vero propagentur & augeantur: ſed non quemvis fecit *ultorem* aut *puniterem* eorum, qui male egerunt.

Vim vero adjungit imputandi actui, qui *laeſus* aut *laeſi* adjutor eſt, vel id jus *conventione impetravit*, ut eum, quem judicavit *injuſti* facinoris auctorem, cogat vel reparare malum, (veluti *populus populum, a quo laeſus eſt, magiſtratus debitorem*) vel ſi malum alio modo non eſt medicabile, nocentem de ſocietate tollat, (veluti princeps in civem *relegatione* animadvertit.) Patet itaque, poſſe ejusdem facti diverſam eſſe *imputationem efficacem*: quemadmodum criminis index eſſe quilibet civis poteſt, ſed vindex eſt magiſtratus, quoniam illi jus poenae ſumendae natura negavit, huic lex civitatis dedit.

§. CCLXXXIV. Secundum ea quae (§. 282.) de actu imputandi diximus, in disquiſitione, recte an contra ſe habeat factum aliquod, tria conſiderari oportet 1) num factum, quod proponitur, poſſit exiſtere? (*quod neglexerunt quondam, qui de crimine ſagarum cognoverunt*) num vere ſit hujusmodi, ut a *libertate* (§. 50.) proficiſci potuerit? 2) num id factum *vere exſtiterit*, & per quem? hoc eſt, quae ejus ſit cauſſa efficiens libera, ſive, ut vulgo dicimus, quis *auctor?* 3) num qua exiſtat *lex* & *obligatio*, ex qua, bonumne an malum ſit facinus, aeſtimetur?

1) Facta veniunt in disquiſitionem, hoc eſt, actiones, quas ille, cui attribuuntur, pro ſua *libertate* ſuſcipere aut non ſuſcipere potuit. Seu praeviderit eventus actionis ſuae, ſeu, cum poſſet, non praeviderit, modo in poteſtate ſua haberet, in eo poſitum eſſe ſtatu, ut ipſos ante videret,

ret, quam ageret, *actio eſt libera.* Sub factis comprehenduntur liberae factorum omiſſiones, vulgo *non facta.*

Eorum, quae limites virium hominis divinitus conſtitutos excedunt, omiſſio nemini imputari poteſt. Factum a *neceſſitate phyſica* profectum, non eſt actio entis *intelligentis*, *tanquam talis*, proinde notio poenae, praemii, laudis, vituperationis, in illud non convenit. Quod autem non quaelibet actiones hominis ſint liberae, quamvis eſſe poſſent, id provenit vel ab *obſtaculis externis* libertatem refrenantibus, (veluti cum qui nollet alteri navis ſuae incurſu nocere, vi venti compulſus in tenebris in alterius navem incurrendo nocuit) vel ex *obſtaculo interno*, quod *recte judicandi facultatem pro tempore aufert*, (veluti aetas infantum, dementia adultorum.)

Hujusmodi *obſtacula* ſi potuerint tempeſtive averti aut removeri, nec ſubmota ſint, actio imputari poteſt. Sic amoris vehementia non liberat culpa raptorem, neque ulciſcendi aeſtus veneficum. Idque multo magis procedit, ſi quis talia libertatis obſtacula volens ſibi arceſſivit, hoc eſt, in eum ſtatum ſe conjecit, ut quid ſecuturum eſſet, praevidere, cum ageret, aut certe eventus, *propter quos* actionem *omittere debuiſſet*, feſtinanter & obſcure cogitare, ponderare autem, & ſibi, tanquam praeſentes, *exhibere* non poſſet. Sic qui ſtudioſe quaeſivit ebrietatem, ut meditatum parricidii ſcelus perficeret, is ad culpam hujus delicti diluendam allegare nequit, ſe eo, quo patravit facinus, temporis puncto non fuiſſe libertatis ſuae compotem. Etenim uti ebrietas, tanquam cauſa, fuit voluntaria & deliberata, ita ejus effectus voluntati quoque adſcribendus eſt, nempe parricidium.

Quod vel cuivis homini, vel illis omnibus, qui ean-

eandem habent indolem nativam, (*temperamentum*) factu eſt perdifficile, id quo minus de factis liberis plane eximatur, idonea haud ſuppetit ratio. Difficile eſt *cuivis homini*, exorto v. c. repentino mortis periculo, quod imminet ab impetu injuſto hominis ſocietati utiliſſimi, vitae ſuae profundendae pretio magnum manensque ſocietatis commodum redimere. Arduum eſt cuivis homini *phlegmatico*, faciles forteſque motus capere. Verum haec talis difficultas, quatenus eſt ſuperabilis, non perimit libertatem, proinde nec obligationem. Hinc imputari poſſunt illae *actiones involuntariae*, *quae mali, qnod ab aliis metuitur, gravioris* (veri aut opinati) *vitandi cauſa ſuſcipiuntur.* Metus eſt *praemoleſtia ex malo*, quod tanquam *eventurum cogitatur. Metus gravis* eſt *mali acerbioris inſtantis praeſagitio, quod vel plane non, vel non aliter, quam per gravem jacturam vitari poſſe, veroſimile videtur.* Talis metus non aufert *eligendi* poteſtatem, hac ſalva ſupereſt libertas, ergo & ratio, cur actio recte imputetur.

Is igitur, qui imputandi negotium ſuſcipit, quid ante omnia probabit? Factum, quod videtur *bonum*, a neceſſitate phyſica haud fuiſſe profectum, ſed vel a repentino recte agendi propoſito, vel ab habitu bene & ſecundum leges agendi potuiſſe proficiſci, factum vero malum a *dolo*, *vel culpa* (§. 128.) potuiſſe oriri. *Caſus* (§. eod.) non imputatur, quia deficit agendi vel *libertas* vel *obligatio.*

Ubi *imprudentia* (*negligentia*, *incuria*, *ſocordia*, *culpa*) *officio* (*perfecto aut imperfecto*) contraria, ibi vel deficit vel juſto debilior eſt intentio animi in cogitationem ejus mali, cujus vitandi cauſa vel quod non factum eſt fieri, vel quod geſtum eſt, aut omnino non, aut non ita, uti geſtum eſt, geri oportuerat. Habet itaque culpa gradus pro gradu liber-

bertatis & obligationis intendendi animum in mala actionis aut omiſſionis effecta, vel eum avertendi corporis aut animi ſtatum, a quo noxia attentionis penuria aut debilitas duxit originem.

In qua *culpae aeſtimatione facienda* animadverti debet *conditio corporis* & *indolis nativae*, quae vel oſcitantiam, vel nimis igneum vigorem inducit animis, unde vel proclivitas ad oblivionem & neglectum eorum, quae deliberanti conſideranda fuerant, vel praeceps in conſiliis capiendis feſtinatio exoritur. Similiter in *culpae dimenſione* habenda eſt ratio *concurſus magis aut minus vitabilis negotiorum*, quorum multitudine, perplexitate, gravitate mens diſtracta negotio, quod agit, ponderando, qua par eſt diligentia, vacare prohibetur. In eandem venit computationem *educationis* & *aetatis* differentia. Hinc & leges civiles nonnihil dare ſolent *lubrico aetatis* & *ruſticitati.*

Doli (*propoſiti adverſus legem, ſive injuſte, inique, contra officium agendi*) aeſtimatio redit ad inveſtigationem, quanta is, qui prave egiſſe arguitur, polluerit *claritate* cognitionis malorum ex legis violatione profluentium, vel qua fuerit *firmitate* conſilii, id, quod cogitavit lege eſſe praeceptum aut prohibitum, non faciendi aut faciendi. Ita major dolus eſt ejus, qui legem ſciens violavit, ut hujus auctorem contemneret, quam ejus, qui dulcedine peccandi illectus magis de ſpe impunitatis, vel *de ſola ſuavitate* boni, quod quaeſivit, *opinati*, quam de legislatoris contemtu cogitavit. Similiter facinus cogitatum, ſed ob ſupervenientem poenitentiam non per actum, minorem doli gradum arguit. Incommodum enim ex actione non ſecutum non poteſt imputari, hoc eſt dici eſſe, ſecutum, neque *fingi* actio conſummata, quae intra ſolum mentis decre-

cretum ſubſtitit. Enimvero quo longius intervallum inter conſilium malefaciendi & poenitentiam interceſſit, quo plura movit homo, ut quod decreverat, perficeret, quo diutius majorem perſuadendi vim adhibere debuerunt monitores, ut mutaret ſententiam: eo manifeſtius apparet *animus vitioſus & corruptus*, eoque plus *metuendum* eſt ſocietati ob ſpem exiguam emendationis.

Quibus cognitis quodammodo intelligi poteſt, quousque injuria cogitata quidem, ſed non conſummata, imputari poſſit, *eo effectu*, ut *vis vi praeveniatur* inter privatos & populos, vel ut *poena in ſocietate ſpeciali infligatur.* Redit haec quaeſtio *ad aeſtimationem periculi ex malo propoſito ad alterum, ſeu ad ſocietatem, manantis*, cui periculo *par* eſt *neceſſitas defenſionis*, ſive per *coactum*, ſive *per poenam*: nam *poena publica juſta* quid eſt niſi *defenſionis neceſſariae* genus? (§. 319) Egregie Cato *in oratione, quam pro Rhodienſibus in Senatu habuit, ne ipſis ob malevolentiam ſuam bellum inferretur: & quis tandem*, inquit, *eſt noſtrum, qui quod ad ſeſe attinet, aequum cenſeat, quempiam dare poenas ob eam rem, quod arguitur malefacere voluiſſe? —— Et quae tandem eſt lex tam acerba, quae dicat, ſi quis illud facere voluerit, mille nummi dimidium familiae multa eſto: ſi quis plus quingenta jugera habere voluerit, tanta poena eſto: ſi quis majorem pecudum numerum habere voluerit, tantum damni eſto. Atqui nos omnes plura habere volumus, & id nobis impune eſt. —— Sed ſi honorem non aequum eſt haberi ob eam rem, quod bene facere voluiſſe quis dicitur, nec fecit tamen, Rhodienſibus male erit, non quod male fecerunt, ſed quod voluiſſe dicuntur?*

§. CCLXXXV. Imputandi actus 2) ponit, actionis, quam a libertate potuiſſe proficiſci non du-

bitatur, (§. 284.) apparere *auctorem*, *hoc eſt*, *cauſam efficientem libere agentem*, quae vel habuerit conſilium id agendi, quod actum eſt, vel penes quam ſteterit aliter agere, quam egit. Cui conſequens eſt, a) ut factum non poſſit tanquam bonum imputari, niſi conſtet de bene agendi propoſito. Quis ignavis, quos promti ad caedendum centuriones coegerunt non fugere, victoriae gloriam adſcripſerit? Num bonus dici poteſt, cujus, ut inquit *Terentius*, non *ſivit egeſtas*, ut eſſet malus? b) Facti, quod an *malum* ſit, quaeritur, non poteſt dici auctor, qui *vi externa* vel *majori & divina* compulſus aliter facere non potuit. *Cum Lacedemoniis lex eſſet*, inquit CICERO, *hoſtias niſi ad ſacrificium quoddam redemtor praebuiſſet, capitale eſſet: hoſtias is, qui redemerat, cum ſacrificio dies inſtaret, in urbem ex agro coepit agere. Tum ſubito magnis commotis tempeſtatibus fluvius Erotas, is, qui propter Lacedemonem fluit, ita magnus & vehemens factus eſt, ut eo traduci victimae nullo modo poſſent. Redemtor ſuae voluntatis oſtendendae cauſa hoſtias conſtituit omnes in littore, ut qui trans flumen eſſent, videre poſſent. Cum omnes ſtudio ejus ſubitam fluminis magnitudinem ſciverint fuiſſe impedimento, tamen quidam capitis arceſſierunt. Judicatio eſt, cum in ea re redemtor contra legem aliquid fecerit, qua in re ſtudio ejus ſubita fluminis obſtiterit magnitudo, ſupplicione dignus ſit?*

c) Ex dictis perſpicuum eſt, non poſſe quemquam ejus facti auctorem dici, ad quod nihil contulit, ſed quod totum alienis peractum viribus impedire non potuit. Aliud eſt effectum actionis alienae ad alios ejus non conſortes extendi, (quod fit, v. c. cum *bona ob delictum publicata intercipiuntur heredibus*, vel *merita majorum proſunt poſteris*) aliud eſt, num cuiquam tanquam auctori id attribui poſſit, quod

nec

nec facere, nec, quo minus fieret, impedire potuit.

Similiter d) calamitates publicae a vi divina ortae non poſſunt unius aut alterius culpae tribui, niſi evidenter demonſtretur, eas ad hunc coercendum eſſe divinitus ſocietati immiſſas. Recte *Patres eccleſiae* ſaeculo III. & in primis *Tertullianus*, hoc quoque reſponſo retuderunt *criminationes gentilium*, qui aerumnis populum Romanum a Jove ob multitudinem Chriſto devotam irato premi, effuſe queſti clamabant: *Chriſtianos ad leones.*

Denique e) auctor facti dici nequit, qui duntaxat inſtrumenta confecit, quibus abuſus eſt aliquis ad malum facinus. Quis *pulveris pyrii* inventori adſignaverit Martia bella, quae poſt id tempus temere geſta fuere? Et an probabilius diſputant, qui negotiatorum induſtriae incommoda effrenati luxus attribuunt? At qui inſtrumenta, quibus alter ad malefaciendum utatur, *ſciens ſuppeditat*, is quousque facti alieni ſit particeps, ex (§. 289.) intelligetur.

§. CCLXXXVI. Tandem 3) ex definitione *imputationis moralis* colligitur, legem exiſtere oportere, cui parendi obligationem is, cujus examinatur actio, cognoſcere potuerit. V. c. *lex* ab eo profecta, cujus eam dandi jus non apparet, nullam vim obligandi habet. Quamobrem ſi duo contendant de ſummo imperio, quamdiu *dubium* eſt jus ſucceſſionis, is, qui non habet poſſeſſionem regni, mandatorum ſuorum violationem illis non poteſt dare crimini, qui poſſeſſoris partes ſequuntur.

Similiter legis *non recte promulgatae* ignorantia imputari poteſt nemini. *Legem promulgare* ſignificat, *efficere, ut claram legis ille, cui praeſcripta eſt, notitiam acquirere poſſit.* Si nullam rationem, cur ſtatum

quendam, tanquam felicitati tuae magis adminiculantem, alteri praeponas, cognoſcere poſſis, nulla eſt eum eligendi obligatio, (§. 214.) ergo nulla in praetermiſſa ejus electione culpa eſt.

Voluntaria cenſetur legis & officii inſcientia, quae ab iis cauſis eſt orta, quas removere integrum fuit homini, ſuarum quid eſſet partium, male ignaro aut incurioſo. (§. 284.) Hinc apparet *ignorantiam legum naturalium*, quarum *evidentiam* (§. 223. ſeqq.) vindicavimus, *pro gradu culpae* recte imputari. Sic major eſt culpa eorum, qui hodie ex naufragorum calamitate praedantur, quam hominum eo viventium tempore, quo viſum fuit naturaliter licere, *res naufragorum ſpoliari*, ac quo non ſolum res mari perditae, ſed & merces de *rheda converſa* in agrum publicum dilapſae quandoque fiſco ceſſerunt.

Verum non ignoratio officii duntaxat culpae adſcribitur, ſed & illud, quod removeri potuit, obſtaculum celeriter faciendi officium, ſi quid mali ex cunctatione enatum eſt: idque in primis valet, ſi lentor eſt ille profectus *a propenſione dominante*, cui vel avertendae vel corrigendae medela tempeſtive adhiberi debuerat. (§. 80.)

§. CCLXXXVII. Solum vero propoſitum non violandi officia Deo & hominibus debita atque reverentiam erga legislatorem, haud excuſat id decretum animi, quod ſeu finem, ſeu remedia (§. 217.) ſpectes, cum lege pugnat: modo vires non defuerint in *lege* ipſa vel in *facto* erranti, eum errorem effugiendi; ſeu quis regulam agendi pro vera ſumſerit, quae falſa erat, ſeu effectus actionis fore alios exiſtimaverit, quam quos certo, aut ſecundum regulas probabilitatis, praevidere debuerat. Igitur effectus actionis non a malefaciendi voluntate profectae,

ſed

ſed ab incuria *inquirendi in officia ſua*, & *proſpiciendi in futurum*, quam aliquis vitare potuerat & debuerat, ipſi pro modo virium, quas habuit, ſibi a tali negligentia cavendi, merito imputantur.

Quibus intellectis perſpicuum eſt, quousque in vitio ſit ille, qui legislatoris aut ejus, à quo mandatum accepit, voluntatem neglexit ea mente, ut propoſitum eo, quod praeſcriptum erat, modo non obtinendum, aſſequeretur alio, quem ſuaſit prudentia. Id enim quaeritur, num hanc ipſi poteſtatem is facere voluerit, cujus voluntatem exequitur. Notus eſt *diſciplinae militaris* rigor, in primis in republica Romana. Quem latent *Poſtumiana imperia* & *Manliana*?

§. CCLXXXVIII. Poſſunt effectus *etiam remoti, utpote cum proximis connexi*, actionis auctori imputari. Sed quousque? De excuſatione vulgari, *non putaram*, hae regulae tenendae: 1) actionis, quam quis legi adverſam eſſe novit, vel noſſe debuit, & tamen conſiderate ſuſcepit, effectus, quos praevidit, quosve non praevidit, pro modo *doli vel culpae* imputari poſſunt. Minus recte feminam abſolverunt *Areopagitae*, teſte *Ariſtotele*, quae *philtro* juvenem interfecerat, quia conſilium necandi haud habuiſſet; rectius *Jcti Romani* tale facinus, licet ab animo occidendi alienum, reatu vacare negarunt. Enimvero in hac imputandi ſeveritate inter *imputationem inefficacem* & *efficacem* (§. 283.) haud parum intereſt. *Hac* malum aliquod ei infligitur, cujus facinus improbatur. At nullo quisquam malo, niſi *neceſſario*, affici debet, hoc eſt eo, quo cogatur, *ut nocere deſinat*, quo *ſanetur*, vel quo demum caeteri homines, quibuscum eadem ſocietate devinctus vivit, mali, quod dedit, exempli *imitationem* amovere queunt.

Igitur in plectenda hominis *culpa* propter effectus errati malos, qui acciderunt praeter ipſius conſilium, non nimis ad vivum reſecanda ſunt omnia, de quo (§. 333.) dicetur. Eſt hominis, qui in *virtute* progredi avet, ſeveriorem ſui, quam aliorum, eſſe cenſorem, inque ſuis male factis aut male cogitatis culpandis inexorabilem, in alienis meminiſſe, ſolum *Chriſtum* potuiſſe dicere, *num quis ullius ſe peccati arguere poſſit*? proinde lubenter ignoſcere omnibus, praeterquam ſibi.

2) Actio bona non deſinit eſſe bona, nec pretium ſuum amittit, etſi eum non habuerit exitum, quem *probabilitate ad calculos revocata* conſecuturum eſſe, recte concluſit, qui eam ſuſcepit; vel etſi gignat effectus phyſice malos, qui vel praevideri non potuerunt, vel praeviſi non debuerunt impedire, quo minus illa committeretur. Caveas, *ne*, vulgo quod fit, *ab eventu facta notanda putes.* (§. 91. 92.)

Quamobrem 3) quicquid *absque violatione honeſtatis* (§. 261.) omitti haud potuit, illud ob eam cauſam, quod alios ad male agendum accenderit, (v. c. *invidos irritaverit*) reprobari nequit, quia non eras obligatus, ut quod honeſtas jubet, (e. c. innocentem defendere) intermitteres, ne indignarentur improbi.

§. CCLXXXIX. Hominis id, quod ſocietati debetur, exequi volentis officium *imperfectum* eſt, (§. 259.) in eo elaborare, ut, (quemadmodum *M. Aurelium* Imp. feciſſe relatum legitur) ex *malis bonos*, ex *bonis faciat optimos*. Cui conſequens eſt, ut is agat contra officium, qui vel adjuvat malam alterius actionem, vel, cum poſſet, non impedit. *Ex modo & gradu obligationis* actionem alterius bonam

nam gignendi, malam non progignendi, vel impediendi, regulae, quousque *actiones alienae imputari* debeant, depromi poſſunt. (§. 285.)

Eſt vero actionis alienae particeps, qui vel cauſa eſt decreti, quod alter de actione quadam ſuſcipienda aut conſummanda fecit, vel qui executioni decreti alieni ſe adjunxit, eique manus auxiliares praebuit. Hoc loco de priori ſpecie agimus.

Decretum omne a *momento* quodam & *hujus impetu actuoſo* ducitur. (§. 2.) Igitur qui momentum aliquod alteri admovit, quo mens *nihil tale cogitantis, vel incerta, quid ageret*, unice vel maxime inclinatur, ille dici poteſt *auctor decreti alieni:* a quo cum pendeat virium ad id, quod placuit, efficiendum applicatio, *actionis alienae* auctor recte appellatur. Momentum vero alterius voluntati flectendae duobus modis adhiberi poteſt, 1) *agendo* 2) *non agendo.* 1) *Agendo*, cum alter ab altero ad *bonum aliquod*, (*verum aut opinatum*) de quo non cogitaverat, incitatur, vel cum quis conſilium alterius nondum ſtabile confirmat auctoritate ſua, aut remediorum, quibus proſper exitus obtineri queat, demonſtratione. 2) *Nihil agendo* alteri momentum ſuggeri poteſt, cum quis idcirco aut conſilium agendi capit, aut id, quod cepit, exequitur, quia non metuit, ne ſibi obſiſtatur. Quocirca etiam ille eſt conſors mali facinoris, qui vel tempeſtive intercedere debuerat, ne conſilium male agendi caperetur, vel quem (v. c. *educatorem*) diu oportuerat *inveterata* labefactare & convellere momenta, ex quibus malum alterius propoſitum profluxit, vel cujus fuerant partes, viribus omnibus impedire decreti alieni exitus.

Facti *alieni* participes ſunt *ſuaſores*, *impulſores*, *ſuaviloqui laudatores conſilii alieni*, *pro auctoritate aut nocendi viribus ſuis jubentes aliquid fieri aut non fieri*,

quive conſentientes, vel diſſenſum ſuum, indignationem, & propoſito alieno intercedendi animum non ſignificantes, alterius conatum excitarunt, impetum foverunt, auxerunt, aut ejus executionem, cum poſſent & deberent, non ſufflaminarunt. Nec praetermittendi ſunt, qui *alios, pro naturali hominum proclivitate imitandi, exemplo ſuo ad paria facienda* ſtimularunt. Qui quod *factum eſt, ratum habuit*: hujus facti conſors dici nequit: niſi haec ſit vis approbationis, ut *ad ſimilia in poſterum facienda det ſtimulum*, vel ut propter eam effectus *continuentur*, quorum aut *continuationem* vel *ceſſationem efficere*, aut certe hanc *non impedire*, (*v. c. receptu, aſylo*) pertinet ad officium approbatoris.

Ejusdem itaque actionis *duae ſunt cauſae conjunctim efficientes*, altera *proxima*, nempe is, qui, quod *alter voluit*, libere egit, altera *remota* ſeu *moralis*, per quam factum eſt, ut alter ageret. Qui aliena decreta genuit, confirmavit, aut ad exitum perduci ſivit, conſideratur ut cauſa ſocia *eorundem decretorum*, *aut proſperae eorum executionis*. Tenetur pro *modo doli & culpae*, ac pro *differentia officii perfecti & imperfecti*. Qui *actioni injuſtae* alienae adeſt, is *laeſionis eſt ſocius*, perinde atque ille, qui contra pacti fidem abſtinet *ab impeditione injuſti facinoris*. (§. 302.)

Cum de *ordine* & modo imputandi ambigitur, utri potius aſſignanda ſit actio, utrum *cauſae morali*, *an proximae* ſeu *effectori*? eo redire videtur quaeſtio, quantum vel quam parum *libertatis ab efficientia* (*influxu*) *cauſae moralis* ſit relictum *effectori*, & utrius major fuerit obligatio inquirendi in effecta actionis. Ita minus attribuendum eſt facinus laudatori, quam callido ſuaſori, & huic minus, quam jubenti minisque mandata ſua communienti. Similiter *obſequium plane voluntarium, officio perfecto aut imperfecto contrarium*, effectori alienae voluntatis magis datur vitio,

tio, quam *vi metuque extortum* Quousque v. c in culpa ſit *miles* vel *miniſter principis*, *mandata injuſta* efficiens, ex (§. 304.) cognoſcetur.

§. CCXC. Uti plura ſunt officiorum genera, ita & judiciorum, quibus, numquid ſecundum aut contra legem geſtum ſit, enuntiatur. Quam *imputationis, praecipue efficacis*, differentiam, ex vario officiorum genere provenientem, vulgo exprimunt voce *fori*, veluti *fori divini*, (de quo *hac ſectione* haud agimus) *conſcientiae*, *naturalis*, (Ethici vel Juris Naturalis) (§. 301.) *civilis*, *criminalis*.

Ita fit, ut eadem actio pro diverſis, ſecundum quas judicatur, legibus recte reprehendatur & approbetur. Pro naturali diſtinctione *officiorum perfectorum & imperfectorum*, (§. 256.) quam actionem, tanquam non injurioſam in alios, non vituperavit Jctus, eam virtutis commendatores tanquam illiberalem, indecoram, inhoneſtam deteſtantur. Qui jure ſuo utitur, *ob idem factum* tanquam injuſtitiae immunis defendi, & tanquam in *ſe ipſum ſaevus* culpari poteſt. Leges v. c. ab eo, qui nullum jus eas dandi conventione eſt conſecutis, conditae, utut venerabili *majeſtatis legiferae bonique publici nomine* ſplendeant, injuriam faciunt illis, quibus praeſcribuntur, injuſtaeque ſunt poenae, quibus armantur. Sed qui parere detrectant, num ſibi recte conſulunt, quando intelligere poſſunt, ſe, cum jure ſuo reſiſtendi uti pergant, nihil effecturos, niſi ut mala ſua adaugeant? Vidimus, dari libertatis aeſtimationem & defenſionem nimiam, (§. 144.) cum, *omnibus fortitudinis nervis fruſtra adhibitis*, praeter patientiam & obſequium erga alios, nullum ſuppetit remedium, mala *vere* graviora effugiendi. Igitur pertinax *inſtar Saguntinorum pereundi* potius, quam *injuſtis domitoribus* obediendi propoſitum, juſtum licet, tamen propter

majores calamitates inevitabiles, tanquam officio *erga ſe*, *&* *erga ſocietatem imperfecto*, contrarium reprobari poteſt. Praeſtat aliquando *tyrannidem* tolerare, quam aggredi tyrannum. Leges Sullae ſapienter retinuere Romani: neque *Caeſaris* acta omnia reſcindi debere, cenſuit Cicero.

§. CCXCI. Veritas judicii de factis moralibus (imputationis) cognoſcitur ex ejusdem convenientia cum *gradu boni & mali*, quod in quolibet facto ineſt. Etenim duo ejusdem hominis vel hominum diverſorum facta, quamvis ad idem genus pertineant, tamen gradu boni aut mali differunt.

Stoicorum doctrina, qui quaevis recte aut male facta judicarunt *paria*, non convenit cum natura actionum humanarum; quique eam ad forum transferre vellent in poenis delictorum exigendis, illi in regulas, (§. 284.) adſtructas, manifeſto impingerent. *Jcti veteres* propterea eam doctrinam, non magis *judiciis*, quam *vitae communi* convenientem, repudiarunt. Rationum, quibus utuntur illi Philoſophi, levitas, demtis verborum praeſtigiis, ultro pellucet. *Uti in fidibus plurimis* (utor verbis Ciceronis) *ſi nulla earum ita contenta numeris ſit, ut concentum ſervare poſſint, omnes aeque incontentae ſint; ſic peccata, quia diſcrepant, aeque diſcrepant, paria ſint igitur. Uti ad gubernandi artem nihil intereſt, cujus generis onus navis vehat, ita gubernator aeque peccat, ſi palearum navem evertit, & ſi auri: item aeque peccat, qui parentem, & qui ſervum injuria verberat.*

Gradum boni malive, quod in actione ineſt, indagaturus, & *effectuum* ex *hac enatorum*, & *momentorum*, ex quibus illa profluxit, & *libertatis in his momentis aut excitandis aut ſupprimendis*, (§. 84.) rationem habere debet, denique conſiderare, *quam diffi-*

cile & nobile mentis in ea libertate fruenda ſtudium, (§. 85.) *aut quam in ea perdenda culpam*, (§. 284.) ipſa demonſtret actio. Effectus v. c. vitii cujusdam ſunt deteriores 1) pro ſua *multitudine* & 2) *fecunditate*, dum *malorum aliorum ex aliis natorum ſeriem* progenuerunt, 3) pro *ſtabilitate* ſua, ob difficultatem reparationis, aut tarditatem ceſſationis. Idem de effectibus *bonae actionis* aeſtimandis valet. Malae actionis effecta minus ſunt mala quae illius *auctori & paucis*, quam quae *illi & plurimus*, deinde quae opibus vitaeque commoditati, quam quae corpori, tandem ea, quae corpori nocent, quam quae animum inficiunt. Non aeque prava eſt actio effectu inſpecto, quae ſtatim diſplicuit auctori ſuo, ac quea hunc immerſit in ſcelera.

Praeter *effectus*, in primis expendenda ſunt *momenta*, a quibus proceſſit actio: quoniam ex horum tum praeſtantia aut pravitate, tum vigore conſtante aut tranſitorio, promtoque aut ſegni impulſu exiſtimari poteſt, quid in poſterum ab auctore actionis ſit expectandum: quonam modo revocari poſſit a malis conatibus, ad bonos vero accendi. Sic facilius condonatur *injuria*, cui, ſimulac calor iracundiae deferbuit, ſucceſſit poenitentia, quam quae ab *incluſa medullis malitia* provenit. Sic plus boni ab eo ſperandum eſt, qui *honoris veri* cupiditate incenſus rem difficilem perfecit, quam qui pecuniae conficiendae ſtudio nihil intentatum reliquit. Univerſe in exquirenda actionis bonae *praeſtantia* multum intereſt, num ab impetu repentino raroque *momenti nobilis* (§. 197.) manaverit actio, an a conſtantia recte ſentiendi, & a robore mentis, quod virtuti ineſt.

§. CCXCII. Haud a vero alienum eſt, vulgo quod dicitur, *cum duo idem faciant, idem non eſſe*. Uti medicus minus recte de ſtatu aegroti judicave-

verit, ſi magis morbi, quam aegroti naturam habeat cognitam: ſic ille, qui de facti cujusdam boni aut mali vera aeſtimatione laborat, abit in devia, niſi, praeter actionis per ſe conſideratae naturam, contempletur *perſonam*, id eſt, perſpiciat ſtatum hominis, qui fuit, cum decretum agendi faceret & exequeretur: quem *tunc temporis habuerit libertatis gradum? ſi minorem, quam oportet, qua quantaque ejus culpa factum ſit, ut majorem non obtinuerit?* (§. 291.)

Vidimus, quemadmodum (§. 76. ſeqq.) *ſtatu corporis*, & *habitu mentis* per *educationem* & *conſuetudinem* conformato, denique fortuito cauſarum externarum concurſu, libertas vel *continue*, vel *quodam temporis puncto* debilitetur. Libertatis debilitas continua magis homini dari poteſt vitio, quam quae momento accidit & tranſit, quia illi tempeſtive & facilius mederi potuit, quam huic obluctari. Motus animi ſubitus & inconſideratus, v. c. *a terrore*, *metu*, *ira* ortus, eo minorem demonſtrat *culpae* gradum, quominus avertere cauſas, ex quibus ille enatus eſt, ac tela nocitura providere licuit, & quo breviori temporis momento capiendum fuit conſilium. (§. 77.) Id quod in primis *in actu imputandi efficaci* (§. 283.) attendendum eſt. *Sic ira vehemens* orta ex gravi quadam & inexſpectata injuria quodammodo excuſat *caedem*: partim quia *difficilis* eſt *probatio*, quid eo momento cogitaverit interfector, num *terrendi*, an *nocendi*, num *vulnerandi* an *occidendi*, habuerit animum, partim quia in manu ſua non plane habuit, vitare cauſam, quae tantam *mentis agitationem & perturbationem* concitavit. Quocirca *leges Romanae* diſtinguunt, *impetu* an *conſilio* caedes facta ſit, & *juſto dolori* aliquantum indulgent. Eſt quoque *in gratia facienda* iſta *brevis inſaniae* origo haud parvi ponderis. *Horatius* victoriae glorioſae gaudio

dio ferox & ebrius transfigit ſororem medios inter civium plauſus lugentem ac complorantem ſponſi ſui caedem. Damnatus a *Duumviris ſecundum legem a Rege factis* provocat. Moeſtus pater, jam filia, mox, ſi leges exercerentur, liberis orbus movet populum, ut reum abſolveret, *magis*, inquit *Livius*, *admiratione virtutis*, *quam jure cauſae*. Num quid mali in poſterum erat metuendum ab *Horatio*? num quid ab exemplo, quale nunquam poſt id tempus extitit? Igitur ſapienter populus Romanus impetum ſubitum a malitia diu meditata diſtinxit, poenamque *haud neceſſariam* remiſit.

Contra quo quis longius habuit deliberandi ſpatium, quo pleniorem legis, quam violavit, & quantopere haec *cum ſua & communi felicitate* eſſet copulata, notitiam: eo gravius peccavit. Quo plures v. c. *perduellis quidam*, quo graviores, quo ſtabiliores actionis ſuae effectus, & quo eos probabilius ac facilius praevidere potuit aut praevidit, eo ſceleſtius eſt facinus, deinde quo plus habuit virium, animum ſuum ita formandi, ut cogitatio *beneficiorum acceptorum*, ac ſemper praeſens praemeditatio exitii conjurationem conſequentis, efficaciam momentorum ad nova molienda irritantium frangeret: eo deteſtabilior eſt conjuratio.

Ex hujus menſurae & ejus, quam (§. 291.) expoſuimus, intellectu & uſu primum is fructus percipitur; ne quis in ſe ipſo cognoſcendo, aut dijudicando, pernicioſe erret, deinde, ut judicans de actibus alienis *nimiae* aut *minoris*, *quam par eſt*, laudis & vituperationis, fiduciae & diffidentiae, ſpei aut timoris temeritatem evitet. Sine hac dimenſione fieri non poteſt, ut in *vita communi*, in *judiciis*, in *legibus ſanciendis*, in *adminiſtratione imperii*, regnent *juſtitia & aequitas*.

§. CCXCIII.

§. CCXCIII. Ex dictis apparet, imputandi actum *argumentatione* abſolvi: cujus major enuntiatio *legem continet*, minor *factum*; *judicium de comprehenſione facti ſub lege*, ſeu de *illius cum hac conſenſu aut pugna*, efficit concluſionem.

Quomodo fiat, ut haec concluſio ſit *vera* aut *falſa*, *certa* aut *incerta*, *magis* aut *minus veroſimilis*, vel denique *dubia*; cuivis, cui nota eſt *doctrina de argumentationibus*, facile patet. *Falſa* eſt vel *dolo* vel *culpa judicantis*, vel *caſu* ob errorem *haud vincibilem*.

Remedia, quibus, quae imputat, concluſio ex dubia probabilis, ex hac, certa efficitur, eadem ſuggerit *diſciplina* egregia, quae ad viam *veri inveniendi*, *diſcernendi*, & *diſtincte enuntiandi* explicandam reperta eſt.

Quamdiu autem animus de actibus *alienis* judicaturus haeret ambiguus: id judicium praeferri convenit, quod *favet innocentiae*, quodve *benignitati* maxime convenit, non autem illud, quod damnat, aut judicantis benevolentiam, fiduciam, & ardorem inſerviendi aliis, refrigerat, verbo, quod vitae communitatem disjungit. (§. 102.) Idcirco ambigua in bonam partem, bona in meliorem, interpretanda ſunt, nec quae pulcre facta videntur, ea ſuſpicione injecta originis ab ignobilibus momentis ductae extenuari par eſt. Judicia ſiniſtra huic regulae contraria plerumque produnt livorem, amarulentiam & malignitatem judicantis, propriaeque impotentiae confeſſionem. *Atqui ego*, (inquit Plinius *in epiſtolis*) *optimum & emendatiſſimum exiſtimo, qui caeteris ita ignoſcit, tanquam ipſe quotidie peccet, ita peccatis abſtinet, tanquam nemini ignoſcat. Proinde hoc domi, hoc foris, hoc in omni vitae genere teneamus, ut nobis implacabiles ſimus,*

exo-

exorabiles illis etiam, qui dare veniam, niſi ſibi, neſciunt, mandemusque memoriae, quod vir mitiſſimus, & ob hoc quoque maximus, Thraſea crebro (ſed minus accurate) *dicere ſolebat: qui vitia odit, homines odit.*

§. CCXCIV. Actiones, quas imputamus, ſunt vel noſtrae vel alienae. Vidimus de his. Reſtat, ut de priori genere quaedam exponamus.

Argumentatio de conſenſu & pugna actionum propriarum cum legibus appellatur *conſcientia.* Praeter eum, quem (§. 53.) indicavimus, hic ſignificatus illi voci plerumque ſubjicitur. Nonnunquam vero non tam ipſum argumentandi actum, quam *facultatem* de *actionibus ſuis judicandi*, denotat.

Ex definitione data intelligitur, easdem *conſcientiae*, atque *imputationis moralis*, (§. 293.) eſſe diviſiones.

Si concluſio hujus argumentationis enuntiat conſenſum actionis noſtrae cum lege, ad quam illa exigitur (examinatur); vocatur *bona*; ſin ſecus, *mala.* Haec parit *admodum vividam malorum actionis propriae effectuum cogitationem eo acerbitatis pleniorem, quo clarior eſt cognitio culpae, & quo tenuior eſt ſpes, vel deſperatio vehementior, poſſe praeſentes effectus malos reparari, futuros averti.* Quae quidem *fodicans mentem aegritudo* nomine *morſuum conſcientiae* appellatur.

Concluſio id enuntians, quod veritati legis & facti proprii convenit, *recta* dicitur conſcientia; ſi quem errorem contineat, *errans.* Ex quo patet, non poſſe *bonam* eſſe, niſi eadem ſit recta, eumque falli, qui *confidenter* concludat: *egi ſecundum conſcientiam, ergo bene.* Non enim, qui *opinioni ſuae de lege*, ſed qui legi obtemperat, tranquillus eſſe poteſt.

Si factum praecedat haec disquiſitio, bonum ſit an malum; *conſcientia antecedens* appellatur; ſi

co-

comitetur, dum quis in eo eſt, ut deſtinata perficiat, *comitans*; ſi ſequatur, *conſequens*. *Certa* dicitur, quae *ſecundum certam legis & facti cognitionem* pronuntiat: *probabilis*; *quae a cognitione legis factive probabili* concluſionem ducit; *dubia*, quae in utramvis partem nihil ſtatuit.

Probabilitas, *qua nititur conſcientia*, augetur pro *rationum multitudine & pondere*, ex quibus intelligi poteſt, 1) *pactionis legisve obſcurae vera ſententia*. *cui convenienter judicandum & agendum eſt*, 2) *factum praeteritum fuiſſe bonum aut malum*, vel *hujusmodi*, *ut non poſſit nobis imputari*; *factum vero futurum propter veroſimilem cauſarum externarum concurſum eos habiturum eſſe effectus*, *propter quos ſuſcipi aut omitti mereatur*. Si *factum* non aliter, quam per teſtes cognoſci queat, qui verum ſcire poſſint, & dicere velint: conſcientia hos ſecuta eſt probabilis: veluti non habet, cur angorem capiat *judex*, qui dictis teſtium claſſicorum in errorem inductus tulit ſententiam. Similiter regulas *a facto naturae*, quod non omnibus aeque notum eſſe poteſt, ductas, (v. c. *artis medicae*) vel *legibus peregrinis* publice adſcitis comprehenſas, ſi quis ab earum peritis petat ac ſequatur; habet, cur ſe conſoletur, ubi aberraverit: cujus *erroris probabilis* excuſatio etiam *in foro* haud rejicitur. Verum ſi quis, non quid ſit, ſed quid aliis *eſſe videatur*, *legibus naturalibus conſentaneum*, inquirat, vel ſi quis *factum*, quod ipſe indagare debebat, aliena coecus fide aſſumat: conſcientia in his rebus ſola auctoritate aliena nitens non eſt *probabilis*. Non eſt e. c. quod, qui populis praeſunt, omni ſe culpa exſolvi arbitrentur, ſi quas res ipſi debebant inveſtigare, eas omnes in miniſtrorum ſuorum conſcientiam, ut ajunt, transferant.

Argumentum a tuto, quod vocant, continetur

tur ſub conſcientia probabili, ſi id praeferas, in quo ſi erres, haud pecces, (e. c. *in quaeſtione, num liceat homini Chriſtum colenti cum fratris vidua contrahere nuptias?*)

Habitus animi, in expendenda factorum ſuorum conditione morali (*moralitate*) inanes erratorum ſuorum excuſationes (*extenuationes*) reſpuentis, dicitur *conſcientia tenera.* Ea, quae *ſcrupulorum plena* (*ſcrupuloſa*) vocatur, eſt angor hominis, id, quod licet, agere, aut, quod recte fecit, approbare pertimeſcentis, ex ignorantia verae legum ſententiae ortus.

Conſcientia, quam *cauteriatam* dicunt, minus proprie hoc nomine venit, eſtque potius *defectus conſcientiae actuoſae.* (§. 53.) Denotat enim animum inepte ſecurum, ab actionibus ſuis examinandis abſtinentem, ideoque cauſas malorum ſuorum, a ſua ipſius culpa eſſe profectas, ignorantem.

§. CCXCV. Si *ambigas, recte an contra ſe habeat actio, quae ſuſcipienda proponitur, abſtinendum ab ea eſt, & ſtatus praeſens continuandus.* Nam dum anceps haeret animus: nullam rationem praeponderantem cognoſcit, propter quam ſtatui ſuo praeſenti praeferat ſtatum novum, qui proponitur. Igitur ſtatum praeſentem non mutat. (e. c. *bellum ob cauſam dubiam non decernit.*) In id vero incumbendum eſt, ut intellectis probabilioribus argumentis vel confirmetur animus in ſententia non agendi illud, quod proponitur, vel ad hoc efficiendum inclinetur. Haec perſuaſionis argumenta praebet rationum, quas propria meditatione eruimus, aut quas *alieno ſuppeditatas ingenio* approbavimus, clarior intelligentia & pondus gravius, non autem ſola aliorum hominum auctoritas, niſi ſub ea, quam (§. 294.) indicavimus conditione.

Error conſcientiae oriri poteſt *ex falſa cognitione* vel *facti*, vel *legis.*

Errans aut id fecit, quod quamvis eſſet officio contrarium, tamen a ſe fieri oportere putavit; aut non fecit. Si non fecit; *malos* quidem *effectus* vitavit, quos eadem actio, ſi conſummata fuiſſet, ſecundum naturae ordinem habitura erat, ſed *animum ſimul* demonſtravit *corruptum*, *qui quaelibet commoda officio praeponere non dubitet.* Si ſecundum animi perſuaſionem fecit, quod fieri non oportuit, vel, quod oportuit, non fecit: mala iſtam actionem conſequentia ſibi, tanquam auctori contra officium agenti, non poteſt non exprobrare, (§. 41.) *quam primum intelligit, ſe erraſſe, & errorem vinci potuiſſe.* Nam licet a *dolo*, ſeu a *propoſito contra legem agendi*, abfuerit; tamen culpa non vacat. (§. 287.)

Alia eſt ratio erroris, qui vinci non potuit. Ejus non datur imputatio *moralis.* (§. 284.) (v. c. cum frater & ſoror absque culpa ſua nuptias inceſtas fecerunt inſcii.)

§. CCXCVI. Si error hominis, ſecundum ſuam de officio opinionem agentis, *ſocietati* vere ſit *noxius:* haec quid faciet? Feretne malum ſibi a ſocio inſtans aut illatum? an reſiſtet?

Demet homini errorem, ſi poteſt; ſi non poteſt; tolerabit errorem levem, nec pro more militaris imperii vindicabit, aut *coecam obedientiam* exiget. Errori grave malum gignenti ita reſiſtet, ut intra *neceſſariae defenſionis terminos* (§. 130.) ſe contineat.

In ea *ſocietate ſpeciali*, (§. 125.) in qua ſinguli in corpus univerſum ejusve moderatorem conferre potuerunt & contulerunt jus ſemet puniendi, corpus, cui aggregati ſunt, poenis *gravioribus* & conſti-

tuen-

tuendis & irrogandis reſiſtere poteſt malis actibus ab eo errore naſcentibus, quo non repreſſo vinculi communis fundamenta convellerentur. Quae poenae ſunt conſtituendae *pro ratione* cum *damni in totum coetum redundaturi, niſi erranti ac male agenti reſiſtatur*, tum *culpae in eo admiſſae*, quod is, qui propter damna ſocietati, pro animi ſui, ut putabat, religione, data punitur, ſibi non caverit ab iſto errore, vel certe *ab actibus externis, tali errori vincibili conſentaneis*.

Rabioſe agit *fanaticus*. Principem, qui ſecum de religione haud conſentit, de medio tollere, facinus putat ſublime, *gloria* & *remuneratione aeterna* digniſſimum. Facile poterat ſe ipſum convincere erroris, dummodo pactum, quod cum ſocietate fecerat, conſideraret. Haec ſi diſpliceret, integrum ipſi erat, diſcedere. Manet tamen, & impio furore coecus principem necat. Coetus, cui adſcriptus erat, ſuum judicium, neceſſitate nunc exigente, opponit judicio hominis, fundamenta, quibus ſalus communis nititur, concutientis; & poena illi inflicta terret alios, ne exemplo inflammati tam dirum, Deo tam ingratum, ac tam execrabile nefas moliantur.

SECTIO VIII.

Jus naturae, ejusque partes.

§. CCXCVIII. Actiones, quae imputantur, alias eſſe *juſtas* vidimus, alias non *quidem injuſtas*, ſed *officio* tamen (*imperfecto*) contrarias. (§. 256.) Juſtas ſeparatim tractari, & leges de iis a natura conſtitutas ſeorſim colligi, tanto

majorem habet utilitatem, quanto & privatis & populis exitioſiorem eſſe errorem, evincit experientia, cum fines juſti & aequi confunduntur.

Ob hanc cauſam diſtingui coepit *Jus Naturae* a *caeteris philoſophiae moralis partibus*, non quaſi pugnent, aut non pleniſſime conveniant utriusque diſciplinae praecepta, aut quod quisquam, qui haec diſtinguit, putet, juſtitiae naturalis cultum a virtute ſejunctum ad beate vivendum *ſufficere*; ſed quod jura & officia, quae natura *effectis* & *momentis* diſtinguit, (§. 301.) a philoſophis, naturam magiſtram ſequentibus, ita tradi oportet, ut ea conjungant quidem, *quia arcte cohaerent*, ſed conjuncta accurate diſcernant.

§. CCXCVIII. De *virtutis*, vel dicam, *aſſequendae per virtutem felicitatis diſciplina*, quae vocatur *Ethica*, plenius egimus. (§. 231. *ſeqq*) Haec ut vidimus, *originem ac colligationem legum naturalium ab ordine felicitatis, hominum generi divinitus deſtinatae, diſtincte ductam* exponit. Jus Naturae vero eſt *complexus earum legum naturalium, quae jura & officia perfecta conſtituunt.* (§. 286.)

Partem duntaxat horum jurium complectitur definitio, quam affert ULPIANUS, cum *jus naturae* eſſe dicit, *quod natura omnia animalia docuit* Argumento, quod in hac definitione ineſt, *a convenientia inſtinctuum hominis naturalium cum ſtimulis brutorum ad leges vivendi hominibus datas*, caute utendum eſt. Invaluit illud inter Jctos veteres, propterea quod *Stoicorum diſciplinae* eſſet conſentaneum.

Vires cognoſcendi & impulſus naturales ſingulis animantium generibus attribuit natura, quibus ad id, propter quod exiſtunt, bonum impetrandum indigent. Hos impulſus dum ſequuntur, nec ſui

ſui aut diverſi generis animalibus nocent, nec nocere poſſunt.

Ad altiora, quam ad quae ſtimulis naturalibus ducantur, nati ſunt homines. Propoſitus ipſis a natura eſt continuus in perfectione progreſſus, & vere dixerim continua perfectionis ab aliis ad alios propagatio, ut quae a majoribus tradita acceperunt, ea elaborata & perfectiora transmittant ad poſteros. Id quod non eveniret, ſi ſat haberent, vivere vitam naturali animantium ductui ſimilem. Minus haberent bonorum, & plus mali. Negligerent ſuos, uti bruta foetus ſuos, quam primum ſibi victum quaerere poſſunt: ignotorum vero, & poſteritatis, & totius generis humani cura plane non afficerentur.

Igitur valde vacillat argumentandi ratio: hunc in modum agunt animantia; ergo idem dum faciunt homines, non peccant. Brutis animantibus non nocet *inceſtus & promiſcuus concubitus;* ideone homo *veri* commodi ſui ſtudioſus recte exclamaverit cum *Myrrha* apud *Ovidium*, *felices! quibus iſta licent?* Nullum decori & verecundiae curam animadvertimus in animantibus. Ideone ex vero cenſuit *Diogenes Cynicus*, verecundiam eſſe ab arte, non a natura profectam, & huic repugnare; quod enim honeſte fieri poſſit, illud poſſe fieri palam?

Eſt tamen, ut (§. 33.) vidimus, quaedam, quamvis ad totam vitam regendam non ſufficiens, (§. 52.) vis argumenti, quod a ſtimulis naturalibus, vel homini propriis, vel ipſi cum brutorum genere communibus, ducitur: modo caveamus, ne quae *educationi & longinquae conſuetudini* debentur animorum affectiones, (§. 49.) eas naturae adſcribamus; veluti fit ab iis, qui, *quod vocant, jus talionis ab impulſu naturae ducunt*, vel qui *polygamiam* naturae *adverſari*, ex *inſtinctu*, quem ſumunt, *Zelotypiae* colligunt.

 Sunt

Sunt multa homini bona, ac propterea officiorum numero, ad quae ſtimulis ſuis homines recta via non ducuntur, ſed ratione. (v. c. *mori pro patria*) Sunt alia, quae omitti oportet, licet ad ea facienda ſtimulo inſito feramur. (v. c. ut *vi fracta impulſionis ingenitae, qua ad nos defendendos ferimur*, a quadam adverſus injurias *defenſione* (§. 130.) abſtineamus.)

§. CCXCIX. *Juris Naturae* appellatio aliquando *diſciplinam* ſignificat. Hoc ſignificatu intellecta, eſt *diſciplina, quae jura & officia naturalia perfecta diſtincte tradit*: vel ſi mavis, eſt diſciplina, quae *originem & complexum jurium atque officiorum naturalium perfectorum ex eo colligit ac demonſtrat, quod ſine illis ſocietatis humanae tranquillitas conſervari non poſſit.*

Pax (ſecuritas) generis humani eſt ſtatus hominum jucundus ex illaeſa jurium poſſeſſione ortus.

Legum naturalium, in primis earum, quibus officia ſocialia continentur, (§. 125.) *pars* eſt Jus Naturae. Igitur ad hoc pertinet, quicquid de legum naturalium affectionibus ſeu attributionibus *univerſe* aſſeruimus. (§. 220. *ſeqq.*)

§. CCC. Si quaeratur enuntiatio prima, *in qua legum ad Jus naturae pertinentium fundamentum ponatur*, (§. 242.) hanc putamus aſſeri poſſe:

Sic dirige actiones tuas liberas, ut cum ſtatu pacato [quiete, ſecuritate, tranquillitate, pace] generis humani conſentiant. Conſentiunt vero, cum eidem *non opponuntur.*

Veritas hujus enuntiationis evidenter patet ex *vinculo naturali, quod inter conſervationem ſocietatis & felicitatem humanam* (§. 129. 254. 256.) intercedit.

Ex quo enuntiato colligimus haec axiomata:

I.

I. *Omnis actus liber, qui per ſe tranquillitatem ſocietatis humanae convellit, prohibetur Jure Naturali.*

II. *Cujus facti intermiſſio haberet hunc effectum neceſſarium, ut ſtatum pacatum generis humani recta via convelleret, id factum Jure Naturae praecipitur.* (§. 229.)

III. *Id, quod ſtatum quietum ſocietatis humanae haud deſtruit, Jure Naturae permiſſum (licitum) cenſetur*, hoc eſt, *per vim vindicari non poteſt.*

Hinc patet, 1) doctrinam *Juri Naturae* contrariam eſſe eam, *qua admiſſa neceſſario oriretur perturbatio ſocietatis humanae.* (§. 129.) Enimvero 2) ea facta juri naturae non repugnant, quae poſſunt *occaſionem dare* litibus & turbis. (v. c. *occupatio rerum nullius* ideo non adverſatur Juri Naturae, quod poſſit fieri, ut qui occupandi animo confluunt, inter ſe committantur.)

Ea autem enuntiatio generalis 3) eſt Juri Naturae contraria, qua admiſſa neceſſe eſt oriri lites *nunquam finituras.* Nam haec diſciplina eo non ſpectat, ut *lites ſerat*, ſed ut eas *accurata juſti injuſtique diſtinctione* tollat. Talis v. c. eſt doctrina, *poſſe bellum geri poenae cauſa*, (§. 302.) vel ſi quis tradat, *poſſe arma ſumi ad ingratum animum vindicandum*, cum ex (§. 117.) pateat, *acceptionem beneficii* non eſſe *contractum*, proinde *animi ingrati ſignificationem non eſſe laeſionem.* (§. 257.)

4) Licita in diſciplina Juris Naturae dicuntur, quae vindictae humanae haud ſubſunt, utut ſint facienti aut ſocietati noxia, & vitia nefaria. (§. 260.)

Tandem 5) quamvis *ea officia* dicantur *abſolute naturalia*, quae ex *notione quietis hominum communis* colligi poſſunt, hoc eſt, quibus ſublatis evinci poteſt, quietem generis humani interituram; tamen putandum non eſt, illa officia, *quae civitatum legi-*

bus ſtatuuntur, eſſe *naturalibus oppoſita.* Ea enim, *quae ſtatuerunt homines*, non ſunt officia, niſi *quatenus praeceptis juris Naturalis non repugnat*, *ea legibus humanis ſanciri.* (§. 304. 318.)

§. CCCI. Ex dictis planum eſt, vinculo quam arcto *Ethicae firmitas & cognitio* cum *Juris Naturalis diſciplina* & *intelligentia* conjungatur. Verum patet ſimul, quibus notis hae diſciplinae diſtinguantur. Differunt *effectu*, ſeu *bono*, quod ſpectant, *remediis*, quae ſuppeditant, ac *momentis*, quae animis ad recte faciendum inculcant.

Ethica (*Naturalis*) totum *felicitatis humanae* orbem proſequitur, quatenus *experientia & ratio* ejus cognitionem aperiunt. Jus Naturae partem illius felicitatis, in *pacis* ſive *quietis* conſervatione poſitam, ſeparatim tractat.

Illa animum *ſanare* conatur, dum docet *recte agere*, *& gaudere*; hoc ſpectat eo, ne *actus externi* hominum hominibus noceant.

Illa docet, quemadmodum de ſocietate *bene mereri* poſſis: hoc iis, quae *plene* (*perfecte*) *debentur*, praeſtitis nullum relinquit *merito* locum. Illa effectus *remotos* quoque *malae actionis imputat*, quos quemque praemeditari oportuerat, tanquam *certos*, *probabiles*, aut *poſſibiles*: (§. 288) hoc imputat *proximos*, cum de poenis infligendis & damni dati aeſtimatione agitur, ne ex uno malo infinita, & ex lite una litium ſeges progerminet.

Illa ipſam redarguit *dubitationem*, num agas, an praetermittas, quod rectum eſſe noſti, & *ſcelus qui cogitat ullum*, *facti crimen habere* tradit: hoc, utrum aegre an lubens feceris officium, non inquirit. Illa momentis jucundis animum ad virtutem flectit: hoc deterret injuſta molientem, atque primum inno-

nocentiae praemium ponit in vacuitate metus, ne, ſi ultro nolis, invitus officium facere compellaris. (§. 274.)

§. CCCII. Partes Juris Naturalis (§. 298.) ſunt *duae*: altera, *ſuum cum homine natum* comprehendit, ac vocatur *Jus Naturae abſolutum*, altera *ſuum acquiſitum* complectitur, (*v. c. jus dominii, contractuum*) & appellatur *Jus Naturae hypotheticum*. Utrumque ad *quatuor praecepta* revocari poteſt, quorum ſumma huc redit, ut non violentur quatuor jurium (§. 263.) recenſitorum genera.

Cum omnium hominum natura (§. 42.) ſit aequalis, & pari felicitatis ſuae appetitu, pari juris ſui defendendi ſtimulo agitentur univerſi: denuo patet, (§. 263.) *aequalia* omnia eſſe *jura cum hominibus nata*. Hanc aequationem non *religionis*, neque *opum*, *ingeniorum*, *ſtudiorum*, *atque vel torvitatis cujusdam vel elegantiae morum* differentia tollit: (§. 300.) *ne bella omnium cum omnibus aeterna* oriantur, a quibus natura abhorret. (§. 129.)

Inaequalitas jurium inter diverſos homines, praeter eam, quae a *juſta* naſcitur *occupatione*, (§. 263.) vel a *pactis* proficiſcitur, vel a *factis illicitis*, quibus alii aliorum jura violarunt.

Quae a *pactis* venit inaequalitas, tanta eſt, quantam potuere velle, & voluere, qui paciſcuntur. Quam qui affirmat, probare debet. Ergo quatenus non potuere homines ingenita ſe libertate abdicare, (§. 304.) vel abdicationem juris eſſe factam, probari nequit, eatenus manent aequales. *Inter cives* quoque ſupereſt *naturalis aequalitas*, quatenus ipſorum pactis mutuis, vel pacto, *quod quisque fecit cum civitate*, aut legibus *civilibus juſtis*, *in quas eodem pacto conſenſerunt*, non eſt immutata.

Quae ex *factis illicitis* ſeu *laeſionibus* oritur jurium diſcrepantia, ea *ſecundum praecepta juris naturalis* finitur, & redit aequalitas, quam primum is, cui inſtat injuria, eam amovit, vel haec reſtitutione aut ſatisfactione impetrata ceſſat. Recuperavit enim jus ſuum, ergo nihil ſupereſt juris, quod perſequatur.

Prohibet itaque natura, homini adulto, qui ad rationis uſum pervenit, poenas ab iis infligi, quibus earum ſibi irrogandarum poteſtatem neque *verbis* neque *factis* contulit. Omnis ad poenam humanam perpetiendam obligatio proficiſcitur a *conventione.* In illam conſentire *civem*, ex civis definitione colligitur. Inter pares ac populos nullum *natura* conſtituit *jus puniendi*, nullum, qui puniret, *judicem* creavit, ne *quies communis* puniendo intereat. (§. 319.)

§. CCCIII. Ex his apparet, 1) male Juris Naturae nomine ea comprehendi, quae moribus inveteratis ſtabilita pro jure habentur: (uti *jus bellicum vetus* poſitum *in licentia ſaeviendi adverſus hoſtem, etiamſi abjectis armis hoſtis eſſe deſiiſſet*) 2) longe abeſſe a vero ſententiam veterum quorundam, & recentiori aetate in primis HOBBESII, qui juſtum & injuſtum non natura, ſed demum pacto diſtingui, contendunt, atque adeo nullum admittunt Jus Naturae, niſi pactitium.

Quod qui ſtatuunt, *aequalitatem juris* colligunt ex *naturali aequatione virium ſibi mutuo nocendi, ſeque occidendi*, ac homini cuique *aequale jus* tribuunt faciendi, quod lubet, modo perſuaſum habeat, eo, quod facit, ſe indigere ad jucunde vivendum. Unde colligunt, differentiam juſti & injuſti a voluntate paſciſcentium, & *in civitatibus* ab imperantium arbitrio, *cui ſe cives plene ſervorum inſtar ſubjecerint*, proficiſci; omnem itaque injuriam, quae ho-

homini ab homine fieri poſſit, eſſeviolationem pacti.

Vidimus, (§. 263.) *jus illud omnium in omnes* cum aequalitate naturali pugnare, quam pacis, atque adeo felicitatis communis cauſa, inter omnes natura conſtituit. Falſo enim traditur, quantum cuique ſit libidinis, tantum ei juris dediſſe naturam, & id jus eſſe, quod ei, qui plus poteſt, utile videatur. Natura non cujusvis arbitrio permiſit, definire, quid ſibi conveniat: ſed quid ſit bonum malumque omnibus, proinde & ſingulis, illud legibus immotis terminavit. (§. 29. 166.) Eſt itaque aliquod jus antiquius pactis, & quidem a natura ipſa homini cuique aſſignatum. Quod vero jus eſſe non poſſet, niſi reliquos homines oporteret, aut ab ejus violatione abſtinere, aut eo violato pati, ut vis vi repellatur, & damni reparatio ipſis vi extorqueatur. (§. 264.)

Deinde ſibi ipſi repugnat *Hobbeſius*. Si, quod ille putat, jus nullum eſt ante pacta; nullum poteſt oriri ex pactis. Haec enim cur ſunt ſervanda? Nonne, quia eorum violatione alteri jus ſuum eripitur? Hoc vero jus a quo accepit? Ab altero, quicum pactus eſt, inquis. Ergo habuit alter jus, quod pacto transferret in accipientem. At ſecundum *Hobbeſium* non habuit, quod daret, quia cuivis eſt jus in cujusvis res ac perſonam. Ergo qui uni jus in ſe tradit, is hoc demit caeteris hominibus, qui in eam pactionem ſibi noxiam haud conſenſerunt, proinde promiſſum eſt irritum. Denique ſi natura cuique dedit jus faciendi, quod cupit, quicquid ex eo mali in alios redundet; contra naturam facit, qui eo jure per pactum decedit; ergo non tenetur ſervare fidem, ſimulatque hujus ſanctitatem ſibi detrimento fore intelligit.

Ve-

Voluit, inquit Hobbesius. Sed velle deſiit. At tum ſibi repugnat, ait, quod in ſcholis *abſurdum* dicitur. Sed quid ſi perfidiam ſuam defenſurus reſpondeat, ſibi multo videri abſurdius, ſervare, quod promiſiſſe pigeat, quam fateri errorem ſuum, & pactum diſſolvere? Cadit pactorum fides, quae fundamento tam lubrico ſuperſtruitur. Cum fide, ſecundum eandem *Hobbeſii* diſciplinam, corrueret *omnis juſtitia*, quia hanc a ſolis pactis oriri ſtatuit. Ergo nullum foret jus inter homines. *Pro jure* foret *voluntas valentioris*, proque juſtitia *enſis.*

§. CCCIV. *Juris Naturalis orbe* cum *jura*, tum *officia perfecta hominibus univerſis communia* continentur. (§. 299.) Jurium naturalium complexus *Juris Naturalis permittentis*, nomine venit: officiorum vero naturalium perfectorum complexio, *Jus Naturae praecipiens* audit.

Cum vulgo traditur, *Jus Naturale praecipiens mutari non poſſe*, *permittens poſſe*: haec enunciatio hanc habet ſententiam; non poſſe quenquam ſe ipſum ſolvere officio perfecto, ſed ejus demum, cui obligatur, conſenſu ſolvi poſſe. Licet cuique juris ſui uſum intermittere vel ad *tempus*, vel in *perpetuum*; partim, quoniam in hac diſciplina dicitur licitum, *quo nemo laeditur*, (§. 262. 300) partim, quod jura homini data ſunt pro ſubſidiis felicitatis; haec autem non cujusvis juris uſu intermiſſo vel amiſſo perit aut labefactatur, ſed *quadam jactura* nonnunquam augetur.

Abdicatio juris eſt declaratio propoſiti perpetui jure quodam nunquam utendi, ſed patiendi, ut is, in cujus accipientis commodum facta eſt abdicatio, nos per vim cogat, ut uſu illius juris in ſe translati ſemper abſtineamus. Hujusmodi abdicatione fieri poteſt,

teſt, ut 1) *officium imperfectum* convertatur *in perfectum*: (§. 256.) (v. c. gens genti non debet auxilium; foedere icto debere incipit) 2) ut *libertas* ſeu *jus plenum agendi, quod velis*, auferatur, (e. c. *ſponſalibus contractis deperiit libertas nova ineundi*) 3) ut jus ea ab altero, quae *plene* debet, exigendi, vel omnino intereat, (*creditor v. c. liberat debitorem*) vel *jure perfecto amiſſo duntaxat ſuperſit jus quoddam minus plenum* (§. 173.) rogandi *ob aequitatem* (§. 272.) *ne quis jure, quod in ipſum tranſtulimus, adverſus nos utatur.* (Veluti ob indigentiam donatoris improviſam quandoque *aequitas* injungit ei, cui facta eſt donatio, non exigere, quod donatum eſt.)

Singularis eſt conditio jurium, quae quibuslibet civibus natura, aut conventio ſpecialis cuidam civi, tribuit adverſus principem. Manent jura vera, quamvis eorum violationem uon tam vi armata poſſint vindicare ſinguli, quam (*quod in jure publico accuratius definitur*,) pro loco, tempore, & cauſa quandoque populus.

At quousque ſecundum leges naturales licet homini de jure ſuo decedere?

Permiſſa ac valida abdicatio eſt ea, quae non e diametro repugnat fini, ob quem natura diſtinxit jura hominum, & ad ſua ſingulis aſſerenda vim conceſſit, (§. 258 259.) hoc eſt, qua non efficitur, ut homines vivendo cum hominibus *deterioris fiant conditionis quam futuri erant in ſolitudine.* Jus, quod poteſt dimitti ſine felicitatis interitu, nec hominem ſubjicit *arbitrariae* alterius malitiae, valide dimittitur Hoc numero eſt quodlibet *jus acquiſitum hominis* in *rem ſuam*, & *in rem vel perſonam alterius*, ſeu is, qui jus ſuum dimiſit, re aut opinione ſua receperit, quod tantundem valet, ſeu minus. His enim juribus aut non acquiſitis aut dimiſſis vel non diminuitur felicitas

citas, ſi in vicem ejus, quod alienatum eſt, aliud, quod parem habet aeſtimationem, reſtituitur, vel certe, *detrimento licet gravi accepto, & quacunque compenſatione deficiente* homo non deſinit eſſe homo, neque idcirco in vexationes odioſas & perpetuas ac privationem proſperitatis (§. 21.) immergitur.

Alia eſt ratio juris cum homine nati, (§. 263.) *corpus ac libertatem ſuam* adverſus vim alienam tuendi. Hujus juris abdicatio valet, quatenus fieri poteſt, ut uſum ſocietati praeſtet, atque alienanti proſit. (§. 168.) Non valet autem promiſſio, qua cogaris, *injuſta facere, aut facinoris alieni, jure naturae prohibiti, eſſe adjutorem aut miniſtrum:* (§. 289.) quia *promiſſor jus quisque ſuum* transfert, *jus* vero *laedendi* nemo habet, ergo *jus ſemet cogendi, ut laedat*, nemo transferre poteſt. (v. c. *judex promiſſo ſententiae injuſtae ferendae haud tenetur.*) Neque rata eſt pactio, qua quis, ſine ullo ſocietatis fructu, ſe alterius malitioſo arbitrio, malignitati alienis doloribus ſemet exſaturanti, & ſaevae impotentiae ita tradit obnoxium, ut *patientiam infinitam* promittat. Hinc judicari poteſt, quid ſentiendum ſit de his quaeſtionibus & ſimilibus: *num quis obſes ſe obligare poſſit ad ſupplicium? num quis navarchus, poena capitis propoſita, periculum tempeſtatis ſuſcipere? num valeat pactum juratum de odio perpetuo inimici communis, etiamſi cum eo gratia reconciliari poſſit? num cuiquam liceat, ſe in ſervitutem ita addicere, ut quaevis dira patiatur, famem, cruciatus, & quotidiana, quae non promeruit, ſupplicia, ut e. c. ferat, quod apud Romanos factum fuiſſe legitur. muraenis ad lubitum domini trucis ſe objici, utque nunquam ſibi liceat, ſe adverſus dominum ſaevum defendere, vel fugere?* (confer. §. 318.)

SEC-

SECTIO IX.

Juriſprudentia Naturalis, ejusque perfectio, & uſus in ſtudio Juris Gentium, publici, privati, & in ſcientia legum ferendarum, ac diſciplina prudentiae civilis.

§. CCCV. Quantum diſtet, nöſſe leges vivendi, & ſecundum eas recte de factis judicare, ex doctrina de imputandi arte (*Sect.* 7.) patet.

Haec judicandi difficultas ex duplici fonte oritur. Alter eſt *perplexitas facti*, cum anceps eſt animus, ad quam regulam illud referat. Alter eſt difficultas *cognoſcendi veritatem facti*, quamvis, eo probato, nulla ſuperſit obſcuritas, adeo ſuſpenſum tenens animum, ut de *juſtitia ejusdem facti* pronuntiare vereatur.

Paucis contingit acumen nativum, haec facile & diſtincte pervidendi. *Meditatione* id demum & *exercitatione* plerique acquirunt; iisdem vero remediis omnes perficere poſſunt.

His qui utuntur ſubſidiis, illi acquirunt *habitum animi, ſecundum doctrinas Juris Naturalis diſtincte cognitas factorum juſtitiam & injuſtitiam vere dijudicandi.* Qui quidem animi habitus appellatur *jurisprudentia naturalis.*

Jurisprudentiam univerſam veteres dixerunt *philoſophiam*, in *juſti & injuſti ſcientia*, hoc eſt *diſtincta* ſive *ſolida cognitione*, poſitam. Philoſophiam enim, ut puto, indicant verba vulgaris definitionis, ex Pythagorae diſciplina hauſta: *rerum divinarum ac humanarum notitia.* Poſſes itaque ex mente veterum ju-

juriſprudentiam naturalem vocare *philoſophiam ad id, quod natura juſtum vel injuſtum eſt, dignoſcendum applicatam.*

§. CCCVI. *Veritas* judiciorum de factis ſingularibus, & *promptior facultas* ea faciendi, eſt fundamentum perfectionis, quae in hoc *prudentiae* genere quaeritur.

Haec prudentia in eo verſatur, ut partim ſuas quisque actiones, partim alienas regere, vel certe, quid alios pati, facere, aut non facere, ac praeſtare oporteat, in re praeſenti accurate definire norit. In hac judicandi perfectione augenda progreſſus gradatim fieri poſſunt. Mens quo uberiori & clariori imbuta eſt praeceptorum Juris Naturalis cognitione, quo majorem factorum perplexorum multitudinem ad illa exigere, quo & verius, & certius, & promtius de factis judicare valet: eo perfectiori pollet prudentia Juris Naturalis.

§. CCCVII. Cum diſtincta doctrinarum *Ethicae*, &, quod hujus *fundamento* nititur, *Juris Naturae* intelligentia conjungi debent ſubſidia, quibus *judicium* ejus, qui velit in cauſis diſceptandis verſari, acuitur, & *praeſentia animi* augetur.

Judicium exacuitur partim diligenti legum naturalium collatione cum factis plurimis, quae in vita communi, in foro, inter populos, veniunt in disquiſitionem, partim accurata indagatione cauſarum, a quibus errores eorum, qui male judicarunt, ſunt enati. Qua in re magno uſui eſſe poteſt conſortium cum viris, qui in negotiorum publicorum luce vivunt, ſcriptorumque ab his profectorum ſolers lectio.

Praeſentia animi in dijudicatione factorum conſervari aut augeri nequit, niſi removeantur ea,

qui-

quibus mens diſtrahi, & a vero quaeſtionis cardine reperiendo atque diligenter conſiderando ſevocari poteſt. Huc pertinent, nimia feſtinandi cupiditas, praejudicatae opiniones, concitatiores animi motus, orti ab arrogantia id, quod ſemel dictum ſcriptumve eſt, emendare recuſante, a gratia, ab odio, ab invidia, a metu, ab indole nativa.

In primis nativa indoles prout ad lenitatem aut ſeveritatem eſt proclivior, ita eos, qui de factis alienis in vita *communi* vel in *foro* judicant, adducere poteſt, mitiores, ut jus opinata quadam capti aequitate evertant, rigidiores, ut cogitare deſinant, *ſummum*, ut veteres ajunt, *jus eſſe ſummam crucem.*

§. CCCVIII. Quanti interſit, eorum praecipue, qui *negotia populorum aut cauſas privatorum forenſes* tractant, in diſciplina juris naturalis ſtrenue eſſe verſatos; apparet ex incommodis, quae ejus ſtudii neglectum conſequuntur.

Haec primum in *vita quotidiana* ſunt graviſſima, cum in judiciis de privatorum, & eorum, qui imperium adminiſtrant, actionibus fines juſti & aequi confunduntur.

Deinde, in primis ſtudio *legum divinarum*, [*juris divini revelati*] & *humanarum* praemitti legum naturae cognitionem, expedit. Haec enim, ut a *jure divino* ordiar, haud parum valere poteſt ad complura officia, quae in *ſacro Codice* tradita putantur, expungenda aut accuratius definienda. E. c. nunquam vitae ſervandae cauſa eum eſſe interimendum, qui nos aggreditur; non pati officium Chriſtiani, ut habeat *ſervum.* Eodem pertinent quaeſtiones; num liceat principi Chriſtiano, dare veniam cuiquam homicidae? quousque pateat impe-

rium, quod viro in uxorem vulgo adſcribitur? num liceat facere divortium cum uxore? nuptias *ſecundas* contrahere? *actione injuriarum* experiri? *foenus* accipere? *militare*? &c.

Deinde plurimum refert, naturam, voluntatis divinae quoque interpretem, conſuli ad quaedam, quae officiorum numero minus recte eximuntur, reſtituenda & corroboranda, in primis autem ad *vera Eccleſiae jura & officia* dignoſcenda: v. c. num ad hanc pertineat *jus aſyli*? num *cognitio* de jure *contractuum juratorum*, *de reſciſſione rerum judicatarum ſub obtentu peccati vitandi*? *num quod jus ſacrorum ordinandorum ad principem pertineat*? *quale illud ſit*? *quantum*? &c.

Poſtremo, pleniori *legum naturalium* intelligentia imbuti ab eorum errore erunt alieniſſimi, qui rempublicam ex *Chriſtianis veris* compoſitam poſſe beatam eſſe, aperte negant.

§. CCCIX. Jura voluntaria, (*poſitiva*) quibus inter ſe populi, vel qui ejusdem civitatis ſunt conſortes, utuntur, Juris Naturalis doctrinis, tanquam firma baſi, pariter nituntur.

Sunt vero vel gentibus quibusdam aut omnibus communia, vel uni genti propria. Illa *Juris Gentium*, haec *Juris Civilis* nomine appellantur.

Jus Gentium eſt *complexus jurium & officiorum perfectorum inter populos*. Haec ſunt vel *omnibus communia*, vel *a quibusdam populis communi conſenſu conſtituta*. Illa *Juris Gentium naturalis*, (*aeterni*, *primarii*) haec *voluntarii*, (*poſitivi*, *ſecundarii*) nomine deſignantur. Jus Gentium voluntarium, quo populi Europaei (exceptis *Turcis*) utuntur, vulgo appellatur *jus Gentium Europaeum*.

Ipſum *juris* vocabulum innuit *jus Gentium* differre

re a diſciplina honeſtatis Gentium, quam nonnulli ſub eodem nomine comprehendunt; rati, omnes populos eſſe conſiderandos tanquam unum corpus, cujus partes communi utilitate devinciantur, ut ſinguli ſingulis non ſolum non detrahere, ſed & prodeſſe debeant. At *complexus officiorum minus perfectorum*, quiibus gentes ſibi mutuo obſtringuntur, *ad Ethicam Populorum* referri poteſt; juris, quod bello vindicetur, vim non habet.

Graeci inter ſe juſtitiam eſſe colendam affirmantes, *a juris aequi communione excluſerunt* populos, quos vocabant *barbaros*. ab eaque doctrina non plane alieni fuere *Plato & Ariſtoteles*. Univerſe *Epicurus* negavit, eſſe *aliquod jus Gentium*, quia gentes omnes foedere communi jungi non poſſint, ſine pacto autem non exiſtat *vinculum juris communis inter pares*. (§. 303.)

At vero Jus Naturae aeque *populos univerſos* obſtringit, ac ſingulos homines. Nam neque numerus hominum ſocietates ineuntium, nec vis unita valet mutare praecepta juris collecta ex ordine rerum naturali, quo quid ſit utile & exitioſum ſocietati humanae, ſemel definitum eſt. An ſibi conſentanea foret natura, ſi, quod prohibet facere ſingulos adverſus ſingulos, ne ſibi ipſis noceant, id ſineret committi a multis millibus conſociatis nullo horum incommodo?

Eſt itaque jus, quod in bello & pace populis omnibus, etiam cultioribus adverſus barbaros, ſanctum, & *illis* quidem, *quoniam ſunt cultiores*. ſanctiſſimum eſſe oportebat, quia continet praeſidium firmiſſimum communis populorum libertatis ac ſalutis.

Sceptrorum vis tota perit, cum pendere juſta
Deſinis.

At enim inquis, *leges* num populi *ſemper armati co*-

gitent, qui nunquam non volunt metui aut metuunt? inter quos *perpetua* eſt *diffidentia ac concordia diſcors*? An horum patitur *mutua relatio*, ut rigor regularum Juris Naturalis *aeque ad ipſos*, *atque ad privatos*, applicari poſſit? Poteſt omnino. (§. 330.) Quam leviter ab eo, *quod non ſemper fit*, argumentum ducatur ad id, *quod fieri non poteſt*, exemplo vel uno declarabimus. Quot ſeculis! orbis Europaeus tenuit hanc opinionem; bella ſine plena praedandi, vaſtandi, occidendi, ad ſervitutem rapiendi, licentia geri non poſſe; & eos, qui illa fieri non oportere praeciperent, leges alteri orbi profuturas ſomniare. Vindicavit naturae jura praeſens diſciplinae militaris rigor, & huic praeſertim ſeculo glorioſa juris bellici temperatio.

§. CCCX. *Jus Gentium voluntarium* non ex *ſola utilitate*, ſed ex conventionibus populorum *expreſſe* initis, aut ex ipſorum factis, vim *conventionum tacitarum* habentibus, enaſcitur. Eſt itaque iis, qui conſenſerunt, proprium. Mutabile eſt, ſed communi conſenſu: qua in re differt a Jure Civili, quod mutari poteſt ſola ejus, a quo conditum eſt, voluntate. Num hujus juris, a *populis Europaeis in mutuam utilitatem* conſtituti, ſcientiam eſſe neceſſariam, dubitari poteſt, quo graviſſima belli & pacis negotia reguntur?

Atque in illo tum probando, tum a conſuetudine, quae in jus abire non poteſt, & a regulis *decori atque humanitatis populorum* diſcernendo, eſt opus pleniori non ſolum hiſtoriae recentioris, ſed & juris naturalis cognitione. Hiſtoria ſuppeditat facta, quibus probatur conſenſus populorum in mutuam obligationem. Jus Naturae decernit, num ea obligatio contrahi potuerit: quod ſi ita ſe habeat, ipſam

ipſam ex conſenſu verbis factisve declarato prognatam, Juris Gentium nomine appellamus.

Datur pars ejusdem juris, quae ex *retorſione* naſcitur. Haec quousque ſit *neceſſaria*? facti eſt quaeſtio: quando *licita*? Juris Naturalis.

§. CCCXI. Jus civile (§. 309.) eſt complexus legum ad communem civitatis cujusque utilitatem conditarum. Eſt bipartitum, *publicum* & *privatum*. Jus *publicum* eſt complexus *legum pactitiarum inter principem & cives*; vel eſt *diſciplina*, *quae mutua principis ſummi ac civium jura & officia perfecta exponit.*

In hoc jure explicando occupatis *duas quaeſtiones* ante oculos verſari oportet: unam, quid princeps & cives ſibi promittere *potuerint*; alteram, quid *voluerint*. Illam a fonte *Juris Naturalis* duci oportet. (§. 304.) Haec partim *a natura pacti civici*, partim a *pactis conventis cujusvis populi ſpecialibus* pendet. Unde oritur diviſio *juris publici* in *generale* & *ſpeciale*.

Juris publici ſpecialis ſtirps eſt jus publicum generale, quo illud explicatur, ſuppletur, corroboratur. Ex hoc complures arduae & maximi ponderis controverſiae ſunt dirimendae, quae conventorum inter principem & cives tabulis raro deciduntur, quasque hoc loco tractare, vetat *inſtituti ratio* V. c. num aliquando magiſtratui vel principi *non obedire*, vel verbis, vi, armis, *reſiſtere*, liceat ſingulis, univerſitatibus, aut populo? Si liceat, *quousque*? Quis ſit *tyrannus*? Cujus de tyrannide ſit *judicium*? Quando majeſtatis, ac ſpeciatim laeſae erga principem vel magiſtratus reverentiae, crimen admittatur? Quando perduellionis? Qui ſint rebelles? Qui vero juſti libertatis ac jurium ſuorum aſſertores? Quid

ſit minimum & maximum vel in juribus principis, vel in libertate, proinde quis imperii, quisve obſequii civium & patientiae, modus? (cf. §. 531.)

§. CCCXII. Praeter leges, quae formam & adminiſtrationem imperii fundant ac conſtituunt, (*fundamentales*) (§. 311.) ſocietates civiles indigent legibus, quae actus privatorum ad commune bonum, & ad ſingulas ejus partes, eo, qui cuique civitati maxime convenit, modo dirigunt.

Hae leges vel jura privatorum mutua definiunt & defendunt; vel ſingulis ea imponunt officia, quae, cum ſervantur, non tam partibus civitatis, quam civitati, proſunt, quibus autem violatis haec recta via laeditur, ac duntaxat oblique ſingulis nocetur. Ad poſterius genus pertinent leges, quae *rem aedilitiam* ſpectant.

Complexus (vel alio ſignificatu *diſciplina*) *legum civilium, quae privatorum mutua jura & ipſorum officia perfecta erga civitatem definiunt*, vulgo dicitur *jus privatum.* Hoc jus vel eo ſpectat, ut confirmentur ac ſanciantur praecepta Juris Naturae, aut ut quaedam officia *naturalia minus perfecta* convertantur *in perfecta*, vel ut *officia naturali jure perfecta* vim ſuam (*obligationem externam*) aut omnino perdant, (veluti *pactum, ut non ſoluto debito pignus fiat creditoris*) aut eam ex parte amittant; (*veluti eorum, quae luſu perdita ſunt, non ſolet dari perſecutio in foro, ſed negari ſolutorum repetitio.*)

Duplici modo conſiderari poteſt *jurisprudentia privata.* Primo, cum quaeritur de *jure privato dando, corrigendo, abrogando;* quae disquiſitio proprie pertinet ad *jus publicum;* deinde, cum agitur de jure privato, quod conſtitutum eſt, explicando, & vel ad cavendum, vel ad abſolvendum, vel ad con-

condemnandum utendo, quae ſunt partes *juris privati ſtricte dicti.* Recte itaque *jurisprudentiam privatam* lato ſignificatu intellectam definias, eſſe *habitum animi leges bonas in civitate de privatorum mutuis juribus & officiis perfectis dandi, aut eas, quae datae ſunt, diſtincte cognitas ad facta dijudicanda applicandi.*

Ac primo quidem jurisprudentiae, in *jure privato, quod conſtitutum eſt, exponendo & ad facta accommodando* verſantis, fundamentum, idque ſolidum, eſt *Jus Naturale.* Fruſtra ſunt, qui hujus juris uſum ad *ſtatum naturalem* (hoc eſt, *ſtatum hominum communi imperio civili haud conjunctorum*) reſtringunt: in quo ſtatu ſunt poſiti *Reges ac populi liberi, privati, qui nullius ſe imperio ſubjecerunt, diverſarum civitatum cives, illive, qui in mari libero, in inſulis deſertis, verſantur* &c. Enimvero ad omnem hominis *ſtatum adventitium* convenit Jus Naturae. Datum eſt *homini*, ergo & *civi.*

Corroborat leges civiles. Supplet in his omiſſa. Docet illas recte interpretari. In ambiguis cauſis normam decidendi ſuppeditat. Artem de factis ſingularibus recte judicandi juvat & auget.

Robur, quod leges civiles a jurisdictione & a poenis mutuantur, non omni loco & tempore ſufficit. *Anguſtam eſſe innocentiam hominis ad legem boni*, recte dixit SENECA. Leges ut animum quoque, ſibi a nulla vindicta metuentem, conſtringant, ſeu, ut vulgo dicitur, *obligent in conſcientia*, Juris Naturae ſubſidio indigent.

Supplet Jus Naturae, quae Juri Civili deſunt, ſeu non ſcripto, ſeu ſcripto. Illius (hoc eſt *juris, quod inter ejusdem civitatis cives moribus invaluit*) fontem habent doctrinae *Juris Naturae*, ex quibus intelligitur, quousque conſuetudo legibus derogare, aut legem vel inter ſolos cives, vel inter principem & ci-

ves, facere poſſit? quo actu, vel quorum actuum ſimilitudine probetur? Quaenam regulae ab *analogia* eorum, quae moribus ſunt introducta, duci debeant?

Inſuper manifeſtum eſt, *legibus ſcriptis* non omnia comprehendi ſolere, nec poſſe. Recurri proinde oportet ad *fontem cujuscunque juris privati*, nempe ad jus a natura conſtitutum. Hoc regitur *arbitrium judicis*, & efficitur perſpicax in tractandis cauſis *civilibus*, in primis in *modo inquirendi atque animadvertendi in criminoſos*. Jus Naturae idcirco, quod ſupplet, quae *Juri Civili* deſunt, ab ULPIANO recte appellatur *jus commune*.

§. CCCXIII. Afferemus quasdam, quae ex aſſerto noſtro, *Jus Naturae in qualibet civitate retinere vim juriscommunis inter privatos*, (§. 312.) videntur manare concluſiones: & quidem 1) *quod natura juſtum eſt ſeu licitum, illud in civitate quoque fieri juſte, niſi Jure Civili prohibitum eſſe doceatur.*

Sume, legibus civitatis non eſſe proditum, num liceat propinquum, vicinum, vel quemvis ignotum, qui in praeſenti vitae periculo haeret, per vim defendere, & ſi is aliter ſervari non poſſit, cum caede invaſoris injuſti? Natura conceſſit hoc jus cuivis homini, cujus humanitas diſcrimine alieno inflammatur. Lex civilis non prohibet. Igitur violentus vitae alienae defenſor etiam in civitate a reatu abſolvetur.

2) Modus naturalis, quo homines jus acquirere, vel id, quod habent, in alios transferre posſunt, idem eſt in civitate, quamdiu lege civili non eſt aliter proviſum.

Hinc 3) pacta, quae Naturali jure valent aut non valent, eundem habent exitum in civitate, niſi hujus leges diverſum a naturali doctrina jus conſti-

tue-

tuerint. (e. c. *cum quaeritur*, *rata ſint an irrita pacta de ſucceſſione?*)

Similiter 4) cum natura nullas homini *poenas* dictet *arbitrarias*, hoc eſt, *a laeſi vel aliorum judicio & voluntate pendentes*; etiam in civitate *laeſiones* duntaxat gignunt actionem ad *perſequendum id*, *quod nobis debetur*, nec tranſeunt in *crimina*, niſi his lege civili accenſeantur. Male concluditur: *fit impune*, *ergo juſte*; vel contra; *fit injuſte*, *ergo non impune.*

§. CCCXIV. Aequitas, quam a *juſtitia* differre vidimus, (§. 272 279.) aequitas, inquam, *interpretis legum ac judicis* redit ad ejus, quod legislator non dixit, ſed ſenſiſſe, voluiſſe, conceſſiſſe videtur, definitionem & accommodationem ad factum.

Aequitas *opinata* eſt & officio contraria, quae *verbis legum apertis ſententiam interpretis affingit*, *ſeu vere aequam*, *ſi lex civitatis non obſtaret*, *ſive lege etiam ſilente iniquam.* Verſatur vel in duritie legis manifeſta corrigenda, vel in eo, quod *benignitati* eſt conſentaneum, (§. 272.) neque lex *civilis aut Jus Naturae a quoquam invito exigi poſſe* ſtatuit, ſupplendo & adverſariis injungendo.

Primo judicis non eſt, mandati a principe accepti fines excedere, legem iniquam tollendo, niſi hanc poteſtatem nominatim acceperit, ſed de effectibus malis, ex lege clara, ſed dura, naſcentibus ad principem referre. Quod ut lucide & ad perſuadendum apte fieri poſſit; diſtincta verae & genuinae aequitatis notione animum informaverit, neceſſe eſt.

Deinde obtrudere litigantibus pro jure, quod ſola, ut faciant, humanitas & honeſtas ſuadet; uti officio & interpretis & judicis eſt contrarium, ita & res exitioſi exempli. Repugnat lex naturae, quae in talibus negotiis coactum, utpote

 ſo-

ſocietati noxium, repudiat. (§. 277.) Repugnat lex civilis, quae judici haud dedit facultatem a praeſcriptis Naturalibus deflectendi. Ab his declinaret judex, ſi v. c. adverſarios cogeret tranſigere; ſi victus debitoris precibus daret neceſſariae ſolutionis prorogationem in complures annos; (*moratorium* vocant) ſi, ut videretur miſericors, pauperibus attribueret privilegia, quae dare ſolius eſt principis; ſi inter proximos conſanguineos & affines, ſemper compenſaret litis expenſas, aequum putans, in honorem arctae neceſſitudinis neutrum adverſarium habere pro litigatore temerario; ut alia exempla taceam.

Mulrum itaque refert, fines juſti & aequi, quos jus naturae regit, accurate cognoſci, ne judex eos temere commiſcens, dum putet ſe jus reddere, bona fide faciat injuriam.

§. CCCXV. *Vera judicantis aequitas* naſcitur *ex regulis veris de aequitate interpretationis factorum ac legum civilium, ad id factum, de quo dijudicando agitur, applicatis.*

Quod ad *facta* attinet; diſciplina Juris Naturalis non ſolum docet *probationes naturae contrarias*, (v. c. ſuperſtitioſas illas, quibus usque ad *ſeculum* fere XVI. inquinata fuere judicia) diſcernere a legitimis, & harum (e. c. teſtium, documentorum) pondus exquirere, ſed etiam *dolum & culpam* metiri. Tradit praeterea conjecturas probabiles, quemadmodum homines vel pro *naturis* ſuis, vel pro *conſuetudine ſe mutuo imitandi* ſentire & agere ſoleant. (*praeſumtiones juris*) Poſtremo docet *ſuſpiciones ex repetitas* (*praeſumtiones facti*) dijudicare, quae licet per ſe poſſint videri exiguae, tamen cum ſunt coacervatae, probationem adjuvant ac quandoque abſolvunt.

In

In primis *accuſatori*, *defenſori*, *judici crimina vindicanti*, ad hunc fontem accedendum eſt, ut *indicia levia* diſcernat a *veriſimilioribus*, quae ex ipſo negotio, ex *facti veſtigiis*, ut ait *Cicero*, ſumuntur. (uti *permutatio coloris*, *oratio inconſtans*, *tremor*, *fuga*, *vita ante acta*, *indoles nativa*, *affectio animi*, *quam ſexus*, *educationis*, *conſuetudinis ratio veroſimilem efficit*, *confeſſio eorum*, *qui ſocii criminis dicuntur* &c.) Arbitrium judicis, cui multum in his rebus delatum dicitur, num legitimum eſſe poteſt, ſi ſcientia indolis humanae non illuminetur?

Deinde, quod ad *explicationem legum civilium* attinet, quas earum conditores ipſi non ſolent regulas tradere, eas jus Naturae ſuppeditat; (§. 312.) multumque de hac arte meruit Grotius. Hae regulae ſunt ſimplices, &, praeter grammaticas vocum explanationes, huc redire videntur: *ſententiam legis* eſſe convenientiam eorum, quae lege non clare expreſſa ſunt, cum legis fine, hoc eſt bono, ad quod obtinendum lex ſpectat; hujus enim conſtitutorem non eſſe parem cenſendum *domino*, mandata ſibi contraria, aut quae ad ſcopum haud ducant, temere danti, ſed in illis, quae lege ſua velit efficere, bono publico & ſibi conſentaneum. Ex quo ſequitur, 1) mentem legislatoris ita eſſe explicandam, ut nihil, quod juſtitiae naturali repugnet, 2) nihil, quod fini ſuo adverſetur, ſtatuerit, nihil 3) quod huic ſit conſequens, excluſerit, tandem 4) nihil cuiquam *duri* injunxerit, niſi aliquid gravius, quam plerumque fit, conſtitui neceſſe fuerit, ut quod lege efficiendum eſſet bonum, effici poſſet. (Sic non videtur lex omnia, quae fieri prohibet, ubi facta ſint, dirimi voluiſſe, ſi negotii conſummati toleratio minus mali in civitate proſeminet, quam re-

reſciſſio, v. c. *matrimonii ante finem anni luctus*, *aut*. *quod paſſim vetitum eſt*, *inter conſobrinos contracti*. (cf. §. 323.)

Tandem (§. 312.) cum argumenta interpretum, de vero juris civilis ſignificatu diſſidentium, par pondus habere videntur, is eſt praeferendus explicatus, qui a Juris Naturalis praeſcriptis quam minimum deflectit. Hanc regulam, ſuperioribus (§. 312. 313.) expoſitis conſentaneam, veterum JCtorum auctoritas confirmat.

§. CCCXVI. Supereſt (§. 312.) duplex jurisprudentiae Naturalis uſus in ſcientia *Juris Civilis*, alter, quod ſyſtemati hujus apte & ad *uſum forenſem accommodate* contexendo inſervit: alter, quod *artem* leges civiles ad facta applicandi egregie adjuvat. Regulas enim comprehendit, ex obſervata infinitorum factorum ſimilitudine collectas. Animus hujusmodi factorum diligenti contemplatione praecultus ſenſim ſine ſenſu imbuitur arte *cardinem quaeſtionis* in factis perplexis, quae in foro ſecundum leges naturales vel civiles decidenda ſunt, celerius reperiendi. Quo invento, facilior eſt *facti cum lege* collatio, proinde & *ſententia*, quae nihil eſt niſi *concluſio legi & facto conformis*, *jus litigantium definiens*.

Quare judices & cauſarum patronos multum juvat, controverſias, in quibus tractandis verſantur, primum ad dictata *naturalia* exigere, deinde ad *civilia*, & ſecundum haec demum decidere, ſi, quemadmodum inquit ULPIANUS, Juri Naturali *aliquid lege civili additum demtumve eſſe* appareat.

§. CCCXVII. Haec de *jure privato conſtituto*. Videamus de *conſtituendo*.

Le-

Leges civiles dare eſt ſuperioris, invenire ſapientis. Pars jurisprudentiae, quae in legum conſtituendarum peritia ponitur, (*nomothetica*) nobiliſſima eſt, quia bonum civitatis ſtatum fundat ac perficit: eadem eſt difficillima, quia ſingularem exigit proſpicientiam in futurum.

Verſatur in ſtatu civitatis meliori efficiendo per legum veterum abrogationem aut emendationem, ac novarum conſtitutionem, ſive ut ea, quae ſciſcuntur, valeant ad tempus, ſive ut vim habeant perpetuam. Quocirca eſt oppoſita *coeco & effreni legislatoris arbitrio*, quod eſt injurioſum in populum, & *obligationi principis naturali* (§. 159. 163.) contrarium.

§. CCCXVIII. Nulla lex civilis ferri poteſt ſine diminutione libertatis civium naturalis. Sed hujus nulla delibatio convenit imperantibus, niſi ob *ſalutem publicam* neceſſaria. (§. 325.) Huic regulae innititur germana legum civilium juſtitia & excellentia.

Enimvero nihil verius aut optabilius dici poteſt vulgari proverbio: *ſalus populi ſuprema lex eſto*, ſi, qui imperium tenent, *ſuum ſub communi bonum comprehendere* velint: ſed nullum dictum eſt magis cereum in perniciem publicam flecti, ſi nolint.

Verae civium *libertatis ac ſalutis publicae* notiones ac terminos explicat *jus publicum*, (§. 311.) quod eſt *pars juris naturalis*. Hoc vero non ſolum docet, *nihil unquam eſſe utile*, *niſi quod idem ſit juſtum*, (§. 267.) ergo nec leges *bonas* eſſe, niſi eaedem ſint *juſtae*, ſed etiam has ab injuſtis aut iniquis diſcernendi viam ac rationem demonſtrat.

Leges injuſtae ſunt, quae *id facere*, *non facere*, *pati*, *cives jubent*, *quod ſe facturos*, *omiſſuros*, *per-*

perpeſſuros, principi ſpondere non potuerunt, (§. 304.) *vel ſi potuerunt, noluerunt, ac, ne ſibi injungeretur, diſerte ſibi ſtipulati ſunt.* Noluiſſe cives ſe lege aliqua onerari, cognoſcitur vel *ex pugna aperta* ejus, quod praeſcribitur, cum *eſſentia pacti civici*, vel *ex conventis inter principem & cives factis*, (*legibus fundamentalibus*) *quibus quid ſibi invitis injungi nolint, cives diſerte declararunt.*

His conſequens eſt, ut 1) *injuſtae* ſint leges, *quae jubent exteris inferri injuriam.* (§. 309.) Juſtae quidem, ſed *iniquae in exteros* ſunt illae, quae his id negari jubent, quod quamvis naturali jure non ſit debitum, tamen ipſis absque civitatis incommodo concedi poterat. (v. c. *negatum ſine cauſa connubiorum commercium*) Injuſtae leges non faciunt locum *retorſioni*, quia nunquam licet, *injuſtitiam alienam imitando* praecepta naturae violare: ſed iniquae irritant exteros, ut *retorſionis jure* uſi vel abrogationem legis incommodae efficere laborent, vel ſaturent cupiditatem ulciſcendi; qui vindictae aeſtus ſi privatim nocet, (§. 138.) populis eſt nocentiſſimus.

2) Lex eſt injuſta, *quae cives jubet id facere adverſus cives, quod natura vetat a quocunque homine unquam committi.*

Tales ſunt leges, quibus cives jubentur laedere infirmos, qui ſe ipſos defendere nequeunt. (§. 304.) (Hujusmodi fuit lex *Spartanorum de crudelitate adverſus ſervos dominis injuncta.* Idem vitium ineſt in lege, quam ſuaſit *Ariſtoteles*, *ne liberi educarentur debiles ac corpore vitioſi; quod ſi vero lege vetitum eſſet, exponere infantes, feminas facere abortum voluit, ne nimia hominum multitudo civitati eſſet incommoda.*)

3) Injuſta eſt lex, quae cogit cives, *injuſta* ſi-

ne

ne vero civitatis fructu *pati* V. c. cum is contra regulas de *efficaci imputandi modo* (§. 289.) *vere particeps poenae alienae* ſit, qui nihi mali commiſit. (Cujusmodi fuere leges *Carthaginenſium, Perſarum, Macedonum adverſus innocentes perduellium liberos & propinquos, aliorumque populorum inſtituta, quae ad inſontes 5 proximos cognatione poenam conjurationis extenderunt.*)

4) Legibus injuſtis recte ea adnumeratur, quae ut vitium aliquod de civitate tollat, praecipit vitia. (Plato, *uti avaritiae exterminandae communionem bonorum opponere voluit, ita inter conſilia de optimo civitatis ſtatu fundando hoc retulit, ut ad tollenda Zelotypiae mala cives uxoribus uterentur communibus.* Similiter culpari meretur inſtitutum *Thracum & Indorum, apud quos ut fides uxorum erga viros adſtringeretur, viduam oportuit ad flammam, qua corpus viri cremaretur, ſe ultro applicare.* Neque praetermittenda eſt lex *Babyloniorum*, quae *foeminam ſemel, dum viveret, ſe vitiandam cuivis peregrino, qui primus mercedem offerret, in aede Veneris tradere* juberet.

5) Lex nocet principi & populo, quae, contra mentem conventionis civicae, commodum totius coetus civilis ponit in eo, quod ſingulis vere eſt perniciofum; (*v. c. quae jura fiſci privatis damnoſa ſtatuit*) vel quae

6) exiguae civium parti quaeſtum affert plurimorum damno (v. c. *quae monopolia exitioſa ſancit*) vel quae

7) *In aliorum privatorum commodum* ea *libertate* privat civem, quam natura cuivis dedit, nec quisquam, qui civis ſit, abdicare velit, aut ſi velit, poſſit. (§. 304.)

In exemplum propono *legem Babyloniorum*, qua co-

cogebantur *virgines pulcrae venales propoſitae nubere emtoribus, ut ex earum pretio dos conſtitueretur deformibus, quas nemo peteret, & hoc modo omnes collocarentur.*

Neque juſta foret lex, quae tutelam vitae neceſſariam (*inculpatam*) civibus adverſus quoscunque cives auferret, vel ultra humanum modum coërceret.

§. CCCXIX. Ex eo, *quod ſalva eſſe debeat libertas plena ſingulorum, niſi ejus coarctationem magna populi utilitas neceſſario poſtulet,* (§. 318.) concludimus; non quaslibet leges, per ſe juſtitiae naturali haud adverſantes, ſed eas demum recte ſtatui, aut conſtitutas retineri, quae acerbitatem ex coercita libertate naſcentem compenſent majori acceſſione bonorum, aut deminutione malorum ſocietatis. Tales vero non ſunt, quae ut ſerventur, opus eſt remediis tam violentis, ut ab his *plus noxae, quam ab illarum omiſſione aut abrogatione,* immineat civitati.

Populus eſt coetus hominum, qui ad violandas leges civiles iisdem, quibus ad leges naturales negligendas, cauſis impelluntur. Cujusmodi cauſae ſunt: *ignorantia vel deſperatio utilitatis verae ex obedientia ſperandae; praeſens malum, quo diutius urgeri intolerabile putant, ſed absque legis violatione liberari nequeunt; ſpes boni admodum deſiderati, qua, ſi legem ſervarent, exciderent; odium legis oppoſitae praeſumtis, praecipue ſuperſtitioſis, atque inveteratis opinionibus, & conſuetudini longinquae &c.* His ſimilibusque legum violandarum irritamentis quam vim princeps bonus, hoc eſt, *boni publici remediis, quantum fieri poteſt, mitioribus obtinendi amans,* oppoſuerit? Statim ne *vim*

neſſitatem, *poenas*, *ſupplicia*? Fateor *remediis*, quae *medici* appellant, *heroicis* eſſe opus, cum evellendum eſt malum, quod dum *tranquillitatem communem* evertit, civitatis vinculum diſſolvit. Sic duro neceſſe erat cuneo, cum in *Germania*, regnante *Maximiliano*, *bellorum privatorum licentia aboleretur*. Sunt tempora, quibus convenit princeps *Aureliano* ſimilis, quem magis neceſſarium, quam bonum fuiſſe principem, referunt ſcriptores.

Enimvero non eadem pernicies inſtat ab iis malis, quibus non evertitur *quies*, ſed *proſperitas communis* labefactatur, aut *hujus incrementa* impediuntur: ſeu inertia obſtinata avocet cives ab inſtitutis ſalutaribus, (v. c. *a corrigendis agriculturae vitiis*) & pigritia inveterata eos a labore inuſitato dimoveat, ſeu pravis illi cupiditatibus, vitiis, moribus corruptis ad ea, quae florem civitatis impediunt, conanda incitentur. Haec mala ſi reprimi non poſſint, niſi remediis aſperrimis: praeſtat, legem per ſe ſalubrem non ferri, aut latam pudori potius & religioni civium commendari, ac praemiis, exemplis, aemulatione inculcari, quam medicamentum malo, cui adhibetur, depellendo nocentius praeſcribi.

Ingenioſe, & in parva civitate commode, *Zaleucus*, luxum feminarum refrenaturus, vanitati, a qua ille oriebatur, objecit contemtum: *Mulierem ingenuam*, edixit, *niſi forte ebria ſit*, *ne plures una ancillae comitentur. Extra urbem pedem noctu non efferto, niſi forte moechum accedat. Aureo ornatu & intertextis auro veſtibus non utatur, niſi vitam meretriciam profiteatur.*

In primis lenta magis, quam violenta proſunt remedia, cum princeps cupiat *evellere* errores *inveteratos*, eos praeſertim, qui *ſuperſtitionis clypeo muniuntur*, nec non *conſuetudinem vivendi a majoribus & veluti*

 cum

cum matris lacte ſuſceptam, *in primis eam*, *quae cum propenſione populi dominante intime conjuncta eſt.* Nimiam divortiorum inter volentes licentiam, civitati omni damnoſam, prohibuerat *Juſtinianus*. Sed praevaluere *mores*, & tanta legem mala ſunt conſecuta, ut *Juſtinus* II. eam abolere, &, quam *impar eſſet adultis vitiis*, palam facere cogeretur.

Quid igitur fiet, inquis? Prudentia gubernatrix notitiam *& veri & boni*, *inſtar aurorae diem praecedentis*, ſenſim propagando, errores praevalidos radicitus evellere poteſt. Quo facto cives haud querentur, id ſibi eſſe injunctum, quod quam ſibi ſit frugiferum, ſentiunt, vel id eſſe ſublatum, quod quam ſit ineptum, omnes intelligunt.

At cui bono ea cunctatio? Vis, inquis, vis militaris & punitor rigidus celerius rem conficient. Non ſemper. Verum eſto. Alia eſt ratio imperii *militaris*, alia *civilis*.

§. CCCXX. Igitur in legibus ſanciendis lente feſtinandum eſt, ac videndum, utrum praeſtet, *mores* corrigi *moribus*, an *legibus*. Quam apud quasdam gentes v. c. ad reprimendam *ebrioſitatis* & *execrationum* licentiam parum valuere leges ſaepe & magno temporis intervallo conditae! Quod malum lex non potuit, illud domuerunt mores: ex quo in aulis vitae quaedam elegantia, a turbulentis aliena oblectationibus, invaluit, & literarum cultus, feminarum exemplis incitatus, etiam eorum, qui quondam corporis, quam ingenii, dotibus eminere maluerunt, animos emollivit.

Cui morum corruptorum converſioni placide efficiendae inſervit diſciplina legum naturalium, (§. 231.) ducta ab uſu vitae, & *hiſtoriae civilis* luminibus adjuta. Haec enim non ſolum, quales oporteat eſſe homines, docet, ſed & quales ſunt, & in primis,

mis, quales fiunt, cum majori ſocietate vivunt conjuncti, tales pingit; originem inſuper ac progreſſus contagii praeſumtarum opinionum, quarum vi mores publici in pejus ruerunt, ideo ſcrutatur, ut *remedia tam parum, quam fieri poteſt, violenta* inveniat.

Mores gentis corrupti vel ſunt vitia *plurimorum aut conſpectiorum ex populo*, vel *vitia populi, tanquam populi.* Poſtremum genus oriri ſolet ex virium publicarum penuria aut copia: illa v. c. timiditatem adverſus exteros aut invidiam, haec faſtum quendam per totam gentem ſaepe diffundit. De Romanis CATO in oratione, quam (§. 284) laudavimus, *Rhodienſes*, inquit, *ſuperbos eſſe ajunt. —— Sint ſane ſuperbi. Quid id ad nos attinet? Ideone iraſcimur, ſi quis eſt ſuperbior, quam nos?* Hujusmodi vitia non tam legibus, quam primorum populi rectis ſenſibus & exemplis vel curantur, vel minuuntur.

Vitia *privata* plurimis aut primoribus communia vel conſiſtunt in lethargo quodam faciendi, quod in ſuum quisque aut civitatis commodum facere debuerat, vel in proclivitate communi id faciendi, quod plerisque & toti civitati nocet. Convenientiam morum in *his vitiis ſuſcipiendis* gignit ſimilitudo *indolis nativae plurimorum*, (§. 79.) (*temperamentum Gentis* vulgo dicitur) in quam multum valet coeli & aëris victusque ratio, inprimis autem tum ſimilitudo educationis, quae *ex naturali imitandi proclivitate* naſcitur, tum perpetua animorum in mutuam obſervationem intentio, quam arctior civium conjunctio nutrit. Ex indole nativa & ea, quam *imitatio & conſuetudo* gignit, intelligi poteſt, qua via tentandum ſit, ut *propenſiones populi dominantes*, ſaluti publicae contrariae, (§. 80.) non adoleſcant, malique vix curabilis vim nanciſcantur.

Hujus *vitiorum originis & progreſſus cognitione* ni-

titur ars *formandi mores publicos*, ſeu ars evellendi aut temperandi opiniones & cupiditates per totam gentem fuſas, novasque & meliores inſerendi. Subſidia ejus artis ſunt varia: *emendatio educationis privatae & publicae, quae utrique ſexui contingit; lux philoſophiae diſſeminata; ea ſacrorum publicorum adminiſtratio, ut recte faciendi ardorem inflamment; occulta quaedam ipſius otii civium & oblectationum, quibus indulgent, quaſi inflexio ad ſtudium ejus boni, quod vel ubique aeſtimabile eſt, vel pro cujusque civitatis forma praecipue aeſtimari expedit.*

§. CCCXXI. Qui fit autem, ut cum *natura* eas leges ſtatuat, quae *conducunt omnibus*, *ars* naturam in *ſtatuendis, quae ubivis adſciſcantur, legibus* non imitetur?

Differentia legum civilium non naſcitur a ſola diverſitate *opinionum*, quid ſit publice ſalutare aut incommodum, neque a *ſolis* pravis eorum, qui leges condunt, impulſibus & cupiditatibus, ſed etiam ab ipſa ſtatus populorum diſcrepantia. Ut taceam, ex *differentia formae imperiorum* naſci *neceſſitatem differentiae legum*; cauſae *naturales* & *morales* diverſae faciunt, ut non eadem bona, quae ſub *proſperitate publica* continentur, conveniant omnibus. Iisdem cauſis efficitur, ut effectus quorundam vitiorum ubique non ſint aeque noxii; (v. c. *ebrioſitatis incommoda ſunt graviora in quibusdam Aſiae, quam Europae, finibus*) poſtremo, ut eadem ubivis non ſit vis impulſuum, quibus cives vel *a veris commodis ſuis* avocantur, vel ad faciendum officium commoventur. (e. c. *inſtinctus honoris, & infamiae metus parem ubique vim non habent.*)

Differunt enim populi ſitu regionis, quam incolunt, commercio cum vicinis & longius diſſitis gentibus, terrae coeliqne conditione, educatione phyſica & morali. Unde naſcuntur tum variae

riae de rebus ad vitae jucunditatem & neceſſitatem pertinentibus opiniones, tum diverſi *elateres*, & quaſi nervi animorum, ad quosdam impulſus *malos bonosve* recipiendos magis quam ad alios diſpoſiti, quibus fit, ut aliis alii legibus aegrius aut lubentius obtemperent. Neque regnorum, quorum fines latiſſime patent, quibusvis eadem lex partibus conducit.

Ex hac ſtatus *phyſici & moralis civium* pariter ac *ſtatus publici in diverſis civitatibus differentia* apparet, *quandam juris privati diverſitatem inter populos neceſſariam eſſe, hoc eſt*, 1) *alias leges alibi eſſe neceſſarias, alibi ſuperfluas*, 2) *leges alibi utiles, & ad bonum, quod ſpectant, obtinendum ſufficientes, alibi eſſe mancas, imo noxias.* Inani itaque conatu in jurisprudentiam invehuntur, qui gentium aliquot leucis disjunctarum leges diſcrepare, atque alia inſtituta v. c. civitates ad *Rhenum ſuperiorem*, alia ad *inferiorem Rhenum* ſitas habere mirantur. Verbo, lex civilis juſta eſt eadem, quae publice utilis. (§. 318.) Sed non eadem ubique *bona externa impetrari poſſunt*, aut *ſi poſſunt, vere expediunt* civitatibus omnibus. Ergo nec leges, quarum eſt, actiones civium ad utilitatem communem dirigere, eaedem apud populos omnes eſſe poſſunt.

Sic lex, *quae prohibet, bona defunctorum cedere occupantibus*, cuivis populo ſalutaris eſt: ſed *non idem ordo ſuccedendi legitimus*, neque *idem jus teſtamenti faciendi cuivis imperiorum formae* congruit. Simili de cauſa non poteſt ubivis idem *pubertatis & majoris aetatis* eſſe terminus. *Natura* eum ex *ſignis manifeſtis judicii*, quod vulgo dicimus, *maturi* colligi jubet, & hanc *quaeſtionem facti*, ſitne maturum, illis, quorum res agitur, manifeſta *probatione* dirimendam permittit. Sed ne neceſſe ſit, *judicium de ſingulorum maturitate facere*, lex civilis regulam

generalem ſtatuit ſecundum coeli temperiem, & educationis ordinariae conſuetudinem, qua aetate ejusdem civitatis cives res ſuas per ſe gerendi vires adepti cenſeantur; ac quod plerumque evenit, id ſumit valere debere de omnibus, controverſia ulteriori ſemel ſubmota, num unus aut alter citius, quam lege proviſum eſt, an ſerius maturuerit.

Eleganter obſervat *Xenophon*, alias leges *Spartae* in republica militari, alias *Athenis*, in civitate mercaturae dedita, ſciſci oportuiſſe.

Sunt tamen leges populis cunctis vel utiles vel noxiae. Proſunt ubivis, quae praecepta Juris Naturalis abſoluta confirmant ac ſanctione muniunt; contra nocent cuivis genti, quae Juri Naturae repugnant. (§. 318.) Populo an ulli conduceret *lex vetus Romana de ſecandis debitoribus*, ſi intelligenda ſit *de diſſectione corporis*? Lex, *quae victimas humanas Dei Numini offerri vetat*, lex, *quae infantes exponendi licentiam*, apud Graecos, exceptis *Thebanis*, ac Romanos uſitatam, ſuſtulit; lex *Conſtantini* M. quae, *cruentis gladiatorum ſpectaculis ſublatis*, deteſtabilem voluptatem ex immanitate perceptam exterminavit, lex, *quae ſervis in coloniis juſta praeberi jubet, ac crudeliter cum ipſis agi vetat*, tales, inquam, leges populis omnibus ab utilitate ſua communi merito commendantur.

§. CCCXXII. Quibus conſequens eſt, ut, quemadmodum in vita privata maxime caveri debet, ne ingenito imitandi ſtudio incitati eos, quos non oportet, imitemur, ita in legibus ſciſcendis periculoſa ſit concluſio: *haec lex pluribus populis ſalutaris fuit*, *ergo & nobis erit*. Videndum itaque eſt, ne leges *aliorum populorum diaeteticae*, *formae regiminis*, *praeſumtis iisque inveteratis opinionibus*,

vi-

vitaeque privatae inſtitutis, *accommodatae*, temere ad exemplum trahantur. Non *eadem*, quae *parvis*, & *magnis* proſunt *civitatibus*. *Cenſorium judicium* non convenit *regnis*. Profuit *Romae pauperi:* Roma *ampla*, *& copioſa*, illud *ſeverum morum magiſterium demerſit*.

Honos merito habetur legibus & inſtitutis populorum, ſapientiae laude olim, vel etiamnum conſpicuis: ſed is degenerat in *admirationem & opinionem praeſumtam valde noxiam*, ſi leges alienae aciſcantur absque inquiſitione, num ſit probabile, eandem, quam illi tenuerunt, viam ſi nos calcemus, idem, quod illi, bonum nos eſſe impetraturos.

Rem militarem Europa nunc fere ad eandem formam ubique redegit. Legum diſciplinae num eadem eſſe poteſt ratio?

Ne *Moſaicas* quidem *leges*, utut ſapientiſſimas, ſalvo ſuo erga populum officio, princeps civibus ſuis praeſcripſerit, quatenus cum horum ſtatu publico & privato non congruunt.

Quamobrem ad Ethicam, regulas de cognitione indolis humanae tradentem, recurrendum eſt in hac gravi disquiſitione, quas leges alibi aptas repudiare, quasve perpetuo, vel ad tempus invehere, populi interſit, aut invectas tolerare, non quod ſint bonae, ſed quod minus, quam illae, quibus praeferuntur, ſint malae. *Nam neque medicorum*, inquit Cicero, *praecepta dici vere poſſunt, ſi quae inſcii imperitique pro ſalutaribus mortifera conſcripſerint, neque in populo lex cuicuimodi fuerit illa, etiamſi pernicioſum aliquod populus acceperit. Ergo eſt lex juſtorum atque injuſtorum diſtinctio ad illam antiquiſſimam expreſſa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quae ſupplicio improbos afficiunt, defendunt ac tuentur bonos.*

Ex eodem fonte haurienda ſunt conſilia, cum de legibus, quae *quondam ſalubres* fuere, *abrogandis* deliberatur. Ut mutatur *ſtatus populi*, (*per*

advenarum multitudinem, nuptias cum exteris contractas, peregrinationes, navigationem, bella, victus vitaeque modum ad mores externos conformatum, nova laborum, negotiorum, oblectationum, genera, opes populi quondam pauperis auctas) ſic quae olim fructuoſa fuerant inſtituta, incipiunt fieri inutilia aut noxia, noviſque opus eſt legibus, pluribus, contrariis. Igitur minus recte concluditur: *lex abrogata eſt, ergo mala fuit:* vel contra; *lex diutiſſime valuit, ergo ſalutaris fuit & ſapienter condita.* Uti in vita privata, ita in civitatum rectione magna eſt vis conſuetudinis. Adſueſiunt inſtitutis, qui imperant, & qui parent, atque damna, quae ex malis legibus enata vere ſentiunt, aut ab iisdem provenire non intelligunt, aut novitatis odio perferre malunt, quam antiquum non obtinere.

Summa eorum, quae diſputavimus, huc redit; *non quamlibet legem eſſe bonam, quae ad bonum aliquod efficiendum collineet*, ſed antequam feratur, inquirendum eſſe, 1) num bona, quae per ipſam effici velis, vere bona ſint, neque a majoribus bonis impetrandis excludant civitatem? 2) num in locum malorum, quae lege tolli aut extenuari velis, ſucceſſura non ſint graviora, ubi eam condideris? 3) Inter plures impulſus, quibus voluntates civium *ad legem ſervandam* commoveri poſſint, quis futurus ſit efficaciſſimus; & minimo eos, quibus lex datur, malo affecturus? Eadem cadunt in deliberationem, cum *de lege conſervanda* aut *abolenda* quaeritur.

§. CCCXXIII. In primis in diſquiſitione de *legibus poenarum mucrone armandis*, *Ethicae & Juris Naturalis* uſus eſt egregius: ſeu quaeratur, *quodnam facinus inter delicta referendum ſit?* (*id enim ſit demum lege Civili*) ſeu *de proportione & generibus poenarum*, ſeu *de modo veritatem facti crimino ſi eruendi*,

ſeu

ſeu de *arbitrio judicis inſtruendo*, cum in eo eſt, ut ſententiam ferat, hoc eſt, definiat, num crimen ei, qui coarguitur, vere *imputari* poſſit, & quousque? (§. 284. 285. 286.) Quantum ſit, hoc in genere philoſophari, tot legum antiquo & recentiori tempore conditarum exempla evincunt: quae ſeu *facta, quae criminibus adnumerantur*, ſeu *poenas*, ſeu *modum in foro agendi cum maleficis* ſpectes, *a ſupremo legum poenalium fine* longe deflectunt.

Hic finis eſt *defenſio neceſſaria adverſus facinora futura ſocietati noxia* *Poena* vero eſt *malum* (cives §. 218.) *a principe legis violatori conſtitutum, ne haec in poſterum violetur.*

Frequens legum de criminibus acerbitas magnam partem oritur ex his praejudicatis opinionibus: 1) *recte atque ordine facere quemvis legislatorem, qui quaelibet vitia & quascunque laeſiones criminibus accenſeat*; 2) *eandem quorumvis delictorum noxam ubique eſſe, ergo parem poenarum magnitudinem ubivis eſſe neceſſariam*; 3) *impulſiones, quibus homines ad facinora inſtimulantur, eandem vim in eadem civitate ſemper habere, ergo leges asperas ſemel neceſſarias, mutatis licet moribus publicis, retinendas, & nunquam emolliendas*; 4) *genera malorum, quae poenae in modum inferantur, apud populos omnes eundem terrendi effectum habere*; 5) *nullam inquiſitionis nimis callidam aut violentam inſtitui, neque ullam poenam nimis aſperam condi poſſe* 6) *Clementiam principis, qui delinquentem quenquam vel accuſatione, vel poena (utut minus ad defenſionem civitatis neceſſaria) exſolvat, eſſe imbecillitatem.* Etenim 7) *puniendos eſſe quoslibet maleficos, quia peccaverint, non idcirco, ne peccent.* His accedunt 8) *aeſtimationes criminum* non ex *effectu & delinquentium pravitate*, (§. 292.) ſed ex legislatoris privato *affectu.*

Quam horrendae olim fuere leges *venaticae* ac *ſylvaticae!* Quot leges atrociſſimae profectae ſunt ab *avaritia*, *metuque nimio eorum*, *qui ad gubernacula ſedent!* (Exemplum praebet *majeſtatis crimen* Romae regnantibus *Tiberio*, *Caligula*, *Nerone* &c.)

Falli eos, qui ſummam in civibus regendis & plectendis aſperitatem judicent neceſſariam; experientia docet. *Si ſola facti reſciſſio ad legem muniendam ſufficit*, cur *mulcta ſtatuitur? ſi mulcta*, vel *haud ignominioſa male facientis objurgatio*; cur *ſupplicium*, *infamia*, *carcer perpetuus?* Poenae *milita res* ſunt *acres*, ſed raro *infamant.* Saepe ne quidem poenis opus eſt. Obſtruantur, quantum ejus fieri poteſt, fontes maleficiorum, ut cives nolint admittere nefas; & efficiat vigilantia publica, ut non auſint.

In hoc efficiendo elaborare, & potius impedire crimina, quam venari criminoſos, eſt cura magiſtratuum glorioſa. Poena enim omnis infligit *malum.* Malum vero nulli ſocio peccanti irrogandum, niſi quod *ad defenſionem quietis & proſperitatis communis* plane eſt *neceſſarium*, (§. 319.) neque illo, quod ex delicto ſocietati infertur, majus.

§. CCCXXIV. Quamobrem pleniori indolis humanae intelligentia opus habet legislator: partim, ut dignoſcat tempus, quo deſcendendum eſt ad condendas vel abrogandas leges criminales, utque in iis, quae alibi conſtitutae ſunt, imitandis aut repudiandis non fallatur: partim, ne exiſtimet, ſolis legibus ſanguine tinctis, quales praeter DRACONEM dedere multi, poſſe homines in officio contineri. Nam ſi *naturae humanae vitio* tam pravi ſunt cives, ut non ſuſtineant impetus malos, niſi quamdiu trepidant, trepidatione autem ſublata confeſtim redeant ad malum ingenium: qui fit, ut ii ſoli, qui

dant

dant leges, non dubitent, ſe, quamvis ſint homines, inter tot irritamenta malorum, ſemper fore aut videri poſſe bonos? ſe, qui metuant neminem, hoc eſt, nullo nec legum nec judiciorum metu teneantur?

Certos clementiae & ſeveritatis terminos in legibus dandis, & exercendis, atque in venia delinquentibus danda, conſtituit *diſciplina morum & Juris Naturalis.* (§. 231. 301.) Non favet neglectui vindictae publicae aperte noxio, ſed nec permittit, ut *crudelitas legislatorum & magiſtratuum in coercendis factis illicitis* nomine *juſtitiae* honeſtetur. Eadem cauſas aperit, quibus efficitur, ut non tantum boni civitati conciliet, nec tot mala facinora avertat durus & truculentus, quam

Piger ad poenas princeps, ad praemia velox,
Qui doleat, quoties cogitur eſſe ferox,
Multa metu poenae, poena qui pauca coercens,
Invita jaciat fulmina rara manu.

§. CCCXXV. Hactenus de *utilitate plenioris legum naturalium cognitionis* in *legibus civilibus dandis, interpretandis, ſupplendis, ad facta applicandis.* Reſtat, ut uſum ſcientiae illarum legum in *diſciplina prudentiae civilis* diſpiciamus.

Magna ſe libertatis naturalis parte abdicant, qui cives fiunt, ut totius ſocietatis viribus adjuti, tantam felicitatis ſuae menſuram impleant; quantam nec ſoli ſibi ipſis praeſtare, neque ullius ſocietatis, praeter hanc, ope conſequi poſſint. Hoc conſilio obedientiam pollicentur. Ob hanc cauſam defertur & ſuſcipitur imperium.

Facere, quantum fieri poteſt, ut ejus voti *ſinguli* fiant compotes, eſt ſapienter regere (§. 163.) populum. *Felicitas* enim *populi* aeſtimatur *maxima* *mul-*

multitudine civium felicium, & firmitate ſpei, hunc civitatis ſtatum fore perpetuum.

Diſciplina artem regendi populos tradens appellatur *politica* (publica.)

Haec eo ſpectat, ut venerabilis & cara *foris ſit* civitas, *domi* quieta & concors perpetuos in proſperitate ſua, hoc eſt, *copia remediorum, quae, praeter quietem publicam, vitae felici civium adminiculantur*, faciat progreſſus.

§. CCCXXVI. Foris *civitas eſt venerabilis*, quam nulla gens laceſſere auſit. *Cara* & *in pretio* eſt *externis*, cujus commodis alii populi detrahere nolint, ne ſuis noceant, & cujus amicitiam vel ob magnam de ejus meritis & praeſtantia opinionem, vel emolumenti ſui cauſa expetant. Id vero quibus remediis efficitur?

Iisne, quae Machiavellus pinxit? dicam, an commendavit? Hoc eſt, cor adverſus exteros gelidum, dum verba mellita promuntur; legum naturalium, quae effreni opum & potentiae deſiderio reſiſtunt, callide ſimulata reverentia, dum occulte ridentur, earumque cultus in imbecillitate ponitur; ſemper praeſens juſtitiae fucus, ut injuriarum deformitas oculis ſubducatur, hae inquam, animorum affectiones, hae artes, num iis ſunt neceſſariae, qui civitates moderantur? Fides foederum, generoſus erga infirmiores, & gratus erga populos amicos animus, pudor, conſcientia, num privatorum duntaxat ſunt decora? num his ſolis proſunt? eorum vero in procuratione publicorum negotiorum rationem habere velle, num eſt ridicule id poſtulare, quod fieri nequit?

Tenemus, Ethicam, Jus Naturae, politicam non eſſe diſciplinas ſibi contrarias, ſed adminiculantes.

Fal-

Falſa ſunt vitae praecepta, quae ſine vero civitatum detrimento impleri nequeunt; ex adverſo *praecepta prudentiae* civilis *Ethicae & Juri Naturae contraria* recte dixeris telam fraudum aut partum deformem ejus violentiae, quae regnandi, &, ejus quod petitur, impetrandi cauſa omnia legum ſanctiſſimarum repagula perfringit. Ex quibus quidem doctrinis nullus tandem fructus capitur, niſi ut doceantur populi, in ſuam ipſorum necem proximam aut remotam eſſe ingenioſi. Non eſt naturae, quae hominum infirmitas, ut ſit impar iis, quae decrevit, perficiendis. Non foret ſibi conſentanea, ſi honeſtatis (§. 261.) violationem, quam hominibus univerſis noxiam abſolute vetuit, conceſſerit populis potentioribus & callidioribus, cum primum velint, effici *vere* fructuoſam.

§. CCCXXVII. Valeant, inquis, ratiocinia. De facto quaeritur.

Damus. Res itaque eo redit, num omnium ſeculorum hiſtoria evincat; reſpublicas non poſſe adminiſtrari absque iniquitate adverſus nationes exteras, ac neceſſe eſſe, quod Plutarchus in vita Pyrrhi Reges factitaſſe commemorat, *ut duobus nominibus pacis ac belli, tanquam numis utantur populi, non ad id quod eſt juſtum, ſed ad id quod utile dicunt*, favere fortunam violentis aut ſubdolis auſibus, atque omnem *poenitendi* cauſam ſubmovere, ſi non deſit prudentia?

Nos quidem putamus, hiſtoriam gentium Machiavello haud patrocinari, modo controverſia recte conſtituatur.

Non quaeritur de *ſucceſſibus proſperis conſiliorum juri, aequitati, humanitati, honeſtati contrariarum*, ſed *de felicitate populi per eosdem ſucceſſus aucta*. Num

po-

populus, qui aliis nocet majori detrimento ſuo, qui v. c. centum mille regionis externae incolas bello injuſto ſibi ſubjicit, amiſſis aut ad incitas redactis ducentis civium ſuorum millibus, emolumentis ſuis prudenter conſuluit?

Saepe, quae gentibus & earum rectoribus *laeta* videntur, tempore fiunt *triſtia.* (§. 268.) Sic e. c. Romani, quarum gentium quietem injuriis diuturnis affecerant, eas docuerunt Rhenum tranſire & Danubium, & ſe domare. *Hieroſolymam* quondam occuparunt cruce ſignati. Quanto quamque diuturno Europae detrimento! Si tam facile eſſet noſſe, & tam tutum indicare, fontes malorum manantes ex fauſto injuſtarum molitionum exitu, quam eſt frequens, bellorum hiſtorias in uſum artis bellicae contexere: ſeculis forte omnibus apparerent monumenta providentiae, legum ſuarum vigorem adverſus nefarios populorum quoque conatus ita vindicantis, ut intelligi poſſit, ex vero monuiſſe SENECAM:

> *Vos quibus rector terrae atque maris*
> *Jus dedit magnum necis atque vitae,*
> *Ponite inflatos tumidosque vultus.*
> *Quicquid a vobis minor extimeſcit,*
> *Major hoc vobis dominus minatur.*
> *Omne ſub regno graviore regnum eſt.*

§. CCCXXVIII. At vero, inquis, *Ratio reipublicae*, quam *Status rationem* vocant, *rigorem praeceptorum, quae vitam privatam ornant*, haud ſuſtinet. Illa vero quid eſt? *Neceſſitas remedii extra ordinem a regnantibus adhibendi, ut propoſitum ſuum aſſequantur.* Quale propoſitum? num injuſtum? Quale remedium? Hoc ſi a legum naturalium praeſcriptis deflectit, eſt medicamento ſimile, quod dum ſen-

ſenſum mali maxime urgentem aufert, morbum auget.

Uti inter privatos, ita & inter populos legem habet neceſſitas (*hoc eſt, inter duo mala unum eligendi.*) (§. 284.) Idcone, ut *malum aliquod grave abigatur vel tollatur*, jus cuiquam ſuum eripere licet? Tandem ipſum illud malum, cujus vitatio unico duntaxat remedio *minus aequo vel juſto* effici poſſe putatur, undenam ortum eſt? Num ab imprudentia? Sic ut culpae quisque ſuae noxam evitet, aliis detrahet? Sic e. c. ut *ſanguis civium malus mittatur*, bella gerentur? quaſi is ſine bello non potuiſſet *corrigi*. Saepenumero fingitur neceſſitas, cum prudentia gubernatrix debuiſſet *quoddam propoſitum* non habere, vel quod habet, bonis remediis, absque injuſtitia aut iniquitate, potuiſſet aſſequi.

In exemplum proponimus populum *potentiae & opum* incrementa ſitienter appetentem.

Num *ratio ſtatus vera* exigit, ut talis populus *praepotentem virium magnitudinem* vicinis opprimendis fundare aggrediatur? An vere ipſius intereſt, principatum obtinere virium? fines injuſte proferre? Saepe mole ſua laborant regna. Expedit cuivis populo viribus valere, ut non accipiat leges, non autem ut det aliis; magisque expedit, ut non metuat, quam ut metuatur. Olim Romani volebant videri *patrocinium orbis* verius, quam *imperium*, habere. Sed poſtquam a *Sullanis* inde furoribus deſitum fuit videri quicquam in ſocios iniquum, *jure* (inquit eloquentiae Romanae parens) *plectimur* —— *atque in has calamitates incidimus, dum metui, quam cari eſſe & diligi, maluimus.*

Suo robore niti ſemper conducit, ſed non ſemper conducit, aliena valere imbecillitate: intereſt quandoque gentis, ſupereſſe gentem, quam aemu-

aemuletur. Fervens ſtudium populi alios populos debilitandi, ut illis deinceps imperet, plerumque deſinit in propriam debilitatem. Roma, dum Carthaginem delet, in ruinam prolabitur. Cum foris non haberet hoſtem, quem pertimeſceret, domi invenit.

§. CCCXXIX. Quaerit *opes* populus. An ratio reipublicae (§. 328.) exigit, ut ea foris ſanguine & magnis demum jacturis quaerat, quae domi habet? Nulline ſuperſunt agri, quos colat? nulla metalla, quae ſcrutetur? Nulla opera manufacta, in quibus vires ingenii & laboris ſolertiam exerceat? Sine bello, ſine ſtudio ardente monopolii ſibi quibusvis ſubſidiis attribuendi, ſine mercaturae externae libertate ſublata, nullumne ſuppetit remedium cives, & per hos aerarium, ditandi?

Tot bellis, quae aemulatio & dominandi cupiditas genuerat, feſſa agnoſcit Europa; fontes divitiarum publicarum per mercaturam aperiri, & in omnes populi claſſes diffundi. Florem vero mercaturae magnum & diuturnum an aliquis ſibi populus ſpondere poteſt, qui, repugnante naturae ordine, ſuis mercibus vult indigere omnes populos, ſe aliorum nullis? qui gaudet inopia aliarum gentium, non habiturus, cui vendat, ſi fortuna voto reſpondeat? Floret mercatura, quam *mutui auxilii indigentia & mutua commercantium utilitas* tuetur.

Intereſt Europae, non opprimi mercaturam ejus populi, cui ab antiquo merces ſuas committere conſuevit, ubique terrarum diſtribuendas.

§. CCCXXX. Perverſa *gloriae* opinio ſaepe gentes bellis injuſtis, certe minus neceſſariis, commiſit? Quo fructu? Ut caederent, inque vicem ipſae

ipſae plagis contuſae vulnerum ſuorum dolores diu perſentiſcerent.

Spes immortalitatis perſaepe excitavit principes, ut quietis pertaeſi quaererent bellorum materiam, veluti ſapientia regiminis tranquilli non poſſent nomen ſuum aeternitati commendare, ſed demum victoriis eſſent nobilitandi. Atque in bellis ob injuſtam aut levem cauſam geſtis, quot non calamitates ſibi ſuisque conſciverunt, quot non cives & milites, velut viles animas, mori aut miſere vitam trahere coëgerunt, ne timidi, neve ei, quod ſemel dixiſſent ſe effecturos, praeſtando impares viderentur? Quaſi *ſola* eſſet gloria, quae ex fortitudine bellica refertur, illa in primis, quae cum magna ingenii ſolertia conjungitur!

Inter tot populos Germaniae, quibus quondam, teſte Tacito, *pigrum, quinimo iners*, videbatur, *ſudore acquirere, quod poſſis ſanguine parare*, Chauci, *populus nobiliſſimus, magnitudinem ſuam* malebant *juſtitia* tueri. *Sine cupiditate, ſine impotentia, quieti ſecretique nulla provocabant bella, idque praecipuum virtutis ac virium erat argumentum, quod ut ſuperiores agerent*, NON PER INJURIAS ASSEQUERENTUR. *Prompta tamen omnibus arma, ac ſi res poſceret exercitus.* —— QUIESCENTIBUS EADEM FAMA.

Igitur amica pacis, & per pacem proſperitatis populorum, eſt diſciplina morum, quae diſtinctam aperit *verae* gloriae notionem, & pingit inanitatem famae, quam multa hominum millia, qui prae metu inviſae potentiae hiſcere non audent, impenſe lugent, quamque, ſublatis adulandi aut timendi cauſis, ſera poſteritas liberius deteſtatur.

§. CCCXXXI. Hactenus de conſenſu Juris & Ethi-

Ethicae populorum cum prudentia gubernatrice, quatenus haec negotia *cum exteris nationibus* gerenda diſponit. Pari modo ea pars *politices*, *quae bono civitatis interno recte ac firmiter conſtituendo* inſervit, non poteſt cum fine ſuo conſentire, niſi genuinis *ETHICAE CIVIUM AC PRINCIPUM* doctrinis innitatur.

Videamus ante omnia de *ETHICA CIVIUM.*

Praecepta *Sectione* V. expoſita in nulla ſocietate plus boni praeſtant, quam in *civili.* Haec enim, quicquid commodi ceterae ſocietates ſeparatim habent, id univerſum ſinu quaſi ſuo amplectitur, nullumque bonorum, *viribus unitis* parabilium, genus excludens, recte dicitur omnium nobiliſſima. In hac, ſi bene adminiſtretur, habitat *tuta quies,* & *gaudia creſcunt.* (§. 325.) Nam pro ſingulis vigilant univerſi, & pro univerſorum ſalute gladium ſtringunt ſinguli: res ac jura impuberum & infirmorum, *ſacri inſtar depoſiti*, *inviolata* cuſtodiuntur & adminiſtrantur. In ceteris ſocietatibus, ut hoc utar, *vivis vivi* prodeſſe poſſunt, & *ingenii* monumentis atque *exemplo mortui.* Hoc vero inſigne habent *coetus civiles*, ut mortuorum quoque voluntas conſervetur & efficiatur, qui etiam eo tempore, quo eſſe deſierunt, cupiunt conſolari pauperes, excitare artes, conſulere familiis, & v. c. eum, quem ultro bonum fore deſperant, metu lucri hereditarii amittendi, & quodam quaſi *legato bonae mentis* corrigere, atque invitum compellere, ut frugi fiat.

Creſcunt officia hominis, proinde civis, pro ratione bonorum, quae ex ſocietate capit, & quae in hanc conferre poteſt. Haec officia tradit *Ethica civium*, quae non eſt, niſi *complexus praeceptorum Ethicae*, (*quae Sect. 4 & 5 dedimus*) *de officiis erga ſocietatem ad bo-*

bonos cives formandos, conſervandos, & excitandos applicatorum.

Eſt vero *bonus civis*, qui *ſe perficit, ut civitati utilis eſſe poſſit, huic prodeſſe gaudet, ac tolerat vitia ſtatus publici, quae absque malo graviori tolli nequeunt.*

Ejus officia ſunt alia *perfecta*, hoc eſt, Jure Naturae & *lege civili* praeſcripta; alia *imperfecta*, ad quae praeſtanda compelli non debet, ſed quibus *magno cum civitatis commodo* praeſtitis, de hac *benè mereri* poteſt.

§. CCCXXXII. Ad *perfectionem* (*harmoniam*) *civitatis* pertinet conſentiens ardor, tum *civis*, tum *civitatis*, in ſervandis officiis mutuis. Neque enim conventio eſt *unilateralis*, quam ſinguli cum civitate & ejus ſupremo rectore faciunt, ſed *bilateralis*. Non ut fiat miſerior, ſed ſibi ut proſpiciat, ſuus quisque eſſe deſinit, & fit civis. (§. 325.) Neque promiſſam ſibi fidem accipit civitas, niſi ut ipſo hujus implemento civi eam danti conſulat.

Floret populi proſperitas, cum ſinguli enixè ſtudent, amore, qui propius ad *purum* accedit, complecti civitatem, perinde ac ſi nulla ſibi eſſe poſſet *meriti* gratia aut gloria; cumque civitas viciſſim, tanquam pia mater, contenta filiorum ſuorum amore erga ſe *mixto*, (§. 155.) civis cujusque *agnoſcit merita*, (§. 331.) perinde ac ſi ab *amore ſincero boni publici* duxiſſent originem. Ita ſi ſint affecti, qui ad gubernacula ſedent, *aequitati remuneranti* (§. 279. 280.) locum lubenter dabunt.

Amor autem civis in civitatem, ſeu patriam, unde naſcitur? Num eſt inſtinctus? (*veluti cum bene ſint clauſae cavea Pandione natae, nititur in ſylvas quaeque redire ſuas.*) Non videtur. Eſt certe tanta vis

 pri-

primae idearum conſociationis, quae fit in tenella infantia, (§. 35.) atque ejus, quae *hanc fortuitam, ſed manentem, idearum conglutinationem* ſequitur, educationis, ut haereat menti alte infixa ſoli natalis, imago, tanquam fontis gaudiorum, quae iſtic infantes colligunt, utque *dulcia* illa *arva* ad jucunde vivendum multis fere neceſſaria videantur.

Honeſtius & ſtabilius eſt illud in civitatem amoris genus, quod ex propria cujusque *meditatione* oritur, ac *doceri* poteſt, quam coecus ille amor, qui nihil eſt niſi foetus conſuetudinis & primae educationis, & magis *odium externorum*, quam *ſtudium boni communis* progignit. Digna eſt ſocietas, quam impenſius ames, non tam ea, in quam forte naſcendi delatus ſis, aut ea, cui adſueveris, ſed ex qua plurimum boni in te redundare poteſt, & cui poſſis, ac propter pacti fidem debeas, eſſe utilior. Amor itaque in patriam rationi conveniens eſt ſtudium perpetuum ſe in amplificandis patriae commodis conformandi ad regulas naturales, quae iis maxime jubent conſulere, quibus plurimum boni & poſſumus conferre & debemus. (§. 165.)

§. CCCXXXIII. At vero quanam arte is amor *rationi conſentaneus* aletur & incendetur? Antiquum eſt problema, & uberiori disquiſitione digniſſimum: *Reperire methodum optimam efficiendi, ut cives ament formam imperii, quo reguntur, & leges ſibi impoſitas non oderint, ſed tanquam ſibi commodas & neceſſarias revereantur.*

Ante omnia legi merentur, quae ingenioſe hoc in genere diſputavit Ill. Montesquieu, ſeculi ſui glorioſum decus, quo nemo acutius *pathologiam populorum* ac *regnantium* expoſuit, & in ipſis quaſi eorum receſſibus interioribus invenit & cauſas legum, quas condiderunt, & elateres, quibus legum ſuarum vigorem cu-

cuſtodiverunt. Is tribus, in quas diviſit civitates, imperiorum formis tres *impulſores primarios*, ſive *elateres*, ad animos civium his formis convenienter regendos, aſſignavit; *honorem* a *virtutis ſtudio disjunctum regnis; metum illis gentibus, quibus princeps inſtar domini imperat; virtutem politicam, quam in ſtudio aequalitatis tuendae ponit, rebuspublicis.* His tribus quaſi nervis uſi fuere multi legislatores ac civitatum formatores haud ignobiles, ut, quam artificioſe conſtruxerant machinam, eam commode moverent.

Suntne vero iſti elateres (ſeu animorum incitatores) *formis imperiorum conſervandis* magis accommodati, quam *bonis populorum amplificandis?* ad quae, & quidem ad quae ſola, quaevis forma imperii collineare debebat.

Praeterea num illi elateres, ſeparatim adhibiti, ad *eam*, *cui quisque* ab immortali *Montesquieu* attributus eſt *regiminis formam tuendam vere* ſufficiunt? Diſpiciamus breviter de ſingulis.

Num *in regali civitatum genere (in Monarchiis)* vel omne bonum, quod ab ardore civium proficiſci poteſt, efficietur, *vel ipſa illa imperii forma* ſtabilis erit, ſi *honos*, isque ab eo, qui *honeſtatem & veram virtutem ex naturae ordine* comitatur, diverſus, & a ſolo principis arbitrio pendens, ſi talis, inquam, honos ſolus habeat vim permovendi animos? Nonne ex *Monarcha* brevi efficiet *dominum*, regnique formam evertet? Quis enim obnitetur principi, miniſterium ſibi praeſtitum, dum leges, quibus imperium accepit, violare conatur, honoribus publicis ac ſplendidis decoribus remuneranti? Quid ſi princeps perverſe de eo, quod dignum eſt honore, judicet? quid ſi ipſius & populi judicia pugnent? Utrum vincet? Quid ſi principis, vel *ſucceſſorum* ejus, *opiniones* mutentur? *opiniones* inquam

quam, quia hic non reſpicitur *honos verus*, qui *ſtabilis* eſt, (§. 123.) ſed *principis ideae* de eo, quod *decet*, *quodque fulgere velit*, inſtar legis ſupremae valere debent. Siccine *vacillabit* ſtatus civitatis? Ecquid eſt, cur *virtutis ſtudium* regnis minus convenire putetur? An haec unquam peſſum dedit? Profuit quondam *Perſis*. Quidni magis, quam opinio excellentiae virtuti adverſa, poſſit regnis prodeſſe omnibus?

Cum populus *pleno dominatu* (§. 337.) (*deſpotismo*) urgetur; ſolusne metus ſufficit, ut cives non moliantur *mutationem jugi aut imperantis*? non violent leges, quas ſibi noxias averſantur? utque aliquid in commune commodum faciant, quamvis nullos ſe meritorum fructus colligere videant, niſi ut exaggerent metuendi cauſas, atque *non ſibi*, ſed *domino*, *nidificent*, *mellificent*, *vellera ferant*? Num fieri poteſt, ut ille metus in *pace*, & in primis in *bello*, ſit perennis? in *deſperationem* haud deſinat? *Omnes metuat neceſſe eſt*, *qui ab omnibus vult metui*, (§. 109.) uti in primis *Graeci imperii hiſtoria* evincit. Quem enim oderunt omnes, inquit ENNIUS, periiſſe expetunt. Certe imperantibus, qui *poteſtatem regalem* in *dominicam* convertunt, plus praeſidii praeſtare poteſt *ſuperſtitio vulgi*, quam *metus ſuppliciorum* & *quarumvis vexationum vulgo incuſſus*.

Supereſt, ut inquiramus in modum *cuſtodiendi aequalitatem*, ad quam tuendam leges civitatum liberarum vir ille egregius voluit ſpectare, ac dirigi ſolere affirmavit.

Eſt vero cuſtodia aequalitatis *complexus inſtitutorum publicorum*, *quibus odium perpetuum & vehemens intenditur adverſus unum aut paucos*, *qui caeteris dominari*, *aut regiminis conſortium eripere auſint*, *horumve conatibus obſtacula difficulter ſuperanda objiciun-*

ciuntur. Violenta, vitaeque jucundiori, & cultui animorum contraria fuerunt ſubſidia, quibus *Lycurgus* civium *opes* aequavit, & effecit in civitate permagnum haud habente civium numerum, ne quis plus ſibi, quam liceret, poteſtatis ſumeret. Ingratum in bene merentes fuit remedium, quo efficere laborarunt *Athenienſes*, ne quis *civium auctoritate emineret!* Romana vero reſpublica in fluctibus civilibus enatis *ex ſtudio reprimendi familiarum nobiliorum potentiam*, *& tuendi patriciorum ac plebejorum aequalitatem in adminiſtratione imperii & magiſtratibus majoribus capeſſendis*, quamdiu floruit? Dum priſcus regnaret decor, & diſcordes non ſpes praedae, ſed patriae amor ſtatim in hoſtem communem armaret. Verum evenit tandem, quod praedixit *Cato*, cum *in ſenatu* deliberaretur, *num lex Oppia* de cultu mulierum, quas antiquae in veſtitu ſimplicitatis pudebat, *abroganda* eſſet; *pudere cum coeperit*, inquit, *quod non oportet; quod oportet, non pudebit.* Puduit potentes bonae mentis & aequalitatis. *Poſtquam*, ut ait Salustius, *divitiae honori eſſe coeperunt*, *& eas gloria*, *imperium*, *potentia ſequebatur*, *hebeſcere virtus*, *paupertas probro haberi*, *innocentia pro malivolentia duci* coepit.

Quae *Romae cadentis* fuit, eadem *quarumvis civitatum liberarum* conditio eſt. Extinguitur *ſtudium aequalitatis conſervandae*, & remedia ad eam cuſtodiendam inventa vim amittunt, ſimulatque honeſtatis amor, & *vera* virtus, atque ea erga Deum religio, quae *in amplificatione boni communis* vim ſuam exſerit, effluxit animis. Licet *inops* ſit civitas, in qua virtus negligitur; non deerunt ambitioſi, qui *pares ferre* non poſſint: ſi ſit opulenta; luxus *neceſſarius*, boni publici everſor, ingruet, atque a ditioribus & otioſis ad *claſſem civium negotioſam* tranſibit; inde *multorum paupertas*, *avidi-*

tas, *deſperatio*, *ſtudium mutandi formam*, tanquam *unicum mali urgentis remedium.* Igitur *civitas libera non eſt ſine aequalitate;* neque *aequalitas* poteſt eſſe *diuturna ſine ſtudio fovendi cultum verae virtutis.*

Addimus, nec *metum* excludi debere a ſubſidiis *hujus formae ſtabilitatem* communiendi, *metum inquam legum*, quas *rem ſurdam & inexorabilem* vocat LIVIUS. quae, *cum apud Regem ſit gratiae locus & beneficio, nihil laxamenti nec veniae habeat, ſi modum exceſſeris.*

Tandem an nulla aut exigua in hac civitatis forma eſt vis *honoris*? Nihilne nervorum habuit ſplendor monumentorum, quos excellentibus Imperatoribus poſuere *Athenienſes*? Et Romae nihilne e. c. *corona civica*, *nihilne favor multitudinis*, *plauſus in theatris* &c. valuerunt ad animos non dicam in curam commodi publici, ſed ipſius *aequalitatis* & formae popularis conſervationem inflammandos? De *corona civica* eleganter PLINIUS: *non creſcit honos idem Imperatore conſervato, quoniam conditores in quocunque cive ſummum eſſe voluere. — Ludos ineunti ſemper aſſurgi etiam ab ſenatu in more eſt. Sedendi jus in proximo ſenatui. Vacatio munerum omnium ſibi patrique & avo paterno. — O mores aeternos! qui tanta opera honore ſolo donaverint, & cum reliquas coronas auro commendarent, ſalutem civis in pretio eſſe noluerint, clara profeſſione: ſervari quidem hominem nefas eſſe lucri cauſa.* Quanti eſt in regnis, perpetua poteſtate praeeſſe multis, honorum fulgere titulis, aliosque longo poſt ſe intervallo relinquere, & *hereditaria* familiae decora ac jura inſignia conſequi: tanti eſt in finibus populorum liberorum, praeſtare meritis, placere, monſtrari, laudari, iis exornari decoribus, quae favorem omnium demonſtrant, & *haec meritorum praemia* pluris facere, quam poſſe, ſi velles, *dominari.*

§. CCCXXXIV.

§. CCCXXXIV. Via mentes civium flectendi tutiſſima, & cuivis formae imperii civilis maxime conveniens eſt ea, quam natura monſtravit.

Praeter metum poenarum, quae vel *omnem malam actionem*, omnem, ut ita dicam, *morbum moralem naturaliter conſequuntur*, praeter ſenſum jucunditatis ex honeſtate & *virtute officia erga ſocietatem ſervante*, naſcentis, praeter *vim* (§. 123.) *venerationis ac fiduciae*, quibus impleti civium animi lubentius parent, & mutationem rerum averſantur; duos impulſores valde efficaces natura praebuit principi, quibus & ad leges *naturales* & ad *civiles* ſervandas, atque ad nova adverſus *formam imperii non molienda* cives excitare poſſit; *primo*, *vivam cognitionem multiplicis utilitatis ex reverentia legum civilium, & conſervata imperii forma*, deinde, *ſtudium imitandi.* Hi duo impulſores *omnibus imperiorum formis* conveniunt.

Horum *primo* rectores civitatum uſuri id agent, ut cives habeant perſuaſum, nullum eſſe bonum *ſuum*, quod non ſit *pars boni publici*: neque in civilibus inſtitutis aliquid haberi pro bono *publico*, niſi quod idem ſit *bonum privatorum.* Nam quid eſt *bonum commune*, *niſi copia virium neceſſariarum ad bona totius civitatis & ſingulorum civium tuenda & amplificanda*? Speret civis ex *patientia & obedientia neceſſaria* fructus ad ſe quoque, ſi minus recta via, certe obliqua perventuros, aut eos perveniſſe ſentiat. Commodis ſuis intellectis ſtultum judicabit, iis, quae ad *formam imperii tuendam*, aut ad *bonum publicum augendum* ſtatuuntur, obniti, vel *ſuum a communi emolumentum* dividere. Sentit enim, ſe ſibi deeſſe, cum deſit civitati, & verum eſſe, quod eleganter *Marcus Antoninus* dixit, *quod alveari non proſit, id ne api quidem prodeſſe*

§. CCCXXXV. Enimvero maxima pars multitudinis ſolummodo id videns, quod ante pedes eſt, coecutit in perſpicienda copulatione eorum inſtitutorum cum utilitate ſua, quorum effectus acerbus, in repreſſis cupiditatibus toti ſocietati noxiis poſitus, ſtatim apparet; effectus vero ſalutaris lente ſubſequitur.

Etenim querelae de adminiſtratione imperii non ſemper naſcuntur ex vitiis eorum, qui civitates temperant, ſed ex civium ignoratione, quaedam dura ſingulis nonnunquam injungi oportere, ut deinceps majori commodo tota univerſitas, & cum hac iidem, *qui de onere ſibi impoſito* queruntur, ſinguli fruantur. Sagaciores demum, nihil eſſe ab omni parte beatum memores, incommoda cum commodis compenſant, (§. 125.) neque ſenſu moleſtiarum, quae ex regnantium erroribus politicis aut vitiis naſcuntur, ab officio ſe abduci patiuntur. Norunt enim, eum, qui pro viribus ſocietati proſit, quamvis nihil lucri & praemii reportet, & multa patienter ferre, tanquam bonus civis, debeat, tamen non habere, cur ſe ſui factorumque ſuorum, aut patientiae ſuae poeniteat. (§. 156.)

Supereſt autem ad hebetiores regendos aliud remedium. Hi ut ſe regi non ſentiant, *ſtimulo imitationis* nihil eſt efficacius. In eminentes enim intuentur, qui ſunt viribus inferiores. Ad illorum mores fingunt ſuos, perinde ac ſi eo quidque eſſet melius, quo eſt conſpectius.

Emineant igitur, qui reſpublicas adminiſtrant, & primores populi, eo vitae genere, quod cum *forma imperii*, & cum *bono cujusque civitatis primario*, (v. c. flore mercaturae) maxime conſentit. Dent exempla amoris in *civitatem puri*, (§. 155.) vel certe puro proximi. *Religionem* & *virtutem* habeant in pretio. Eſt

Eſt nobilis fons verae jucunditatis, eſſe bonum civem: quanto nobilior, multos exemplo effeciſſe!

Multitudo, quos vel meritis graves, vel natalibus ſplendidis & dignitatibus eximios veneratur, eos morum ſuorum & fervoris in bono publico augendo (*ſpiritus publici*) formatores alacriter ſequetur. *Honos & ſuavitas ex comprobatione publica naſcens* ad facta egregia mentes impellet. *Pudor publicus, hoc eſt, metus communis meritae reprehenſionis ob facinus honeſtati contrarium*, vitia reprimet.

Fortunatam *Romam*, cum videretur *ſatis validum legis Valeriae vinculum*, licet nihil ultra adjiceretur, quam *qui adverſus eam feciſſet, improbe factum!* Unde is *hominum pudor, cum nunc*, ut ait LIVIUS, *vix ſervo ita minetur quisquam*? Parentum non tam dicta, quam exempla, regebant mentes docilis juventae; congruebant cum educatione domeſtica mores publici; ac praeclare geſta quaeque communi omnium admiratione ita cohoneſtabantur, ut ad paria facienda (*aemulationem*) & *patriae amorem* incenderent animos. Magnifica eſt oratio *Scipionis*, cum *in Hiſpania* captivam, cujus forma captus erat, ſponſo redderet: *ſervata eſt, ut inviolatum & dignum me teque dari tibi donum poſſet. Hanc mercedem unam pro eo munere paciſcor, amicus populo Romano ſis.* Vere Romanum erat, non *ſibi*, *ſed patriae* paciſci! Quam divinum vero illud! quod adjecit: *& ſi me credis virum bonum eſſe, quales patrem patruumque meum jam ante hae gentes norant, ſcias, multos noſtri ſimiles in civitate Romana eſſe.* Quantus eſſet, ſenſit *Scipio*, cum non gloriaretur hac *altitudine mentis*, (§. 85.) tanquam ſibi propria, ſed ſe multos habere pares ingenue profiteretur.

§. CCCXXXVI.

§. CCCXXXVI. Hactenus de utilitate cognitionis legum naturalium in dirigendis & flectendis civium animis, ut pareant, amentque patriam & conſtitutionem imperii. Reſtat, ut videamus vinculum, quod inter *germanam Politicam & Ethicam principum* (§. 331.) intercedit.

Leges naturae optimam felicitatis viam principi, tanquam principi, monſtrant, dum ipſi injungunt officium, perpetuo cogitandi, ſe eſſe hominem, & hominibus imperare.

Maxime elata quidem ſupra cives eſt principis conditio. Verum aliqua inter illos & hunc juris atque conditionis aequalitas ſupereſt, quam nullo mutabilem pacto natura ſancivit. (§. 263. 302.) Hujus perpetuo memor non faciat civibus, quod ſibi fieri nolit. (§. 158.)

§. CCCXXXVII. Cui conſequens eſt, ut princeps recte ſentiens imperium *arbitrarium* (*deſpoticum*) hoc eſt, cum *voluntas indomita pro jure eſt*, ne quidem accipere vellet, ſi offerretur, nedum per vim aut fraudes ſumere, ſi negetur. Nam quid boni durabilis ab hac ſtirpe naſci poſſet? Cui *plus licet, quam par eſt, ſaepe plus vult, quam licet.* Enimvero a quo unquam populo coecum principi *quidlibet jubendi & faciendi* arbitrium legitime delatum eſt? Si populi in Oriente patiuntur impotentiam principum, quibus ſervire dicuntur: num facta ipſorum *tyrannica* pro juſtis habent, quia ipſis nullos cives, *jurium ſuorum cuſtodes atque imperii adminiſtrandi conſortes*, (Ordines) adjunxerunt? An hanc imperii formam, quam rectius *morbum* civitatis dixeris, *lege perpetua* conſtituerunt. Talis lex civitatem *in magnam ſervorum familiam* commutaret. At ſilente populo jugumque ſuum patienter ferente lex naturae clamat, & *infinitae* poteſtati limites

mites ponit, ne *contra naturam civitatis* (§. 332.) voluntas pro ratione dominetur. Nullum eſt imperium *humanum* ſine limitibus. Immerito in alia abiit *Hobbeſius.*

Si quando eveniat, ut extra ordinem aliquid violenter fieri neceſſe ſit: uti *Roma libera* nonnunquam praeſidium, in rebus turbidis, *a Sctis extremae neceſſitatis* petere debuit: brevi tempore haec finitur neceſſitas. Tempeſtate ſedata, niſi ſtatim reſtituatur ordo rerum certus, ſuumque populo, ſuum & communitatibus & civibus ſingulis tribuatur, atque *arbitraria poteſtas* tollatur: corpus civium morbis ingruentibus tabeſcit, & princeps ipſe, ejus anima, fit debilis, dum infirmis imperat.

Tum *teſte hiſtoria*, evaneſcit *notio ſalutis publicae.* Diſſolvitur vinculum commune civium. Incipit rideri & inter aniles fabulas referri boni publici cura & amor in civitatem, quia ſibi quisque vivit. Indolentia, pigritia, & incuria, quid ſit futurum cras, fugiens quaerere, inoleſcit. Primores potentiam & opes ſine labore aucupantur, plebs *panem* & *Circenſes* anquirit. Civitas nominis ſui apud exteros venerationem, & princeps dignitatem ſuam diſperdit.

Principes ſapientes in magna parte felicitatis ſuae ponunt, quaedam facere non poſſe. Minimam voluptatem percipiunt ex viribus ſuis, maximam ex recto earum uſu; nec tanti putant *jubere*, quanti *profuiſſe.* Terrore animos implere nolunt, quoniam ſentiunt, quam ſit ignobile gaudium, quod ex tot millium, qui reſiſtendi vires non habent, neque obſtrependi animum habere debent, trepidatione capitur, & quam acerba ſit poena principis, qui duntaxat metui cupit, pro veneratione inanes emtasque laudationes referre, ac pro ſignis ſinceri amoris triſte ſilentium. Complecti homines

ſuae

ſuae fidei commiſſos paterno affectu, eosque tanquam fratres concordes mutua conjungere caritate, veram eſſe majeſtatem cenſent; nullumque firmius & ſibi expetibilius aeſtimant imperium, quam quo gaudent obedientes.

§. CCCXXXVIII. Cauſae *morales domeſticae*, quae felicitatem civitatum minuunt & peſſumdant, ſunt *vitia regnantium*, *formae*, *ac populi*.

Princeps ſummus, qui *pater populi* eſſe malit, quam *ſervorum dominus*, naturalium legum cognitione utetur, primum ut ſe emendet; deinde ut eos dignoſcat, quorum uti velit conſiliis. Vetus apud *Lampridium* in *vita Severi* eſt quaeſtio; pluſne periclitetur populus, ſi princeps ſit malus, quam ſi malis confidat. Erit vero amicus, amicos ut habere mereatur, quibus tam indiget, ut nemo magis. Deliget eos, qui tanti faciant religionem animi, ut malint ad privatam fortunam honeſti redire; quam inhoneſto obſequio ſplendere opibus ac potentia, & proximum a principe locum tenere. Horum bonis auſcultare conſiliis, honorificum ſibi ducet.

Fugiet propterea aſſentatores, & adulationis aculeos contemtu franget. *Potentiores* nunquam effuſius laudari ſolent, quam ab iis, qui plurimum cupiunt, aut timent. Haud meritis principi praedicationibus blandiri, ecquid eſt, niſi laudando vituperare? *Conſcientia facti laudabilis* ſatis ipſi erit, & vili *venalium animarum praeconio* potior. Sincera de ſe judicia magnifaciet. *Amicis ineſſe adulationem*, ac *penitus noſcendas mentes ratus*, *adit caſtrorum vias* GERMANICUS, *aſſiſtit*, ut ait *Tacitus*, *tabernaculis ignotus*, FRUITURQUE FAMA SUI.

Veritatis audiendae amans princeps vitabit ignorationem ſui; atque non tam vires & *jura*, quam *offi-*

officia ſua ſibi ante oculos conſtitui adſueſcet, neque haec coram ſe commemoranti aut a ſe deſideranti cuiquam indignabitur.

Vitia formae, difficilius tollenda, corriget prudentia ſua & bonitate. Hoc intereſt mala *reipublicae adminiſtratio* bonae, ut haec formae corruptae *plerumque* mederi poſſit, illa formam optimam frangat ac labefactet.

Populum ad obedientiam ſenſu utilitatis ex ipſa redundantis manuducet, (§. 334.) & ad probitatem exemplo. Bonus bonos civitatis mores formabit, ipſaque vita ſua cenſuram aget. (§. 335.) Segne civium ſtudium bene de civitate merendi excitabit aemulatione, laudatione, aliisque meritorum praemiis, in primis vero *aequitate* (§. 279.) in tribuendis beneficiis publicis, honoribus, ceterisque juribus, quibus cives alii ab aliis diſtinguuntur. Non ſordebunt ipſi *caſae*, neque a magnitudine ſua alienum putabit, ſuis uſurpare oculis, quam parvo vivatur bene, vel triſtes hominum laborioſorum, ſed inopum, gemitus audiendo, intelligere, quam neceſſe ſit, ut ad conſolandos calamitoſos ſuis deſideriis & ſumtibus moderetur. Pater populi an quenquam ex liberis conſpectu & aditu ſuo judicaverit indignum, paucisque duntaxat dederit quoddam aſpectus blandi ac colloquii ſui quaſi monopolium? Naturam imitatur. Natura non habet privignos, niſi maleficos. Horum miſeretur bonus princeps, quantum *absque interitu boni communis* (§. 334.) poteſt; bonos cives, quamvis tenuiores, amat, non tanquam fungos deſpicit.

§. CCCXXXIX. Imbecillitati & vitiis populi (§. 320.) medelam adhibiturus, in eo enitetur princeps, ut horum malorum fontes norit & obſtruat. Quocirca inquirens in populi, quem regit,

in-

ingenium, nullisque praeſumtis captus opinionibus, illud ſibi non finget vilius, quam eſt, neque praeſtantius.

In primis ſtudebit, *indolem*, proinde elateres atque propenſiones dominantes, plene cognoſcere, quibus agitantur cives plurimi & reguntur. Quae momenta ſi fuerint bona, ea conſervabit & incitabit: ſi mala; corriget, quantum fieri poteſt, praecipue emendata *educatione publica & privata.* Hujus cura num qua eſt patriae patre dignior? Principes, qui cummaxime curam *educationis publicae* tam liberaliter fovent, monumentum ſibi exigunt aere perennius, quod poſteri grata mente colent.

Hac quidem via praeſtat propenſionum populi dominantium vim civitati noxiam aggredi, quam ſtatim remediis vehementioribus ſubigere conari. (§. 319.) Sic e. c. princeps *tributorum gravitate* civibus non excutiet *pigritiam*, ut multi ſuadent, ſed *educationis emendatione*, *praemiisque eum in finem propoſitis*, *ac fructuum ex labore naſcentium ubertate*, *ſuavique hujus ubertatis ſenſu*, impetum *induſtriae* incitabit. Nonnunquam ſe ad imbecillitatem populi demittens, usquedum mederi poſſit, hanc ipſam (v. c. *factiones*) ad verum ſocietatis bonum prudenter convertet.

Quibus obſervatis poterit leni ductu efficere, ut cives ſua bona noſſe, illisque cognitis recte uti, neque ea, quae in exterorum finibus ſplendent, potius deſiderare, quam ſuis frui, cum magno malo ſuo adſueſcant.

Et hac quidem arte, *blanda fiduciae & venerationis conciliatrice*, cives aliunde alliciet, ac quos habet, eos certius, quam edictis minacibus, retinebit, deficientibus *migrandi* cauſis.

§. CCCXL. Notae & vetuſtae artes, quas *arcana*

canorum vel *flagitiorum dominationis* nomine appellat pingitque Tacitus, quid praeſtant? niſi ut eorum, qui habenas tenent, mala mens aut imprudentia obtegatur, utque populus virtute earum artium ſoporifera & ab intelligentia veri commodi ſui dimoveatur, & ſenſum gravitatis malorum ſuorum amittat, horumve cauſas ignoret, aut indagare non auſit, metuens, ne fiat majeſtatis violatae reus, & conquerendo in pejus ruat.

Talia dominationis arcana v. c. ſunt; propagare luxurioſam mollitiem, ſuperſtitionem, inſcitiam; inferre potentes in pauperiem; extinguere *veri honoris* igniculos; extirpare mentionem imo notionem *libertatis*; diffidentia diſſeminata dividere & enervare ſingulos, ut ſenſim omnes domentnr. Eſtne argumentum manifeſtius, res populi male eſſe conſtitutas, quam caecitatis cujusdam communis ac plurium vitiorum neceſſitas, ut fulciatur imperium?

§. CCCXLI. Ex quibus colligimus, politicam univerſam, in ſtatu civitatis *interno* & *externo* ordinando verſantem, eo eſſe perfectiorem, quo ſit ſimplicior: hoc eſt, quo magis naturam, conſtituendae cujuscunque ſocietatis bonae magiſtram optimam, ſequatur, proinde ab *honeſtatis ſtudio* (§. 261.) non deflectat.

Fructus, qui ex genuinis, ſcilicet *juſtitiae* & *virtuti conſentaneis*, politicorum praeceptis religioſe ſervatis naſcitur, eſt *felicitas civis*, & *principis.*

Felicitas principis eſt *conſtans & perpetua principis jucunditas, orta ex conſpectu felicitatis publicae a ſe conſervatae, vel reſtitutae, & amplificatae:* hoc eſt, (§. 325.) *orta ex multitudine, gravitate, ac ſtabilitate bonorum, quae ſua ſe prudentia & virtute civitati comparaſſe aut aſſeruiſſe, ſibi eſt conſcius.*

Civis felicitas eſt *ſtatus civis jucunda perceptione*

bonorum, quae in ſe ex prudenti civitatis formatione & adminiſtratione redundare ſentit, incommoda haud vitabilia compenſantis, atque eorum commodorum, quae ſuis viribus civitati conciliavit, recordatione, aut eorum, quae ipſi conciliare conatur, ſtudio gaudentis.

Felicitas civis, *tanquam civis*, ut ab hac explicanda incipiam, non eſt ea, quam civis ſibi ipſi conciliat, dum facit officium, quod natura homini cuivis impoſuit, ſed copia ſubſidiorum vitae tranquillae & jucundae, quam ipſi praeſtat civitas.

Habet haec felicitas gradus, ſeu ejusdem civitatis, ſeu diverſarum civitatum cives alios cum aliis confeeras. Minima eſt, cum aut deficiunt inſtituta publica frugifera, aut cum ea, quae facta ſunt, minimum commodi, vel & plurimum mali, civi afferunt. Creſcit pro bonorum, quae publicis ex inſtitutis ad cives quosque promanant, *magnitudine*, & pro *multitudine ſcopulorum*, qui per eadem inſtituta & regnantium prudentiam devitantur.

At vero quousque *aequalis* eſſe poteſt *civium felicitas*? Videndum, quae intelligatur aequalitas. Num aequalis poſſeſſio *opum*, *potentiae*, *ſplendoris externi*, *dignitatum*, *variarum vitae commoditatum*? Ad talem aequationem propius ſpectare videtur *forma regiminis popularis*. Sed praeterquam quod haec imperii forma non cuivis populo convenit; horum, quae enumeravi, bonorum aequatio vel nusquam absque remediis violentis & noxiis, vel haud diu, obtineri poteſt. Ne dicam, ibi etiam, ubi libertas populi maxima floret, ſingulos vel naturae vitio, vel ob vitae ſuae rationem, paris earum proſperitatum menſurae non eſſe capaces. Quid igitur fieri poteſt, inquis, ne civitatem alii matrem blandam, alii novercam, habere videantur? Defendere omnes ab injuria; aperire fontes ſapientiae, artium, & di-

diſciplinarum; conjungere cives maxime diſſitos rerum & operarum utilium commercio; ſublevare eos, qui non poſſunt ſibi neceſſaria vitae parare, niſi attritis aſſiduo labore viribus; nutrire vere pauperes; adjuvare & incitare induſtriam illis etiam, quibus eſt abunde, inflammatis, ut occupationum utilium ſuavitate & conſuetudine vitent illud ſui faſtidium, quo laborant otioſi; remunerari bene merentes. Haec talia eorum, qui ad gubernacula ſedent, ſtudia aequilibrium aliquod felicitatis inter cives, licet fortunae muneribus diſpares, vel a regimine excluſos, conſtituere poſſunt; exceptis civibus ſua culpa infortunatis, illisve, qui plus, quam quod praeſtari queat, deſiderent.

Ex iis, quae (§. 333.) obſervavimus, inſuper colligimus; civis felicitatem non ex ſolis, quos ex civitate capiat, fructibus aeſtimandam eſſe, ſed etiam ex eorum commodorum, multitudine, praeſtantia, ſtabilitate, quae ob id ipſum, quod eſt civis, in civitatem viciſſim conferre poteſt & contulit. Atque uti dolorum haud evitabilium interventu, dummodo majora gignant gaudia, intenditur felicitas: (§. 14.) ſic & civem efficere poſſunt feliciorem labores, pericula, incommoda, quae non potuit non ſubire pro ſalute patriae; ne morte quidem excepta, ſi pro multis, quam cum multis, pati & perire maluit. *Bene meritis de patria*, inquit CICERO, *quaſi limes ad coeli aditum patet.* (§. 169.)

§. CCCXLII. Tandem ut felicitatem eorum, qui regunt populos, paulo accuratius contemplemur; non principes multa poſſidentes, non eos, qui quarumvis voluptatum miniſtris & inventoribus circumfuſi curas aliis delegent, ſibi otium ſervent; non eos, qui triumphis populo exitioſis, aut alacri ſervorum ſplendide miſerorum miniſterio elati, ſibi ipſis felices videantur, ve-

re dixeris beatos; ſed illos, qui hoc Dei munere, quod imperant, recte norunt uti. Talis e. c. ſeculo IX. erat ALFREDUS MAGNUS. In caeteris vita privata poteſt praeſtare fortunae eorum, quibus impoſita eſt cura imperii; verum illa huic ſemper cedit *occaſione & copia virium aliis benefaciendi.*

Si enim hominis felicitas aeſtimatur *multitudine verarum voluptatum* (§. 7. 9.); ſors naſcendi aut populi electio ſupra communem tot mortalium ſortem extollit vires principum, ut diem nullum tranſigant, quo non poſſint prodeſſe millibus. (§. 341.) Si inſuper *pondere* (*intenſione*) *voluptatum* vita felix cenſetur; num majorem poteſt ſentire dulcedinem nobilis animus, quam hanc, magnis malis liberare, multisque & manentibus bonis impertiri cives univerſos, &, quoad ejus fieri poteſt, ſingulos,

Hos magni facere, his bene velle, his vivere amicum?

Denique ſi *ſtabilitate poſſeſſionis earum cauſarum, quae veras voluptates gignunt*, magnitudo felicitatis humanae augetur: felicem ter & quater principem! qui non inſidioſis humiliter adulantium lenociniis, ſed ſuis credat oculis, hunc ſe fructum referre curarum ac providentiae, cives praeſenti ſua & probabili poſterorum ſorte laetos, & imperii, quo reguntur, amantiſſimos. Hic demum pater patriae, hic cum in eo eſt, ut reddat naturae debitum, in illo doloris urgentis & ſpei erigentis confinio reſpiciens populum, quem beavit, ſuavi hac cogitatione intentum immortalitati tranquillat animum: *fuit bene & erit!*

Ex his patet, eam diſciplinam eſſe haud parum utilem ad civitatum gubernacula adſpirantibus, quae ipſos ante omnia ſibi imperare, ac quos regere cupiunt homines, eos noſſe docet.

F I N I S.

IN-

INDEX RERUM.

A

Abdicatio juris quid? §. 304
——— ——— — quaenam ſit valida? ibid. pag. 225
Abdolonimus. 95
Actio bona, mala. 26. 217.
——— externa pia, religioſa. 191
Actiones liberae. 1
——— conſtant ex tribus partibus. 2
——— habent relationem naturalem & perpetuam ad felicitatem. 26. 27. 214
——— ——— tantum imputantur. 284
——— ——— alienae num imputentur? 285. 289
——— ——— ab ignorantia profectae an poſſint imputari? 286
——— ——— involuntariae quae? num imputentur? 285
——— ——— a propoſito legem violandi non profectae an imputandae? 287
——— honeſtae. 261
——— permiſſae plene & minus plene. 229
——— inter virtutem & vitioſitatem mediae. 200
Actionum liberarum bonarum nota. 30
——— momenta eorumque vis. 19
——— liberarum effectus neceſſarii, contingentes. 39. 107
——— menſura. 291
Activitatis ſtimulus in homine. 62
Aditus ad alios facilis, commodum ſocietatis. 113
Adjuvare quid? 110 pag. 71
Adoratio unde oriatur? & quid ſit? 172. 185
Aegritudo quomodo oriatur & intendatur? 88
——— voluntaria. 95 pag. 57
Aequabilitas. 279
Aequalitas naturalis. 110
——— in civitate quaedam ſupereſt. 303
——— jurium, quae cum hominibus naſcuntur. 263
Aequalitatis cuſtodia in civitatibus liberis. 332

Aequalitatis falſa notio Hobbeſiana. §. 263 pag. 236
Aequitas quid ſit & exigat? 272
—— judicis & interpretis legum falſa. 314
—— vera. 315
Aequitatis ſtudium quaenam commendent? 274
—— menſura. 276
—— ſignificatus ſtrictior. 279
—— nexus cum felicitate G. H. 280
Aequum & juſtum quomodo differant? 273
—— —— non colliduntur. 277. 278
Aeſtimatio hominis quando decreſcat? 123. pag. 82
Affectus minus recte paſſiones dicuntur. 79. 81
—— tanquam mentis perturbationes reprobari non merentur. 81. pag. 46
—— quomodo oriantur, augeſcant, evaneſcant? ibid.
—— quando noceant? 82
—— quomodo regendi? 83
Alexander Severus quomodo fortitudinem excitaverit? 87
Alii aeque ac noſmet ipſi amandi. 128. 159
Alios num plus aliquando, quam ſe amare, interſit? 166
Amare hominem hominis intereſt. 159
Amabilitatis ſenſus. 102
Amicitia, quid ſit? quaenam vera? & quantum vitae bonum? 126
Amici, propinqui &c. quouſque ferventiori amore complectendi? 165
Amico (pro) mori quando dulce? 169
Amor erga ſe ipſum verus, fatuus. 96
—— erga alios mercenarius. 154
—— purus, ſincerus. 155. 187
—— mixtus. 155
—— purus quantum praeſtet amori mercenario? 156
—— inimicorum. 157
—— Dei. 186. 187
—— civis in civitatem. 332
Analogia (ab) naturae argumentum. 40
Anacharſis. 66
Anachoretae. 98
Androphagi. 107. pag. 67
Anima immortalis, eadem, ſui ac ſtatus praeteriti ſibi conſcia, & novarum idearum capax. 16

Anima ſibi nociturum aliquando videt & eligit. §. 74
Animae vires perficiendae. 71
Animalibus officia an proprie debeantur? 253
Animus quomodo conformandus, educandus? 207. ſeqq.
—— qua cognitione flectendus? qua vi movendus? 74. 183. 197. ſeqq.
—— falſus quis dicendus? 122
—— pulcher quis dicendus? 137
—— magnus, fortis —— ? 140
Animi alieni ſtatus quomodo nobis innoteſcat? 155. p. 123
Antonini factum & dictum. 289. 334
Apathia. 88
Apertus quis dicendus? 122
Appetitus quid ſit? 8
—— celeritas & vehementia unde? ibid.
—— dirigitur ad voluptatis perceptionem. 9
Aptitudo quid Grotio ſignificet? 273
Ars phyſiognomica. 83
— fruendi praeſentibus. 90
— formandi mores publicos quid? 320
— ejus ſubſidia. ibid.
Artium praeſtantia. 73
Aſotorum vita. 68
Aſſociatio idearum prima quantum valeat in formandis hominum ſententiis & moribus? 35. 207. 322.
Aſtrologia ſuperſtitionis ſpecies. 189. pag. 155
Ariſtotelis doctrinae nonnullae expoſitae. 199. 309. 318
Attentionis virium inopia. 76
Auctoritate quomodo utendum in praeceptis Ethicae tradendis? 44. pag. 21. & 209. 234
—— in actionibus regendis? 294
Audacia coeca quomodo a fortitudine differat? 86
Averſatio, ipſiusque vehementia, quid & unde? 8
Arcana dominationis. 340

B.

Babyloniorum leges duae injuſtae. 318
Barbari, parentum ſicarii, num refellant exiſtentiam ſenſus moralis? 224
—— num a Juris Gentium communione excludendi? 309

Barbaris belluarum feritas immerito tribuitur. §. 107
Barbaries vincitur commodis ex cultu ingeniorum manantibus. 73
Beneficentia, & quomodo ab humanitate diſtinguatur? 117
Beneficii notio falſa, & genuina. 118
Beneficia ut alii conferre velint, quomodo efficiendum? 119
—— — quibus praecipue impertienda? 164
Beneficium unde & quando malefacto compenſetur? 165. pag. 136
Beneficiorum recordatio eſt impulſus ad amorem majorem. 165
—— — dimenſio. 120
Beneficus aliquando eſt ille, qui laedenti parcit. 130
—— —— —— qui pertinaci cedit. 153. pag. 120
Benevolentiae alienae ſibi comparandae inſtinctus. 106
Benignitas, quid ſit, & efficiat? 102
—— —— prudens, hilaritatis fons perennis. 109
—— —— quaenam non conſentiat cum felicitate G. H.? 119
Bonus quis dicatur? 178
Boni viri imago. 202
Bonis an male, & malis an bene? 189. 203
Bonitas ſaeva quaenam? 133
Bonum ipſiusque gradus, ut & phyſicum ac morale. 10. 217
—— commune ſocietatis quid? 125
—— —— — civitatis. 334
Bonorum externorum genera diverſa. 63
—— pretium internum. 64
—— copia & uſus non ſufficiunt ad feliciter vivendum. 69
Brutis num officia debeantur? 253
—— (a) ad homines caute argumentandum. 298

C.

Caerimoniae piae, quaenam ſalutares? 193
Calliditatis detectae effectus. 109
Candidus quis dicendus? 122
Caraibi. 107. pag. 67
Caritas inepta. 133

Caritas quando exigat, ut alterius cauſa juri noſtro renunciemus? §. 275. 276
Caſu accidit, quid ſignificet? 128
Caſus conſcientiae cur hodie facilius ſolvantur? 237
Cato num recte ſe interfecerit? 59
Catonis dicta. 284. 320. 333. pag. 327
Carneadis de juſtitia opinio exploſa. 267
Cauſae proximae, remotae, ſociae, quantum imputandum? 289. pag. 264
—— morales explicantur. ibid.
Cedere aliis quando ſit aut non ſit ſapientis? 153. pag. 121
Certum quid? 222
Character hominis. 79
Chauci exemplum praebent, poſſe populum magnitudinem ſuam tueri juſtitia. 330
Civis bonus quis? 331
Cives flectendi via quaenam tutiſſima? 334
—— quibus momentis ad leges violandas impelli ſoleant. 319
Civium felicitas explicatur. 341
Civitas vid. *Populus*.
Civitatis officia erga civem. 332
—— ad perfectionem quid requiratur? ibid.
Civitatium felicitatis diminutio ex cauſis moralibus domeſticis. 330
Coactionis licitae metus, momentum juſtitiae proprium. 274
Coactus directus & obliquus. 144
—— quotuplex genus humanae ſocietati proſit? ibid. pag. 110
Cognitio ſui ipſius. 211
—— utilis, ejusque pretium. 72
—— vera & diſtincta non ſemper vivax. 74
—— diſtincta cur minus valide inclinet voluntatem? 77. 78
—— intuitiva quomodo praeſtet ſymbolicae? 78. 221
Cognitionis utilis comparandae occaſio fructus ſocietatis. 111
Collegiis (in) tres regulae obſervandae commendantur. 153

Comitas ſuperiorum oblectat, & pretium ipſorum auget. §. 113
Commercium rerum & operarum quousque fructus ſocietatis? 116
Communicationis inſtinctus. 103. pag. 64
Cogitatio ſeu conatus quousque in foro humano imputari poſſit? 264
Concordiae ſtudium. 153
Conſcientia quid, & unde? 53
——— — numquam poteſt tolli. 55
Conſcientiae ſignificatus varii. 294
——— —— voluptas & aegritudo ex ea naſcens, hujusque intenſio. 54
——— —— & imputationis moralis eaedem ſunt diviſiones. 294
——— —— bonae, malae, rectae, errantis &c. definitiones. ibid.
——— —— error unde oriatur, & an culpa vacet? 295
——— —— error ſocietati noxius. 296
Conſcientia dubia manente quid faciendum? 295
——— — probabilis quae? 294
Conflictus, colliſio legum, quid? 227
——— — officiorum non datur. 248. ſeqq.
Conſenſus populorum non exhibet tutam vitae regulas eruendi viam. 44
——— ——— ——— non eſt vox naturae. ibid.
——— ſapientum non eſt probatio ſufficiens. 234
Conſilia divina vid. *Fines*.
Conſortia prava educationi noxia. 207
Conſortii ad aequalitatem propius accedentis fructus. 113
Conſtantia non cedens malis quaenam ſit, & ubi maxime deceat? 153. pag. 120
Conſuetudo in puerulis quantum valeat? 143. pag. 108
205. pag. 175
——— — multa habendi parit conſuetudinem multa deſiderandi. 65
——— — gladiis ſtrictis epulandi, unde? 101. pag. 61
Conſiliarii principum qui eligendi? 338
Contractuum fons. 116
Contradictionis ſpiritus quis? & num ſubigendus? 210. pag. 183

Cor frigidum & durum, cauſa generalis omiſſionis actionum, quibus conſulitur aliorum commodis, unde oriatur? §. 107. pag. 68. 132
Cor tenerum natura dedit hominibus. ibid.
Corporis vires conſervandae & augendae. 60. 62
—— —— non ſufficiunt ad feliciter vivendum. 69
—— ſtatus quid valeat ad ſuſcipiendas opiniones noxias, quanto opere curandus? 206
—— commoda propter animum expetenda. 249. pag. 221
Corpus quaeſitis cruciatibus non macerandum. 61
Coronae civicae praemium quam vim habuerit? 333
Crudelitas quomodo oriatur, & adoleſcat? 139. 253
Cultus Dei. 192
—— —— externus homini neceſſarius. 193
—— —— hypocriticus, automaticus. ibid.
—— —— publicus Chriſtianus qua in re praeſtet cultui Gentilibus uſitato. ibid.
Culpae in violatis erga alios homines officiis poſitae definitio. 128
—— gradus, ipſiusque aeſtimatio. 284. pag. 256
—— latiori ſignificatu ſumtae & in neglectu quorumvis officiorum poſitae definitio & dimenſio. 284
Cupiditas ſciendi innata. 70
Cupiditatum concurſus in qua ſocietate ſit maximus? 134
Cynici decorum immerito reprehendunt. 115

D.

Damnum quid? 129
—— aliis inferre natura prohibet. ibid.
—— ubi & quando vi avertendum? 258. 260
—— quotuplex? 263. pag. 236.
Decorum quid? 115
—— cauſae, cur ſit inventum? quinam illud curatius obſervent? ibid.
Decori cultu quando conſortii gratia pereat? pag. 75. ibid.
—— perfectio unde aeſtimanda? —— ibid.
Decor, placet. —— ibid.
Decretum actionis liberae. 2
Decreti alieni quomodo quis auctor fiat? 289. pag. 263
Defendere. 136

Defenſio aliorum quando felicitatem augeat? §. 168
—— —— *per vim* quatuor jurium perfectorum licita. 129. 130. 263
Defenſionis & ultionis fines facile confundi, confuſis officiorum imperfectorum & perfectorum finibus. 136. 259
Defenſionem per vim aliquando omittere, hominis intereſt. 130. pag. 93
Dependentia in ſocietate nimia, quid & unde? 148
Deſiderium gloriae immortalis num inane? 161
Deſidia naturae repugnat. 62
——. unde naſcatur? ibid.
Deus eſt ſumme potens. 172
—— beatiſſimus. 173
—— ſapientiſſimus. 174
—— ſumme bonus. 178
— ſucceſſibus humanis non invidet. 184
— eſt verax & juſtus. 188. ſeq.
—— legislator. 218
Dei cognitio felicitatem maxime auget. 171. ſeq.
— libertas. 220
— voluntas an principium cognoſcendi LL. NN? 243
— providentia. 179. ſeqq.
Dignitas hominum nativa. 110. p. 71
Diligentia continua homini neceſſaria eſt. 62
Divina praecepta quo ſpectent? 185
Dicaearchus. 101. pag. 61
Diſciplinarum praeſtantia, ſcopus. 73. 232
Doli mali aeſtimatio quomodo facienda. 284. pag. 256
Dolor num ſemper noxius? 144. 167
— aliquando expetendus. 41. 43. 86
— quomodo intendat magnitudinem voluptatis? 128
— quemadmodum minuatur dolendi conſuetudine? ibid.
Doloris metus actionum liberarum momentum ultimum. 3
—— origo. 4
—— graduum dimenſio. 7
—— perferendi remedium ſpurium & verum. 88. 89
Dolus directus, obliquus. 128
Dominandi cupiditas quaenam & unde? 143. pag. 108
Draco notatus. 324
Diogenis deſiderium. 168

INDEX RERUM.

E.

Educatio quid? quomodo cum ſelicitate educatoris connexa? §. 162
—— — phyſica, nimis mollis, maſcula &c. 206. pag. 177
—— — publica ac privata, populi vitia corrigendi remedium. 339
Educationis perverſitas fons multorum errorum moralium. 205. 225
Educationis vis in mentibus ad vera bona dignoſcenda & ſeligenda formandis. 206. ſeqq.
—— — cura publica glorioſa. 339
Effectus actionis liberae proximi & remotiores. 38
—— neceſſarii, contingentes. 39. 197. 214
—— —— certas vitae regulas ſuppeditant. 43
—— a contingentibus, quid & quomodo concludendum? 43. pag. 19.
Egoismus moralis. 128. 132. 154
Epicurus notatus. 155. 179
Error in electione boni, fons mali moralis, quotuplex? 75
—— unde? 76
—— in doctrinis moralibus unde oriatur? 225
Ethicae philoſophicae origo, definitio, perfectio. 231. ſeqq. 299
—— laxioris & juſto rigidioris effectus noxii. 233
—— experimentalis ſtudium praemittendum rationali. 235
—— quae methodus praeferenda? 234. ſeqq.
—— an recentiorum diligentia profuerit? 239
—— chriſtianae cum naturali nulla pugna, ſed illa hac eſt ſublimior. 240
—— quorundam veterum & recentiorum principia collata. 244
—— & Juris Naturalis diſcrimen in quo conſiſtat? 301
—— vera populorum. 309
—— an politica adverſetur? 326. 327
—— civium, ac 331
—— principum, definitiones. 336
—— principum & politices vinculum. 336. ſeqq.
—— philoſophicae finis. 232

Ethi-

Ethicae philoſophicae praecepta vera quae? §. 233
—— praecepta foecunda quae? 236
—— —— pauca, ſed ordine naturali tradenda. 237
—— —— & quidem ita, ut eorum veritas ſentiatur. 238
—— perfectionis gradus. 239
—— principium fundamentale definitur. 242
—— —— —— —— cur de eo tantopere ambigi ſoleat? 243
—— —— — traditur. 247
Ethica vera eſt expreſſa naturae effigies. 73
Evidentia mathematica. 223
Executio in actione libera quid? 2
Exemplo quomodo vitae regulae traducantur? 35
Exemplorum vis ſalutaris, noxia. 169. 207. 210. 335
Experientia. 34

F.

Facilis boni & mali diſtinctio quomodo impediatur? 205
—— boni cogniti peractio in teneriori & adultiori aetate quomodo acquiratur? 207. 208. 209. 211
Facilitatis probae ac malae fines quomodo regundi? 152
Facultas moralis quid GROTIO? 262
—— diſtinguendi bonum a malo, a ratione diverſa quid? 45
—— praevidendi eſt debilior facultate recordandi & ſentiendi. 77
Falſiloquio utentes quousque culpandi? 121
Faſtidium ſui temporarium, perpetuum. 68
Fato mundus non regitur. 175
Felicitas, quid? 12. 13
—— principis, civis. 341
—— civis quos habeat gradus? & quousque aequalis? ib.
—— principis ex quibus partibus conſtet. 342
—— quavis aerumna non evertitur. 21
—— augetur rerum naturalium cognitione. 170
—— finita, acceſſionis, diminutionis, converſionis capax. 194
Felicitas flagitat perpetuam actionum harmoniam. 195
Felicitatis principum analyſis. 342
—— deſiderium inſitum inſtinctus omnium primus. 12

Felicitatis progreſſum & diminutionem dimetiendi modus. §. 14. 17
——— ſintne homines capaces? 18
——— adeptio non repugnat naturae, neque experientiae. 19. 20
——— impedimentum ex perverſo libertatis uſu 22
——— partes, quas homo expetit. 57
——— datur iter & ſyſtema certum, naturale, divinum, immutabile, bonum. 25. ſeqq. 29. 31
Felicitatis ſtudium eſt fons, ad quem redit praeceptum generale omnium officiorum. 245. 247
——— ſtudio praeceptum de ſtudio perfectionis eſt ſubjectum. 246
Felicitatem alterius impedire non ſemper eſt laedere. 278
Fides eſt fons perſuaſionis de veritate regularum moralium complurium. 35
Fidem pacti & promiſſi violare, naturae repugnat. 129. pag. 91
Fiducia in Deo. 185
Fines Dei. 176
—— —— particulares ad ſupremum finem collineant. ibid.
——— ——— ——— quomodo innoteſcant? 177
Flagitia dominationis quid praeſtent? 340
Foecundum principium quid? 236
Fortitudo. 86. 93
——— quomodo diſtinguatur a temeritate &c. 86
——— cum felicitatis ſtudio conjuncta, quomodo excitetur? 87
Fortuna, fortuita eventa. 90
——— non regit vitam. 92
——— adverſante, quando hominem facti non debeat poenitere? ibid.
Fortunae metus aut ſpes an agendi momentum rectum? 91
Fortunam ſecundam ferre cur difficilius, quam adverſam? 93. pag. 55
Fraudis inſitum eſt homini odium. 129. pag. 91
Fori definitio. 292
Futuri ignorantia num homini utilis? 90. 188

G.

Generoſa mens. §. 137. 138. pag. 102
Germanico quomodo contigerit frui fama ſui? 338
Gloria. 124
——— Dei quid ſignificet? 190
Gloriae perverſa notio exitioſa aliquando bellorum mater. 330
——— immortalis deſiderium. 161
Gratae mentis character. 165
Guilielmus Rex Angliae quantopere Venatui deditus. 80
Guſtus quomodo perficiatur? 71
—— in decoro definiendo. 115. pag. 75

H.

Harmonia univerſi quid ſuavitatis menti ſuggerat? 170
——— actionum liberarum quomodo obtineatur? 195
Harmoniae actionum perpetuae nexus cum felicitate. 196
Hiſtoria an Ethicae proſit? 235
Hiſtoriae uſus in diſciplina Juris Gentium. 310
——— *Civilis* uſus in emendandis moribus populi. 320
Hiſtrionia ſplendore inani fallens. 202. pag. 171
Hobbeſius ludit voce legis N. 226
——— de jure omnium in omnia. 263. 303
Hobbeſii doctrina de homine ſocio pravo. 101
——— —— refutata. 107
Homo cupit eſſe & bene eſſe. 11
—— an felicitatis capax, & quantae? 18. 19
—— rebus extra ſe poſitis indiget. 63
—— an natura ſit habilis & pronus ad colendam ſocietatem? 101
—— ſenſu humanitatis, moralis approbationis &c. gaudet. 102
—— & ſenſu obligationis. 216
—— qui plus poteſt, an ſemper plus noceat? 107
—— an homini lupus, malus daemon? ibid.
—— cordatus quando conſilia, quae non probat, tolerare debeat? 153

Homo homini debet prodeſſe. §. 154
Homo alterius ſtatum, ut ſuum conſiderat; exin multae Philanthropias regulae derivantur. 159
Hominis perfectio moralis in quo conſiſtat? 244
Homini, qui ſibi vivit tantum, aut aliis ſtudioſe infert mala, haud bene. 109
—— contingit facultas LL. NN. cognoſcendi. 222
Homines natura conjuncti. 98. 99
—— ultro miſeri. 182
—— num natura ſint iidem, & ſola educatione varientur? 205
—— natura omnes aequales 263. pag. 236
Honeſtas. 261
Honeſtum bonum eſt ſimul utile & jucundum. ibid.
Honor externus quis? verus & falſus quomodo diſcernendus? 123. 124
—— falſus exſors verae voluptatis. 124. pag. 83
Honoris aeſtimatio. 123
—— ſtudium natura ingeneratum & ſalutare. 105. & p. 84.
—— non debet haberi bonum unicum. 124. pag. 84
—— in puerili aetate excitandum. 210
—— violatio an ſit laeſio juris perfecti? 263
—— obtinendi quae via? 124. pag. 84
—— ſtimulus an in Monarchiis ſit elater ad regendos cives primarius & unicus? 333
—— punctum, unde & quid ſit? 149
Humani generis ordo providentiae D. ſpecimen. 181
Humanitas venuſta. 114. 115
Humanitatis ſenſus nativus. 102. 110
Humiles qui dicantur? 147
Humilitas quaenam falſe dicta? 144. pag. 109

I.

Idearum conſociatio (*aſſociatio*) prima quid efficiat in infantibus? 35
—— quam habeat vim in mente regenda? 207. 332. p. 334
Ignavia a variis cauſſis oritur & nocet. 87
Ignoratio ſalutaris quaenam? 121
Ignorantia LL. NN. an poſſit imputari? 286
Ignotis prodeſſe num hominis interſit? 160

Imitandi ſtudium, in eruendis vitae regulis. §. 35. 37
——— ——— regit hebetiores in civitatibus. 335
Immortalitas. 15
Immortalitatis beatae ſpes erigit aerumnoſos, 21
Imperare quando ſit merito dulce? 63
Imperium quodnam firmius & principi expetibilius? 337
Imperii forma civi maxime commoda quaenam? 333
Imperio humano (ab) caute argumentandum ad divinum. 184
Imprudentia definitur. 119
Imputatio, quid? hujusque doctrinae momentum. 281
——— phyſica, moralis, efficiens, inefficax. 282. 283
——— moralis ponit actionem liberam, ejusque auctorem eſſe notum, &c. 284. 285
——— motuum animi ſubitorum. 292
——— moralis ponit exiſtere obligationem. 286
——— reſpicit quoque ſtatum agentis. 292
——— genus argumentandi. 293
——— actionum ambiguarum. ibid.
——— ——— propriarum, conſcientia. 294
——— eventuum, qui contra mentem agentis accidunt, & effectuum actionis remotiorum. 287. 288
——— actionum alienarum. 289
Imputationis aeque ac obligationis varia ſunt genera. 290
——— doctrina, quam habeat utilitatem? 281. 292. pag. 269
——— gradus debet reſpondere gradui bonitatis aut pravitatis actionum. 291
Incommoda in ſocietate aliis faciendo vel non faciendo illata. 131. ſeqq.
Indigentia abſoluta, hypothetica, quae & unde? 64
Indigentiae abſolutae arcti limites, & quomodo extendantur? ibid.
——— opinatae effectus. 65. 66. 68
Indolentia. 6
Indoles, nativa, acquiſita, quomodo formentur? 79. 207. 339
Inaequalitas hominum unde? 110. pag. 71. 263. pag. 236. & 302
——— num per ſe proferat invidiam, crudelitatem & malignitatem? 107. pag. 67. 68

Inaequalitas jurium. §. 302
Infans qnomodo vitae regulas colligat? 34
Ingenium latius dictum. 79
Ingenii cultura quid praeſtet? 73
——— formatio quomodo inſtituenda? 207
Ingenua erroris confeſſio quem fructum habeat. 164. p. 48
Ingratus animus. 165
——— ——— vi & armis haud vindicandus. 247
Ingrato profuiſſe, ne poeniteat. 118. pag. 78
Inimici ſunt amandi. 157
Inimicum virtutis in adverſario ſpectatae pulcritudo ferit. 202
Injuria. 129. 262
Injuſtitiae à regnantibus admiſſae effectuum an populus immunis? 270
——— ſucceſſus poena eſt. 269
Injuſtitia & *iniquitate* an felicitas populi augeatur? 327
Injuſtus, quamvis potens, num felix? 268
Inſtinctus definitio, & vis. 33. 49. 50
——— a proclivitate & cupiditatibus adſcititiis diſtinguendi. 298
——— ratione regendi. 50. 130. 136. 144
——— alios aliis natura oppoſuit. 51
——— & ratio natura conjuncti. 52
——— nituntur ad praeſens. ibid. & 160
——— non ſunt mali, ſed minus certi vitae duces. 52
——— varii in prima aetate qua ratione rite dirigendi? 210
——— efficacitatis, activitatis. 62
——— curioſitatis. 70
——— defenſionis ſui ipſius. 130
——— miſericordiae, communicationis. 103
——— imitationis. 98
——— in ſocietate vivendi. 99
——— honoris fruendi. 105
——— ——— tribuendi. 123
——— libertatis in ſocietate tuendae. 143. 210
——— ad fruendum ſocietate directe tendentes. 102. 103
——— ſocietati oblique utiles. 104. ſeqq.
——— benevolentiae quorſum ducat? 103. 160

Inſtinctus amoris parentum in liberos. §. 162
——— ad vitam regendam non ſufficiunt. 298
Inſtinctui felicitatis reliqui omnes ſubſunt. 102
Inſtinctuum vis non proſternit libertatem. 49
Inſtitutione vitae regulae traduntur. 35
Inſtrumenta agendi praebens num ſit actionis auctor? 285. pag. 259
Intellectus infantum tabulae raſae ſimilis. 70
Intenſio voluptatis vel doloris varia, unde? 7
Invidiae origo, progreſſus, remedium. 135
Ira ne exardeſcat, quomodo cavendum? 82
Irreligio ſeu contemtus religionis unde oriatur, & quam ſit abſurda? 190. p. 158
Irriſionis metus quid efficiat? 104
Judicis aequitas in legum applicatione & explicatione. 277. 314. 315
Judicium de actionibus &c. vid. Imputatio, Jurisprudentia.
Julius Caeſar exemplum victoriae ſui. 85. pag. 49
Jurisprudens quis? 312
Jurisprudentia, Naturalis & Civilis, quo tendant? 129. 305
——— ——— ——— illius perfectio & hujus gradus. 306
——— ——— ——— remedia. 307
——— ——— ——— utilitas. 308
——— comparandae
——— cum ſtudio juris divini conjungenda. ibid.
——— neceſſaria in ſtudio juris gentium. 309. 310
——— ——— ——— ——— juris civilis publici. 311
——— ——— juris privati. 312. ſeqq.
——— ——— & quidem in jure privato condendo & abrogando. 318. ſeqq.
——— ——— in LL. aliorum populorum dijudicandis, repudiandis, adoptandis. 322
——— ——— praecipue in legibus de delictis. 323
——— ——— in jure civili ad facta applicando &c. 316
——— ——— veram libertatis civium & ſalutis publicae notionem aperit. 318
——— ——— privata definitur. 312
Jus proprie dictum, & jus imperfectum. 262. 263. 273
—— unius ponit officium perfectum alterius. 264
—— ſummum an ſumma ſaepe injuria? 271

Jus

Jus gentium naturale. §. 309
— —— voluntarium unde oriatur? quomodo probetur? 310
Jus civile publicum, tum generale, tum ſpeciale. 311
Juris publici generalis uſus in ſtudio juris publici ſpecialis. 311
Jus civile privatum, ipſiusque partes, 312
— non ſcriptum quid? ibid.
— commune quid Ulpiano? ibid.
— privatum quando juſtum aut noxium? 313
— — apud diverſos populos neceſſario eſt diverſum. 321
Jus Nat. quid ſit? 298. 299
—— quare a Philoſophia morali ſecernatur? 297
—— datur ante pacta. 303
—— ad ſolum ſtatum naturalem reſtringitur. 312
Juris Nat. principium fundamentale, ſeu primum, cum tribus concluſionibus ex eo naſcentibus. 300
—— differentia ab Ethica. 301
—— quatuor praecepta. 302
—— diviſio in praecipiens & permittens. 304
Juris violatio nec ſocietati, nec ſingulis prodeſt. 267
—— abdicatio definitur. 304
Juri ſuo quousque aliquis renuntiare poſſit? ibid.
—— quando caritas praeferenda? 275
Jura cum hominibus nata & acquiſita. 263
—— connata omnibus aequalia. 302. 303
—— voluntaria, ſive poſitiva, jure N. nituntur. 309
Jurium & officiorum perfectorum iidem fontes, eademque genera. 263
—— perfectorum genera quatuor. ibid.
Juſtitia Dei rectoria. 189
—— humana quid JCtis? 265
—— in univerſalem, particularem, expletricem, attributricem, an recte dividatur? ibid.
—— interna & externa. 266
—— male a Carneade dicitur ſtultitia. 267
—— potentioribus eſſe onus grave & moleſtum, refellitur. 267. 268
Juſtitiae violatio num a Deo haud puniatur? 269
—— a principibus violatae poenae num & populo noceant? 270

Juſtitiam inter & aequitatem nullus datur conflictus. §. 277. 278
Juſtum quid? 262
—— quod eſt idem omnibus & ſingulis utile. 267
Juſtum & aequum quomodo diſcernantur? 273
Juſta agere & juſte quomodo differant? 266

L.

Laborandi ſtudium quomodo excitandum? 62. 210
Labor homini conducit. 62
Laedendi licentia infert ſocietatis everſionem. 129. p. 91
Laeſio. 129. 262
—— non eſt quaelibet proſperitatis alienae deminutio. 278
Laeſione (a) quomodo quis avocandus? 255
Laudari effuſius quinam ſoleant? 338. pag. 334
Lex moralis naturalis. 217
— civitatum prima ſalus populi. 318
Leges Dei. 183
Legis promulgatio quid? 286
—— morales ſunt viae breviſſimae ad felicitatem. 185
—— Moſaicae an omnes populos Chriſtianos hodie obſtringant? 322. pag. 311
—— rem aedilitiam ſpectantes. ibid.
Ligum ignorantia quando non imputetur? 386
LL. NN. ſunt divinae, differunt a conſiliis. 218
—— num laedant hominis libertatem? 219. pag. 194
—— aeternae, immutabiles, bonae, naturae humanae accommodatae. 220
—— perfectae, non arbitrariae. 221
—— certae. 222
—— alias Deus, quamquam liberrimus, condere non potuit. 221
—— ſunt evidentes. 223
—— cordi hominis inſcriptae. 226
—— omnes homines obligant. 228
—— praecipientes, prohibentes, permittentes. 229
—— ad rectum bonorum uſum collineant. 247
—— principi optimam felicitatis ſuae viam monſtrant. 336

Legum NN. certitudo & evidentia vindicatur. §.224. 225
—— —— cognitio quomodo acquiratur? 33. ſeqq.
—— —— cognitionis acquirendae inſtrumenta naturalia recenſentur. 226
—— —— nullus datur conflictus. 227
—— —— diviſio in abſolutas & hypotheticas. 228
—— —— principia varia an vere diſcrepent? 244
—— —— uſus in diſciplina jurisprudentiae civilis. 308. 320. 325
Leges civiles injuſtae quae? 318. pag. 302
Legum civilium juſtitiae & praeſtantiae fundamentum. 318. 319
—— —— bonarum examen quale inſtituendum? 322 pag. 312
—— —— differentia unde? 321
—— —— ſententia quid? 315
—— —— —— violatio a cauſis oriatur, quibus remediis avertatur? 319
—— —— malarum exemplum. 318
—— abrogatio quando ſalutaris. 322
—— ab aliis populus conditarum admiratio quando noxia. 322
—— criminalium vitioſarum quae cauſae? 323
Legislator quis dicatur? 216
—— an ſit Deus? 218
Legislatoris mentio non requiritur ad definitionem obligationis. 216
Legislatori civili pleniore indolis humanae cognitione opus eſt. 324
Legis Valeriae vinculum, bonorum temporum argumentum evidens. 335
Liberalitas. 117
Liber quis dicendus? 145
Libertas mentis quid? 1. 50. 76
—— ſenſu interno cuivis innoteſcit. 1
—— languens. 76. 292
—— moralis quid? 84. 142. pag. 107
—— quibus cauſis efficiatur languida? 77. 79
—— divina quaenam? 221
—— eſt Deo parere. 219
Libertatis munus in quo conſiſtat? 50. pag. 26

Li-

Libertatis gradus in actione imputanda examinandus. §. 292
——— externae duplex ſignificatio in ſocietate. 142. p. 106
——— tuendae ſtimulus inſitus quantopere utilis? 143
——— eſt ratione regendus. 144
——— plena poſſeſſio non ſemper felicitati conſentanea. ibid. & 290
Libertatis coarctatio quaenam & unde? 142. pag. 106
——— notio falſa, ejusque notionis origo. 145. 146
——— abdicatio minus ſapiens, ejusque cauſa, & effectus. 147. 148. 149
——— ſtudium nimium in puerili aetate temperandum? 210
——— naturalis diminutionem quo conſilio cives ſubeant? 325
Licentia quid JCtis dicatur? 142. pag. 106
Licitum quid JCtis ſignificet? 229
Livor ſeu invidia. 135
Logicae utilitas in doctrina de imputatione. 293
Ludovicus XII. generoſe ignoſcit &c. 137. pag. 101
Luxus non omnis nocet. 150
——— quis exitioſus? quantumque noceat? 151. 251. pag. 224. 333. pag. 307
——— ——— ——— eſt arcanum dominationis. 340
Lycurgus & Minos quomodo cives formarint ad fortitudinem? 206
——— quibus remediis aequalitatem civium effecerint. 333

M.

Machiavelli doctrina. 326. 327
Magiſtratuum cura quae glorioſa? 323
Majeſtas divina. 184
Malignitas actuoſa directe & oblique quomodo noceat? 133. pag. 96
Malitia acrimoniae plena. 109
——— quotuplici modo noceat? 133
Malitiae effigies contemplatori ſemper diſplicet. 102
Malum. 10
Mali fons proximus. 75
——— ab aliis illati genera, remedia &c. vid. *Societas.* 128. ſeqq.

Mali

Mali levioris taedium quando tolerandum? §. 153. p. 121
Malis num bene ſit &c. §. 182. 189. 203
Malorum ſenſus quomodo leniendus? 89
—— voluntaria ſuſceptio quaenam felicitatem augeat? 167
Malo in ſocietate quando aliquis afficiendus? 288. pag. 261. 323. in f.
Mandevillii opinatio repudiata. 251
Matrimonium, ejus uſus, & finis. 127
Medeae furor. 74
Mens grata. 165
—— quomodo ad promte agendum commoveatur? 196. 197. 210
Mentis robur. 74. 84
—— vires natura cohaerent. 52
—— —— quomodo perficiantur? 71
Mercaturae utilitas. 116
—— — flos inter populos unde? 329
Meritum quid Grotio ſignificet? 273
—— vid. *honor*.
Methodus mathematica an Ethicae conveniat? 237
Metus, praecipue metus gravis quis? 284. pag. 255
—— an homines ſemper a malo avocet? 130. 324
—— — elater ſufficiens in civitatibus arbitrario imperio ſubjectis? & quis metus in civitatibus liberis neceſſarius? 333
Metuit, qui vult metui. 109
Migratio civium quomodo impedienda? 339
Miſeria quid? 12
Miſer quis? 203
Miſericordiae inſtinctus. 103
Momentum agendi. 2
Momentorum ad actiones legi naturae convenienter dirigendas diverſitas & varius praeſtantiae gradus. 197
—— —— ad leges civiles violandas deſcriptio. 319
—— —— examen, cum imputatur actio. 291. pag. 267
Modeſtia definitur. 97
Moralitas quid? 282. pag. 252
Moraliter neceſſarium. 214
Morum depravationis origo & gradus. 128

Morum publicorum mutatio. §. 320
——— ——— — mutationis cauſae ad duo genera revocantur. ibid.
——— emendatio quandoque tentanda moribus, non legibus. ibid.
——— diſciplina terminos clementiae & ſeveritatis principum regit. 324
——— praecepta. vid. leges. 183. ſeqq.
Moroſitas unde? 145. pag. 111
Mori pro ſalute ſocietatis, patria, amico, dulce. 169. 341
Mors voluntaria remedium vitae taedia finiendi neque tutum, neque homine dignum, neque ordini naturae conveniens. 59
Mors an malis veris annumeranda? 94
Mortis cogitatio cur habeat aliquid acerbi? ibid.
——— metus quomodo ſuperandus? 95
Mortuis quo ſenſu officia debeantur? 250. pag. 222
Montesquieu, acutiſſimi pathologiae populorum explicatoris, ſententia de tribus elateribus politicis triplici civitatium formae accommodatis. 333
Motus animi vehementior unde? 77
Mundus nihil habet fortuiti. 175
Mundi contemplatio jucundiſſima, quae? 180

N.

Natura finita non eſt capax ſummae perfectionis. 178. pag. 146
——— tota ad felicitatem humanam conſentit. 170
——— hominis objectum LL. NN. 226
Naturae humanae notio quid comprehendat? 42
——— ——— contrarium quid dicendum? ibid.
Naturae ordo unde concludendus? 208
Naturam ſequi, quid ſignificet, ac quo ſenſu bonum? 177
——— quid ſignificaverit in diſciplina quorundam veterum philoſophorum? 244
Neceſſitas phyſica, moralis. 214
——— an legem tollat? 286
——— *moralis* non cadit, niſi in eos, qui ſunt ſapientiae capaces. ibid.
——— num tollat libertatem? 214. pag. 188
Nexus naturae humanae cum mundo & Deo. 42

Nexus veritatum perſpicientia habet ſuavitatem conſtantem. §. 70
Nobiles ſententiae. 198
Nocere aliis an nocenti proſit? 159
Nomadum vita ſimplex. 65
Nomothetica jurisprudentiae pars nobiliſſima. 317
Non putaram, excuſatio quousque valeat? 287

O.

Obedire Deo quid ſit? an quem fructum efficiat? 183. 184
Obedientia erga Deum nunquam eſt coeca. 186
—— — definitio. 216
Obedientiae idea an ad obligationis intelligentiam ſit neceſſaria. 216
Obligatio unius in ſocietate ſemper continet ideam juris alteri competentis. 264
Obligationis definitio, requiſita, & gradus. 215. 216
—— —— ſenſus. 216. 238
Obligatione (ab) ad jus caute argumentandum. 278
Obſequium voluntarium quodnam ſit ſapiens? 145
—— — quando denegandum? 153
Obſervandi ſtudium in formandis vitae regulis. 35. 37. 44
—— —— —— quomodo regendum? 38. 308
Obſervationum utilitas in contexendis praeceptis Ethicis. 235
Occupandi jus voluntati divinae convenit. 177
Odium ſui. 96
Odii cauſa latens. 132
Offenſio. 273
Offenſionibus quomodo occurrendum? 159
Officia. 215
—— erga Deum quaenam? 248
—— hominis erga ſe ipſum. 249
—— erga ſocietatem. 250
—— — mortuos. ibid.
—— — bruta an dentur? 253
—— quando vi & metu armanda? 255
—— ſocialia perfecta & imperfecta, ejusque diviſionis neceſſitas. 256
—— perfecta ad duo genera revocantur. 258

Officia imperfecta quaenam? §. 259
—— —— coactio ad haec praeſtanda nocet. ibid.
—— erga Deum non colliduntur cum caeteris officiis. 248. ſeqq.
—— hominis erga ſe ipſum non veniunt in contentionem. 249
Officio perfecto poſito ponitur jus. 264
—— (ab) ad jus caute argumentandum. 278
Officiorum NN. conſenſio. 241
—— —— enuntiatio generalis & prima quomodo ſe habeat? 242. 243. ſeqq.
—— —— cultus quem dolorem homini auferat? 247
—— erga ſocietatem non datur conflictus. 250
—— erga Deum, ſocietatem, & nosmet ipſos nexus arctiſſimus. 252
—— ſocialium enuntiatum generale. 254
—— perfectorum & imperfectorum notae minus ſufficientes. 257
—— —— —— laeſio facilius, quam imperfectorum violatio, poteſt a laeſo probari. 260
—— & jurium perfectorum iidem fontes & eadem genera. 263
Opes quousque veris bonis annumerandae? 268
Opinionis praejudicatae gentilitiae effectus. 35. 205
Ordo naturae an ſit principium primum cognoſcendi officia humana. 143

P.

Pactorum fides cur vi & armis vindicari poſſit? 258
Paſſiones minus recte appellantur affectus. 81
Patientia. 89. 93
Patria (pro) mori dulce. 169
Pax generis humani quid? 299
Peccatum quid? 215
Perduellionis atrocitas quomodo aeſtimanda. 292. p. 269
Peregrinationum fructus quinam? 111
Perfectio, quid? 221
Perfice te, num haec propoſitio ſit omnium prima? 246
Perſonam num recte reſpiciat, qui imputandi munere fungitur. 292

Per-

Pertinacia unde? §. 145. pag. 111
Philantropiae regulae foecundae. 159
Philoſophia moralis quid ſit, ejusque uſus? 231
Phyſiognomia utilis & noxia quaenam? 83
Pietatis definitio & fructus. 43. 192
Pigritia quomodo civibus excutienda? 339. pag. 336
Placendi ſtudium homini & ſocietati prodeſt. 106
Poenae hominis divinae naturales & ſupernaturales. 218
—— *civiles* ſeu *civis* quid? 323
Poenas infligendi jus humanum ex conventione oritur. 230. pag. 282
Poenarum terrore nitens educatio quem effectum habeat? 208
Poenitentia quae inevitabilis? §. 41. pag. 17. 54. 216. pag. 190. 268
Poenitendi cauſarum multitudini reſpondet decrementum felicitatis. 195. 260
Politica. 325
—— Ethicae adverſa quid? 326
—— Ethica civium ac principum nititur. 331
Politices vinculum cum Ethica principum. 336. ſeqq.
—— genuinae fructus. 341
Polygamia nocet. 176. pag. 284
Populus quomodo ditandus? 329
—— quando floreat? 332
—— quomodo luxu corrumpatur? 151. pag. 117
—— cultior quâre inculto felicior? 73. pag. 39
—— foris venerabilis & carus quomodo efficiatur? 326
—— quibus cauſis impellatur ad leges civitatis violandas? 319
Populi felicitas definitur. 325
—— ſtudium alios debilitandi an ipſi vere ſit utile? 328
—— primores, dum exemplo proſunt, ſe reddunt felices. 335
—— vitiis quomodo medendum? 319. 339
Populo virtusne an vitium plus proſit? 251
—— etiam nihil utile, niſi quod juſtum. 270
Poſteritatis curam habere eſt felicitati ſuae ſtudere. 161
—— —— quando cives rideant? 151
Potentiores in ſocietate num per ſe invidioſi? 107. pag. 67
—— —— num propter commoda juſti vel injuſti? 268

Poteſtatis legiſlatoriae divinae fundamentum. §. 219
Poteſtas infinita pugnat cum natura civitatis. 337
Praecepta Ethices, vid. Ethica & officia.
——— Dei vid. leges. 183
Praeſumtio juris & facti. 315
Praemia divina naturalia & ſupernaturalia. 218
Preces, earum principium & objectum. 186
Princeps imperium arbitrarium ſeu deſpoticum merito rejicit, tanquam inſtrumentum ſuae & communis infelicitatis. 337
——— ſummus LL. NN. cognitione ad ſui emendationem uti debet. 338
——— ——— quae debeat ſervare officia? ibid.
——— populi ingenium & indolem cur cognoſcere debeat? 339
Princeps bonus. 319
——— ——— aequalitatis hominum naturalis non obliviſcitur. 336
Principis ſapienter regnantis felicitas explicatur. 352
Principum conſultores fiducia digniores qui? 338
Principium Ethicae (vid. officia.) 242. 243
——— ——— ——— *Socialis.* 254
——— Juris Naturae. 300
Prodeſſe aliis vires proprias auget. 159
Promiſſum ſecundum jus N. irritum. 304
Propenſio dominans quid ſit, efficiat, quomodo ſanetur? 80. 211
——— ——— — remotior affectuum cauſſa. 83
——— ——— — quomodo inoleſcat? 151. pag. 117
Proſperitatis defectus quomodo ſuppleri poſſit? 203
——— ——— ——— definitio, & quod non tollat felicitatem. 21
Proſperitas civitatis definitur. 325
Proverbia vitioſe concepta quantum noceant? 225. p. 202
Providentia divina perverſe ab Epicuro negatur. 179
——— ——— etiam ea curat, quae minima videntur. ibid.
——— ——— num refellatur malis phyſicis? 180
——— ——— prava conſilia inflectit ad bonum. 181
——— ——— an recte negetur ob miſeriam hominum? 182
——— ——— num refellatur proſperis injuſtitiae ſucceſſibus? 269

Providentiae contemplatio auget voluptatem ex contemplatione mundi naſcentem. §. 180
—— —— ſpecimina in naturali hominum conjunctione. 180. 181
Prudentia futura regens definitur. 90
Pudor. 104
—— *publicus* definitur. 325
Pudori civium nonnulla committere ſalutare. 319
Puerorum conſuetudini falſas boni & mali notas pro veris aſſumendi tempeſtive occurrendum. 207
Pugna animi meliora videntis & deteriora ſequentis quomodo ſuperanda? 211
Pulcri notio, praeſertim moralis. 202
—— ſenſus. 71
Punctum honoris. 149
Pythagorae conſilium de quotidiana actorum reputatione. 209

Q.

Q*uies* ſocietatis cujusque baſis. 129
—— generis humani, quid? 299

R.

R*atio.* 36
—— & inſtinctus natura ſunt conjuncti. 52
—— ex quibus effectibus certas vitae regulas conficiat? 43. pag. 19
—— electionis inter duo propoſita. 2
—— reipublicae, ſive ſtatus, quid, & quando noxia? 328
Rationis robur. 36
—— —— num ſemper demonſtret plurimum libertatis? 76
—— operationes pravae & rectae in felicitate indaganda. 37. 38
—— *munus* in obſervandis actionum liberarum effectibus. 40. 50
—— —— in exquirenda effectuum cujusque actionis convenientia cum felicitate. 41
—— maturitas lente ſuccreſcit. 45
—— dictamen an principium cognitionis LL. NN? 246

Rationi convenire quid dicatur? §. 215
Rectum. 217
Regere quid ſignificet? 163
Regnantium felicitas quando vera, & quanta? §. ult.
Regula: quod tibi non vis fieri &c. 158
——— poſito jure ponitur alterius obligatio perfecta. 264
——— quod tibi prodeſt & alteri non nocet &c. 278. pag. 249
Regulae felicitatis humanae morales, certae, &c. 24. 29. 188
Regulae vitae quomodo indagandae & formandae? 32. 208. 233. ſeqq.
Regularum vitae concentus effici poteſt absque ullo earum conflictu. 241
Religio interna, externa, naturalis, revelata. 190. 191
——— homines unit, & voluptates auget. 190. 193
Religionis contemtus quis & unde? 190. pag. 158
——— errores quomodo tollendi? 191. pag. 160
——— Chriſtianae praeſtantia ex veris revelationis criteriis dignoſcitur. 182
——— ——— convenientia cum Ethica philoſophica. 240
——— ——— uſus in virtute acquirenda. 212
Remediorum ratio habenda in dijudicandis bonis aut malis actionibus. 217
Reſpublica num adminiſtrari poſſit absque exterorum injuria? 327
Reticentia quaenam ſit in vitio? 122
Retorſio legum quae minus licita? 318
Revelatio divina quomodo ſuſpicienda? 182
Ridiculum decorum. 115. pag. 75
Rythmus vitae quantum proſit? 195. 211. pag. 185

S.

S*alus* populi ſuprema lex. 318
Salutis publicae notio quando evaneſcat? 337
Sanctitas non augetur voluntario corporis cruciatu. 61
Sapientia. 174
Scepticismus moralis. 25
Sciendi cupiditas, & occaſio. 70. 121
Scipionis facinus nobile & oratio magnifica. 335
Scythismus populorum unde? 101. pag. 61
Securitas generis humani definitur, vid. quies. 299
Sen-

Senſus non fallit, ſed ex eo falſe concluditur. §.41. pag. 17
—— moralis, ſive ſenſus boni & recti. 45. 47
—— —— an detur, & quare moralis dicatur? 46
—— —— num tres fontes tripartiti officiorum generis contineat? 47. 222
—— —— ratio habenda in educatione. 210
—— —— exiſtentia & vis a vi inſtinctuum diverſa exemplis contrariis non refellitur. 224
—— —— inter inſtrumenta naturalia legis N. cognoſcendae refertur. 226
—— externi quomodo perficiantur? 71
—— humanitatis, & amabilitatis. 102
—— veri. 222
—— interni accuratior obſervatio inprimis eſt neceſſaria in contexendis praeceptis Ethicae. 235
—— obligationis. 216. 238
Sepulturae haud negligendae obligatio unde? 250 p. 222
Servi morales quomodo fiant? 142. 225
Servitus (externa privata.) 152. pag. 106
—— voluntaria in ſocietate, unde? 147. ſeqq.
Simplicitas prudens placet, eſtque cum magno ingenio ſociabilis. 122
Societas definitur. 125
—— generis humani naturalis quid? 100
—— quid adverſus errantem ſocii conſcientiam facere poſſit? 296
—— ſolitudini praeſtat. 110
—— aliquam libertatis particulam tollit. 144. p. 109
Societatis fructus capiendi duplex via, altera bona, altera mala. 108. ſeqq.
—— emolumenta, quae quisque absque facto alieno ultro capit. 111
—— fructus aliorum ope carpendi ad ſex genera revocati. 112
—— mala, ad tria genera reducuntur. 128
—— — ex laeſione. 129
—— incommoda ex omiſſione aliis gratificandi, offenſione &c. orta eorumque cauſſae. 131—134
—— —— quomodo effugienda, vel lenienda? 140
—— quae ſibi quisque conſciſcit per nimiam dependentiam aut independentiam ab aliis. 141
—— bona augere hominis intereſt. 154

Se-

Societatis regimen quid proprie ſignificet? §. 163
——— fios & vitiorum fuga num ſibi repugnent? 251
——— quando interſit, vim adhiberi licere? 258
——— ſalus quando exigat res maxime caras & vitam dimittere? 167. ſeqq.
——— civilis praeſtantia. 331. ſeqq. 341
——— ſtatus pacatus, vid. quies. 129. 218. 263
Societati officia debita complectens propoſitio generalis. 254
Societate (in) ſi non poſſis inſervire ſimul pluribus, quis praeferendus? 165
Societates ſpeciales, aequales, inaequales &c. 125
Societatum ſpecialium leges, vel regulae, perfectio, incommoda. ibid pag. 86
Socratis conſtantia. 153
——— dictum egregium. 159
Solitudinis fugam natura inſevit. 98
Solitaria vita Deo non probatur. 99. 100
Spartiatae notati. 206
Status moralis quid? 281
——— naturalis quid & ubi detur? 312. pag. 295
——— populorum phyſici & moralis differentia juris privati differentiam reddit neceſſariam. 321
——— *naturalis* definitur, & quinam in eo vivant, explicatur. 312
——— animi alieni quomodo innoteſcat? 155. pag. 182
Stoicorum doctrina de apathia. 88
——— ——— de natura. 87. 177
——— an recte omnia malefacta judicaverint paria? 291
Suicidium eſt illicitum. 59
Suum cujusque quid JCtis? 129. 263
——— cur cuique ſanctum eſſe natura voluerit? 129
——— hominis connatum & acquiſitum. 263
Suus, quis dicendus? 142. pag. 106
Superbia quid, unde? &c. 97. 114
——— adminiculum & arcanum dominationis. 333. pag. 326. & 340. pag. 337
——— quid efficiat? 189
Sympathia nativa quaenam? 102. 155. pag. 124

T.

Talionis jus. 136. pag. 100
Temeritas quomodo a fortitudine differat? 86

Tem-

Temperamentum v. indoles. §. 79
—— facit, ut aliae actiones bonae homini ſint faciliores, aliae difficiliores. 284
—— Gentis quid? 320
Timiditatis definitio, origo, effectus, curatio. 87. 152
—— — quomodo facilitatem nimiam efficiat? 152
—— — nimis fatigata in violentiam deſinit. ibid.
Timon Athenienſis. 102
Timor Dei. 189
Triſtitiae ſummus gradus. 88
Tutum quod videtur, quousque conſcientiam efficiat probabilem. 294
Tyranni gaudium exiguum. 270

V.

Veneratio, quid? 124
Venerationis effectus. 189. pag. 155. 216. pag. 190
—— —— gradus ſummus. 172
Victoria ſui, ipſiusque nobilitas. 85. 130. pag. 93
Vindicta divina. 270
Vindictae cupiditas unde? quando ſedetur? 137
—— ſtudium quomodo ſubigendum? 138
Viri boni character. 202
Vires vid. attentio, corpus, anima, mens.
Virtus quid ſit? num unica? 199
—— non eſt poſita in mediocritate. ibid. pag. 168
—— non excludit deſiderium jucunditatis ex recte factorum conſcientia. 200
—— num aliqua afferat commoda? 201
—— eſt pulcra, amabilis, admirabilis. 202
—— eſt felix. 203
Virtutem aſſequendi remedia. 204. ſeqq.
Virtute (in) progreſſus quomodo cognoſcendi? 211
Virtutes cardinales quaenam? 199. pag. 168
Virtutis cultus conſervat aequalitatem civium in civitatibus liberis. 333. pag. 32
Vis animae eſt unica. 52
— in ſocietate *neſaria*. 129
Violenta remedia quando in ſocietate neceſſaria? 130. 255. 258
Vita conſervanda. 58
—— ſyſtematica jucundiſſima quaenam? 195. 211

Vita poſt obitum futura eſt continuatio praeſentis. §. 17
Vitae, & quidem felicis, ſtudium homini innatum. 11
Vitae jucunditas quomodo efficiatur? 60. ſeqq.
——— genus inter virtutem & vitioſitatem medium. 200
Vitam ſociam natura probat. 98. 99. 100
Vitâ frui, quid aliquando vocetur? 151. pag. 117
Vitioſa actio definitur. 315
Vitia regnantium formae ac populi civitatis felicitatem publicam peſſumdant. 338
——— ——— populi quae? 320
Vitioſitas. 200
Vitiorum gradus quomodo aeſtimandi? 291
——— fuga & flos ſocietatis numquam contendunt. 251
Vitiis quod fulciendum eſt imperium, male conſtitutum eſt. 340
Ulciſci quid? vid. vindicta. 138
Ultio & defenſio ſaepe confunduntur. 136
Voluptas quid? & quaenam ipſius origo? 4
——— pura & mixta dolore. 5
——— vera, & fallax. 9
——— vera, qua nota dignoſcatur? 30
——— quaenam repudianda? 68. 159
Voluptatis ſpes & doloris metus momenta ſingularum actionum. 3
——— perceptio quomodo labefactetur? 5
——— verae & fallacis cauſſa. 10
——— graduum dimenſio. 7
——— ſpes quando efficacius mentem moveat? 8
——— praeteritae recordatio erigit aerumnoſos. 21
——— fons quinam perennis? 69
Voluptates ſenſuum an per ſe noxiae aut falſae? 66. 67
——— puriſſimae ex religione. 190
Voluptatibus frui, easque augere, an recte quidam veteres ſtatuerint praeceptum officiorum univerſale? 245
Urbanitas (la politeſſe), quaenam ſit grata? 114
Uſus rerum innoxius quo jure exigendus? 278. pag. 249
Utile. 166. 267
—— eſt, quod juſtum. 267

Z.

Zaleucus quomodo luxum feminarum refrenaverit? 319. pag. 305
Zelus in propaganda religione quis Deo gratus? 191

E R R A T A.

pag. 10 *lin.* 28 & 29. del. agents *leg.* agentis
17 *l.* 12. pro ſe cum *l.* ſe, cum
l. 17. poſt nunquam: adde *ſenties*
22 *l.* 31. pro vi *l.* viribus
43 *l.* 14. pro jurico ncipiat *l.* jurii concipiat
47 *l.* 4. nujus *l.* hujus
49 *l.* 21. velut *l.* vel ut
l. 26. pro ſortitudo *l.* ſortis
l. 27. pro Haec itaque *l.* Itaque fortitudo
60 *l.* 25. pro & indigeant & ab ipſa *l.* indigeant, & ad illas conjungendas ab ipſa &c.
61 *l.* 2. gant *l.* geant
63 *l.* 26. (§. 10.) *l.* (§. 102.)
64 *l.* 16. ipſi *l.* ipſis
67 *l.* 1. trigide *l.* tigride
70 *l.* 25. ſocietate commoda, *l.* ſocietate, commoda
76 *l.* 24. Adjuvantus *l.* adjuvantur
l. 26. pro vere *l.* tum
l. 27. del. tum
80 *l.* 28. diffidis *l.* diffidit
82 *l.* 33. aeſtimes Poſtremum *l.* aeſtimes. Poſtremum
83 *l.* 83. ut in contemtum *l.* ut honos non meritus in contemtum
90 *l.* 21. nique *l.* denique
103 *l.* 6. poſt morbus *l.* in prima aetate
7. eadem verba del.
113 *l.* 6. tullae *l.* tulae
114 *l.* 11. Ex vix *l.* Et vix
119 *l.* 2. circa *l.* citra
123 *l.* 17. pro facit! *l.* facit?
124 *l.* 3. ſit *l.* ſit,
126 *l.* 17. oblivioni *l.* oblivisci
127 *l.* 6. minusve *l.* minusne
129 *l.* 30 potes *l.* poteſt
142 *l.* 21. poſt *remediorum* ponatur *ad*
l. 31. pro ert *l.* fert
147 *l.* 7. a f. ſuppeditas *l.* ſuppeditatas
l. 29. pro rerum geſtarum annales pon. *rerum geſtarum annales*
155 *l.* 1. pro univerſae nunquam voti, *l.* univerſae, ut nunquam voti
158 *l.* 10. pro metu *l.* metus

B b *pag.*

E R R A T A.

pag. 158 *l.* 11. perſpicientes *l.* perſpicientis
161 *l.* 3. poſt quaedam & p. 166. *l.* 1. poſt animus del.;
171 pro *veneratio*, *l.* veneratio quaedam
175 *l.* 15. pro *ſentiendi* *l.* de bono & malo judicandi
185 *l.* 11. pro actiones *l.* actione
188 *l.* 9. pro *quam cauſae*, *l.* *tanquam cauſae*
192 *l.* 15. pro (§. 116.) (§. 216.)
l. 31. del. ille
193 *l.* 12. pro legis *l.* leges
195 *l.* 1. §. CXXXI. *l.* CCXXI.
216 *l.* 8. pro dignoſcitur *l.* dignoſcatur?
220 *l.* 12. pro *ſtudii* *l.* *ſtudii*,
l. 13. pro *ipſumque* *l.* *ac*
ibid. poſt *colendi* ponatur,
222 *l.* 7. pro locus cura *l.* locus, cura
223 *l.* 8. pro aliud *l.* aliquid
224 *l.* 13. pro ſuae *l.* ſui
l. 22. pro ſoli, effectus *l.* ſoli effectus
l. 28. pro profectis *l.* profectis
l. 33. pro ortis, *l.* ortis?
l. 31. tati *l.* cietati
229 *l.* 6. poſt tamen ponatur illud
l. 24. pro tranſit *l.* tranſierunt
l. 27. poſt ſocietatem ponatur quisque
l. 29. del. verba: ſed &
231 *l.* 4. pro *l.* quis pro fines *l.* terminus
232 *l.* 7. pro utatur *l.* ſit uſurus
l. 9. del. ſit
240 *l.* 28. pro quam, male *l.* quam male
241 *l.* 26. pro jucundes *l.* jucunde
256 *l.* pen. pro eſſe, ſecutum *l.* eſſe ſecutum
264 *l.* 12. poſt hanc *l.* ceſſationem
l. 13. *receptu aſylo* *l.* *receptu*, *aſylo*
265 *l.* 22. pro conſecutis *l.* conſecutus
267 *l.* 10. pro plurimus *l.* plurimis
l. 14. pro quea *l.* quae
pag. 304 *l.* 28. pro *ſemarent* *l.* ſervarent
l. ult. *l.* ſtatimne
311 *l.* 9. & 10 *l.* adſciſcantur
313 *l.* 11. pro cives *l.* civis
l. 26. pro inquiſitionis *l.* inquiſitionem
328 *l.* 13. pro *quos* *l.* *quae*
338 *l.* 6. a fine pro *nature* *l.* *naturae*

APR 14 1936